Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/bullariumordinis03cath

BULLARIUM

Ordinis FF. Minorum S. P. Francisci

CAPUCINORUM

SEU

Collectio Bullarum, Brevium, Decretorum, Reſcriptorum, & Oraculorum &c. quæ à S. Sede Apoſtolica pro Ordine Capucino emanârunt

SUB GUBERNIO

REVERENDISSIMI PATRIS

JOSEPHI MARIÆ AB INTERAMNA

Totius Ordinis Ministri Generalis

Variis Notis & Scholiis elucubrata

A

P. F. MICHAELE A TUGIO IN HELVETIA

Ejuſdem Ordinis Concionatore, olim Sacræ Theologiæ Lectore, ac pro Natione Germanica Secretario Generali.

Tomus Tertius

Continens Bullas, Brevia, Decreta, Reſcripta & Oracula, quæ Regnorum utriuſque Siciliæ & Sardiniæ Provincias, videlicet Neapolitanam, Lucaniæ, Rhegienſem, Coſentinam, S. Angeli, Barenſem, Hydruntinam, Panormitanam, Meſſanenſem, Aprutinam, Calaritanam & Turritanam: nec non Cuſtodias Italiæ, Monferratenſem, Tridentinam, & Melitenſem ſpecialiter concernunt.

ROMÆ MDCCXLV.

Typis Joannis Zempel Austriaco-Viennensis prope Montem Jordanum.
SUPERIORUM FACULTATE.

BX
3104
A2.
1740
t.3

LIBRARY
AUG 19 1968
UNIVERSITY OF TORONTO



Ego Dilecto meo, et ad Me conversio Eius. Cant. 7. v. 10.

P. Norbertus Viennensis Capuc.nus inv. et del. P. Campana de Soriano Sculp. Rom. Sup. perm.

DIVO ANTONIO
A PATRIA, ULYSSIPONENSI
EX DEPOSITO,
PATAVINO SEU PADUANO,
Ordinis Minorum Sancti Patris Franciſci
CONFESSORI ILLUSTRI.

SAnctorum nulli tertius Bullarii Capucini Tomus aptiùs & accomodatiùs ſacratur, quàm Tibi, Seraphice Thaumaturge! Nullæ etenim ſunt Sacri Ordinis Provinciæ, quæ tenaciore zelo pro jure ſuo, & jure tui cultûs & Habitûs decer-

târunt, quàm illæ ipſæ, quarum enuntiatus Tomus Apoſtolica complectitur Documenta.

Hæ Statuas tuas Habitu Capucino indui, imagines eodem depingi, Feſta tua ſolemniore devotione celebrari, & Proceſſiones publicas ſub tuo Nomine, & Vexillo inſtitui, vocatis, qui contradixêre, ad Sacram Romanam Themidem, eo valore evicerunt, ut, qui in Reformatione Capucina non vixiſti, Capucinus jam paſſim compareas, haud aliter, ac in abſide primæ Urbis ac Orbis Lateranenſis Baſilicæ, nec non in Tribunâ, ſeu Chorali fornice Baſilicæ Liberianæ &c. Muſivo labore expreſſus videris Capucinus.

Hoc tamen tui cultûs ſtudium ad memoratas Provincias non ita reſtringitur, quin & totus Ordo in illo ſeſe exhibeat zelotypum. Hic populo tuæ gloriæ recenſet merita, miram tui Antiphonarii virtutem commendat, Domos, & Aras nomini tuo conſecrat, Sacras tuas Reliquias piâ memoriâ conſervat, prodigia gratiarum, Tuo patrocinio obtentarum, & naturæ vim ac Ordinem excedentium in Libris Annalium annotat, tutelæ tuæ ſeſe continenter devovet, &, quidquid tui ſacri Nominis, vel cultûs & gloriæ eſt, incenſi zeli officio, ſplendidioriſque ſuæ paupertatis concurſu, ubique promovet.

Acceptum quoque à Te haberi hoc devotionis obſequium, docent, quæ recipit à Te Ordo tum pro ſe, continua Protectionis præſidia, tum pro

aliis

aliis beneficia, quæ ſuſpenſa ad tua Altaria & imagines anathemata, votivæ tabellæ, ac Chronici libri monſtrant innumera.

Hinc, qui olim piſces ad grates Deo, *Creatori ſuo, ob beneficia, ſquamato illorum generi collata reddendas ê diaphano* Domicilio *vocâſti, non deſpicies litterarium Opus, quod ſub nomine Capucinæ Religionis Tibi in gratitudinis titulum dicatur, gratumque Tibi probabis actum, quem erga Deum piſcibus commendaſti.*

Ipſa autem hæc grati animi exhibitio, fit in me nova beneficii petitio. Confregiſti olim, qui erant virtutis oſores, in potentia, Ezellinum juſtitiæ hoſtem, velut alium Attilam Leonino *animo dejeciſti, ac Aſinos in teſtes Veritatis contra Bonellum, ſeu Bonovillum, & inſenſatos adhibuiſti; pari zelo Librum, qui Nomen tuum in fronte gerit, contra Vitiligatores tuêre, & Veritatem Monumentorum, quibus Apoſtolica Sedes vel Ordinis diſciplinam ſtabilivit, vel rerum ſuarum juſtitiam firmavit, vel novos eidem honores decrevit, vindice favore contra Reprehenſores & Momos proſequere.*

Qui denique ex Spiritu Sapientiæ & intellectûs, quo Te Dominus in carne ambulantem implevit, Arcæ Teſtamenti & Mallei Hæreticorum *Antonomaſiam, Pontificio Oraculo acquiſiviſti, & jam arcana divinæ ſcientiæ beatâ comprehenſione noſcis, vibra in me, proſecutioni operis ac-*

cin-

cinctum, claritatis Tuæ radium in ſubſidium, & fave, ut, ſicut inter Dilectum tuum JESUM & Te, mira olim viguit amoris converſio, ita inter Te, & me, mutuo commercio conſiſtant, Tua erga me dignatio, & mea erga Te devotio. Illam dum ſpero, hanc Tibi voveo

Cliens infimus & indignus
Fr. Michaël à Tugio Capuc.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

NOS infra ſcripti Definitores Generales Ordinis Fratrum Minorum Sancti Patris Franciſci Capucinorum collegialiter uniti, de mente & mandato Reverendiſſimi P. Joſephi Mariæ ab Interamna Miniſtri noſtri Generalis, vidimus, revidimus, & attentè conſideravimus Tomum III. Bullarii noſtri Ordinis, à R. P. Michaële Tugienſi, Ordinis noſtri Concionatore, & Provinciæ noſtræ Helveticæ olim Sacræ Theologiæ Lectore &c. magnâ ſollicitudine & induſtriâ collectum, variiſque notis ac notitiis ad majorem legentium utilitatem illuſtratum. Cumque in iiſdem notis nihil ſanæ doctrinæ, aut bonis moribus diſſonum, nec aliud quidpiam, quod in præjudicium Tertii vergere poſſit, invenerimus, dignum omnino cenſemus, ut ſervatis de jure ſervandis ad debitam Provinciarum, ac rerum geſtarum notitiam typis dari & imprimi poſſit. Dedimus Romæ die 15. Septemb. 1745.

Fr. Maximilianus à Vanghena Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Benedictus à Maſſafra Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Joannes Maria à Parma Diffinitor Generalis C. I.
Fr. Cherubinus à Noves Cap. I. Diffinitor Generalis.

Fr. Joſeph Maria ab Interamna, Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum Miniſter Generalis (*l. i.*)

CUM Tomum tertium Bullarii Ordinis noſtri à R. P. Michaële Tugienſe, ejuſdem Ordinis Concionatore, Sac. Theologiæ in Provincia Helvetica Ex-Lectore, & pro Natione Germanica olim Secretario Generali compilatum, variiſque notis & notitiis illuſtratum, quatuor ejuſdem Ordinis noſtri Diffinitores Generales reviderint, & in lucem edi poſſe probaverint, tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis typis imprimatur. Datum ex noſtro Conventu Immaculatæ Conceptionis de Urbe 19. Septemb. 1745.

Fr. Joſeph Maria, qui ſupra.

L. ✠ S.

APPRO-

APPROBATIO EXTRA ORDINEM.

EX commiſſione Rmi P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri evolvi Tertium Tomum Bullarii, Sacri Ordinis Fratrum Minorum S. P. Franciſci Capucinorum, ab admodum Reverendo, Doctiſſimo, Religioſiſſimoque Patre Fratre Michaële Tugienſi, ejuſdem Ordinis Minorum Capucinorum in Provincia Helvetica Profeſſo, Sacræ Theologiæ Ex-Lectore, & ſui Revmi P. Miniſtri Generalis olim Secretario collecti, variiſque Notis & Scholiis illuſtrati: cumque in eo nihil omnino Orthodoxæ Fidei dogmatibus, Sacratiorumque morum regulis, vel Canonum Decretis adverſum offenderim; quinimo totum denuo opus à methodo, eruditione, ac induſtria plurimùm commendabile, ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ illuſtrationem utiliſſimum, atque pro Diſciplinæ & Obſervantiæ Regularis Cuſtodia accomodatiſſimum, æquè ac priora duo volumina, repererim, ut ex Archivorum pariter tenebris, quæ Reipublicæ profuêre nunquam, in commune obſequium, publicæ per typum luci ac immortalitati donetur, digniſſimum cenſeo, qui ſubſcribor. Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam hâc die 19. Septemb. 1745.

Fr. Dominicus Gentis Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſter, ejuſdemque in Univerſitate Colonienſi Doctor, Collegii Caſanatenſis de Urbe Theolgus, ac Sac. Congregationis Indicis Conſultor manu propria.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſt. Sac. Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

ISAGOGES
AD UNIVERSUM BULLARII OPUS
PROSECUTIO

Continens ſuccinctam Reſcriptorum, & Decretorum Apoſtolicorum deſcriptionem.

CAPUT QUINTUM
De Reſcriptis.
SECTIO I.
De notione, & diviſione Reſcriptorum.

R*Eſcribere* olim dicebantur Debitores, dum pecunias mutuò acceptas Creditoribus reſtituebant. *Calvin. tom.* 2. *Lexic. jurid. v. Reſcribere fol. mihi* 416. *col.* 2. & in hoc ſenſu intelligendi ſunt ſequentes Horatii Verſus; *Satyr. L.* 2.

Putidius multò cerebrum eſt (mihi crede) Perilli
Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis.

Reſponſum quoque, ad epiſtolas datum, Reſcriptum audit: exemplum dat Martialis *lib.* 2. *Epigram.* 9. *de Nævia.*

Scripſi, reſcripſit nil Nævia, dabit ergo
Sed puto quod ſcripſi legerit, ergo dabit.

hucque referri debet illud Ovidii *epiſt.* 1.

Nil mihi reſcribas, attamen ipſe veni.

Magis tamen ſpecificè, & in ſenſu legali ſi illud conſideretur, ſumitur, & eſt Reſcriptum ut plurimùm, reſponſio ad Libellum præſentatum in ſcriptis data. Hinc Juriſconſulti, quando eos ad conſultationem, relationem, aut petitionem de jure reſpondere oportuit, *reſcribere* dicebantur. *Leg. ex contractu* 44. *ibi*: RESCRIPSIT. *ff. de re judic. Leg.* 33. §. 1.

ff. de bon. poſſeſſ. §. Sacræ Inſtit. de rer. diviſ. ibi :: PAPINIANUS RESCRIPSIT.

Sub nomine Reſcripti pariter venit Reſponſio per Præſides ad Judices inferiores data ſuper dubio, in judiciis enato *ex text. in Leg. Eum, quem temerè* 79. §. 1. *de Judic.*

Conſideratum verò Reſcriptum quoad Perſonas Principum, eſt illud annotatio, & ſcripta expreſſio mentis Principis circa materiam ipſi expoſitam, & manu ipſius Principis confirmata *Leg. Si quis ad Leg. Cornel.*

Uſus enim inter Veteres viguit, ut, qui à Principe quid impetrare volebant, eum, etiam præſentem, ſcriptotenus accederent, uti notat Sueton. *in Auguſt. cap.* 53. *Briſſon Lib.* 3. *ſelect. cap.* 7. *ex text. in Leg. Libertum* 15. *ff. de in jus vocan. Leg. item* 15. §. *Si quis Libello ff. de injur. Leg. quæſitum* 5. *ff. ad Turpil.* Princeps autem lectis Libellis, & petitione in eis contentâ, maturè perpensâ, ſubjungebat ſuum deſuper judicium, ac propria manu id ſubſcribebat *Leg. non diſtinguemus* 32. §. *cum quidam ff. de recept. arbitr.*

Quæ omnia ſi ſtrictiùs ad Reſcriptum Pontificium contrahantur, illud reſponſum in ſcriptis ad Libellum ſupplicem, vel ab ipſo Summo Pontifice, vel ejus Delegato ſine judiciali cauſæ examine, proceſſu &c. datum, eſſe; & per verba *in ſcriptis datum* à Vivæ vocis Oraculo, & per particulam *ſine judiciali Cauſæ examine* à rigoroſo Decreto &c. illud differre, facilè concludes.

Reſcriptum largè ſumptum dividit Zoeſius *tit. de Reſcript. num.* 5. in Reſcriptum ſecundùm Legem, præter Legem, & contra Legem. Reſcriptum ſecundùm Legem eſt illud, quod ad apices juris, & obſervato rerum uſu datur: Reſcriptum præter Legem circa ea verſatur, vel, quæ jure deciſa non habentur, uti ſunt Litteræ beneficiales, vel, quæ ſupplicanti ex pura Principis liberalitate, aut benevolentia conceduntur, nec ſunt ſecundùm jus, nec contra illud, & ideo propriè *Beneficia Principis* nuncupantur: Reſcriptum verò contra Legem eſt id, quod contra communes juris regulas Oratori conceditur, quemadmodum fit in diſpenſationibus, privilegiis &c. Videtur quidem tale Reſcriptum omni valo-

re

re carere, cum *Leg. Reſcript. C. de precib. Imperat. offerend.* & *Can. Reſcripta* 25. *q.* 1. expreſsè dicatur: *reſcripta contra jus elicita, ab omnibus judicibus refutari præcipimus, niſi fortè aliquid eſt, quod non lædat alium, & proſit petenti, vel crimen ſupplicationibus indulgeat*, hoc tamen ſubſiſtere dumtaxat cenſendum eſt, ſtante dubio, an Princeps contra jus commune gratiam concedere voluerit; ſtante enim hujuſmodi dubio, Princeps ob negotiorum copiam præventus, vel Reſcriptum importunitate obtentum eſſe præſumitur *Gloſ. cap.* 1. *verb. noſcatur de Conſtit. in* 6. *Fagnanus in c. cauſam tit. de reſcript. Reiffenſtuel &c.*

Si econtra de certa Principis ſcientia, & gratioſa ejus voluntate plenè conſtet, Reſcriptum, etiam contra jus editum, valere ambigendum non eſt, vocaturque *ſpeciale Privilegium.*

Celebrior, & doctior eſt apud Juriſperitos, & Lexicographos diviſio Reſcriptorum in Reſcripta gratiæ, juſtitiæ, & mixta; cum enim à tenoris vel materiæ qualitate Reſcripta ſuum nanciſcantur intellectum & formam *Cap. Sedes de Reſcript. cap. inter §. Cæterum de fid. Inſtrument. &c.* & vel gratia, vel juſtitia disjunctim, vel gratia & juſtitia conjunctim, materiam Reſcriptorum concludant, dicta diviſio meritò ſolemnior retinetur, & omnis alterius mentio hîc omittitur. Sunt autem Reſcripta gratiæ illa, quæ ex mera Principis clementia procedunt, cum gratiam facere ſit imminuere, vel relaxare juris rigorem, quod Principis eſt. Reſcripta Juſtitiæ econtra ea ſunt, quæ jus adminiſtrari præcipiunt cum cauſæ cognitione, & debent eſſe perennia, ſicut explicat Accurſius *in L.* 2. *de diverſ. Reſcript.* dicens: *quæ ad jus reſcribuntur, perennia eſſe debent*. Eſtque in iis cognitio cauſæ neceſſaria, citatis illis, quorum intereſt, ob clauſulam iis apponi ſolitam: *Si ita eſt*, vel *ſi conſtiterit &c.* cujus vigore Reſcripta admittunt probationes & exceptiones in contrarium. Reſcripta autem mixta ſunt illa, quæ gratiam & juſtitiam inſimul continent, uti foret, ſi Papa alicui beneficium conferat, ſimulque Executorem, collatâ ei rebelles coercendi poteſtate, conſtituat.

SECTIO II.

De Partibus Reſcriptum conſtituentibus, & ejuſdem Clauſulis.

CElebris, & in Curia Romana plurimùm commendatus P. Anacletus Reiffenſtuel, Ord. Min. S. P. Franciſci Reformatorum, Provinciæ Bavaricæ, cujus doctrina in Curialium ſcripturis paſſim citatur, tribus partibus Reſcriptum conſtare docet *lib.* 1. *tit. de Reſcript. fol. mihi* 126. *n.* 8. Narratione videlicet, ſupplicatione, & concluſione *citans Baldum in c. ſuper litteris n.* 14. *de Reſcript. Engel. eod. tit. n.* 6. *&c.* Priores duas eſſe partes extrinſecas, facilè, & inde deducitur, quod ſe contineant ex parte Oratoris, deſiderium ſuum, hujuſque, quibus ſuffulcitur, rationes, Principi exponentis, eumque pro favore Reſcripti ſupplicantis: concluſio econtra eſt pars intrinſeca, ſeu potius ratio eſſentialis & conſtitutiva Reſcripti, qua Princeps mentem ſuam manifeſtat.

Qui ad Reſcriptorum diviſionem reflectit, eorum materiam eſſe, & gratiam, & juſtitiam, vel diviſivè, vel copulativè ſumptas, illico concludet: forma autem illorum, eſt ipſa verborum expreſſio & tenor, voluntatem Principis declarans.

Hic ita ſervari debet, ut, ſi ſubſtantiale quid non ſervari contingeret, actus ſequens ipſo jure foret irritus, & nullus, uti patet *c. cum dilecta* 22. *de Reſcript.* qui enim excedit, aliud quid facere videtur, aut ageret poteſtate, quam non habet. Subſtantiale autem quid eſſe præſumitur, tum, ſi Princeps certum procedendi ordinem præfigat, tum, ſi forma alia, quàm jus requirit, præſcribatur, tum, ſi clauſula *non aliter*, vel, *ſi ſecus fiat, irritum ſit &c.* Reſcripto addatur, hæc enim ſignat expreſsè mentem Reſcribentis, ac in caſu contrario voluntatem ejus abeſſe notat.

Præter dictam clauſulam limitat Reſcriptum & alia, quæ eſt: *Si ita eſt*, vel, *ſi preces veritate nitantur*. Quamvis etiam hęc appoſita non videretur, eam tamen ſemper ſubintelligendam eſſe clari juris textus probant, inde & Rota *Deciſ.* 318.

n. 12. *part.* 18. *tom.* 2. ait, habere Reſcripta in ventre tacitam conditionem, *ſi preces veritate nitantur*, falſus enim precator gaudere non debet impetratis *c.* 2. *& cap. Sedes Apoſtolica de Reſcript.* Imò de rigore juris Civilis, dictam Clauſulam Reſcripto expreſsè inſeri ita neceſſe eſt, ut ea deficiente Reſcriptum non valeat *l. ult. C. de diverſ. Reſcript.*

Alia Clauſula eſt, *ſalvo jure alterius*, hæcque pariter ſi in Reſcriptis tum gratiæ, tum juſtitiæ expreſſa non ſit, ſubintelligi debet; nam Princeps nullius juri derogare intendit, & econtra hoc cuilibet illæſum ſervari cupit, niſi contrarium exprimat. *c. Paſtoralis* 19. *de Privileg. &c. c. de Eccleſiaſticis* 25. *q.* 2. *c. ad aures tit. de Reſcript.* Præſertim autem de Papa, qui poteſtate in ædificationem, & non in deſtructionem utitur, hoc preſumi debet; Si tamen præjudicium nonniſi modicum foret, illud æſtimari non ſolet. *Pirhing. de Reſcript. n.* 39. *& Gloſſa marginal. fin. c.* 1. *diſt.* 85. *Reiffenſtuel loco cit. f.* 140. *n.* 142. Præter has clauſulas generales, dantur & aliæ ſpeciales, quæ pro qualitate & ratione materiæ ſubiectæ Reſcriptis inſeri conſueverunt, de quibus & Sectiones ſequentes, & conſulendi Juriſconſultorum libri opportunius lumen dabunt.

SECTIO III.

De Perſonis, quæ reſcribunt, & quæ Reſcripta impetrare poſſunt, ac de Reſcriptorum effectu, & tempore, quo operari incipiunt.

PRincipem, cujus eſt gratias concedere, & Juſtitiæ curſum dirigere, ad libellos reſcribere, ex prelibatis neceſſariò infertur. Inde, ſi generalem hanc aſſertionem ad Curiam Romanam in ſpecie contrahamus, in illa Papa, omneſque illi, quibus ille poteſtatem ſuam communicat, aut delegat, reſcribere dicendi ſunt. Ambigere de Papa non licet, quem Principem ſcimus, & contra Sectarios credimus, inſignitum poteſtate, tum temporali, tum Eccleſiaſtica, quam in duplici gladio, à Petro Chriſto olim per verba *Domine, ecce duo gladii hîc*, præſentato, expreſſam eſſe Interpretes aſſerunt. Illi autem,

qui

qui ab ipſo reſcribendi facultatem habent, ſunt tum ii, quibus & vivæ vocis oracula data eſſe, in Iſagoge *tom.* 2. commemoravimus, tum & alii, quos Ordo Curię reſcribere in quotidiano exemplo monſtrat, & inter quos Illm̃um D. Secretarium Memorialium magis, ac ullum alium moleſto hoc onere occupari teneo.

Impetrat generali illatione Reſcriptum, quicunque jure expreſsè non prohibetur, habetque hîc locum Axioma illud; *conceſſum intelligitur, quod expreſsè non prohibetur*, & deſumitur *ex c. jam nunc* 28. *q.* 1. *& c.* 1. *de Procurat. in* 6. *cum ſimilibus*.

De iure autem civili excluduntur Servi, ſeu mancipia propriè dicta, quibus Principibus ſupplicare, & Reſcriptum impetrare variè vetitum eſt. Si tamen Princeps ſervilem conditionem ſciviſſet, Reſcriptum valere docet *Gloſſa in l. univerſis c. de prec. Imperat. V. vel Servo*.

Eodem jure coërcentur à Reſcriptis impetrandis Hęretici iuxta textum expreſſum *in l.* 2. *C. de ſumma Trinitate: Scient omnes, etiamſi quid ſpeciale quolibet Reſcripto per fraudem elicito ab hujuſmodi hominum (Hæreticorum) genere impetratum ſit, non valere*. Procedit quidem textus de Reſcriptis Imperatoriis, cum tamen Hęretici ipſo iure ſint excommunicati, *c. excommunicamus* 13. *de hæreticis*, etiam Jure Canonico illos à Reſcriptis impetrandis excluſos eſſe conſequitur ex articulo, quo Excommunicatum excommunicatione maiore quemcunque (extra cauſam excommunicationis vel appellationis pro ſui defenſione) Reſcriptum Papale impetrare non poſſe, ex communi & ex *cap. Dilectus* 26. *de Reſcript.* ſtatuitur, cenſeturque in hypotheſi Reſcriptum huiuſmodi ſubreptitium tum, quia vitium, quod eum contaminat, tacuit, tum, quia communioni, hominum, qua propria malitia eum privavit, ſeſe ingeſſit, dignumq;pœnæ reddidit *c. illud de Cler. excom. miniſt.* unde & diſſonum foret, ut ex eodem facto, quo ſe culpabilem fecit, beneficium conſequeretur. Quod totum firmat textus expreſſus in *c.* 1. *de Reſcript. in* 6. *Ipſo jure Reſcriptum vel Proceſſus per ipſum habitus non valeat, ſi ab Excommunicato ſuper alio, quàm excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum*.

No-

Notetur autem bene, concluſionem procedere tum Signanter circa Reſcriptum Pontificium, non circa Imperatorium, aut ab aliis Papâ Inferioribus emanatum, cum textus memoratus eo ipſo, quod ſit odioſus, non extendi, ſed reſtringi debeat, tum expreſsè circa irretitum excommunicatione majore, cum minor privet duntaxat participatione Sacramentorum &c. *c. ſi celebrat de Cleric. excom. miniſtr.* & impetrationem Reſcripti per eam impediri nullibi caveatur.

Nec ſolùm Excommunicatus excommunicatione majore prohibetur impetrare Reſcriptum per ſemetipſum, ſed neque etiam per Procuratorem *arg. c. ult. de Procur.* ubi Gloſſa marginalis rejicit Sententiam Gloſſæ primæ, oppoſitum tenentis. Neque poteſt tale obtinere pro alio, quamvis non excommunicato *arg. c. decernimus* 8. *de Sentent. excom. in* 6. quod & procedit, ſive excommunicatio ſit publica vel occulta, cum jura non diſtinguant, & indiſtinctè de Excommunicato loquantur. Ideo autem caſus excommunicationis, vel appellationis excipiuntur, ne excommunicatus media juſtæ defenſionis, quorum unum contra quodlibet injuſtum gravamen per modum appellationis, aliud verò per modum ſimplicis, querelæ contra ipſam excommunicationem injuſtam, ſuppeditatur, ſibi ſubtracta fuiſſe unquam conqueri queat.

Reſcriptum ab Excommunicato obtentum eſt nullum non ſolùm ope exceptionis, ſed & ipſo jure, & quidem etiam in caſu, quo excommunicatio foret occulta, aut excommunicatus non eſſet vitandus: & ſcitè utramque partem tenet Reiſenſtuel *loco cit. fol.* 130. *n.* 46. *& ſeq. citans Barboſam, Abbatem, Felinum, Pirhing.* hunc rigorem in excommunicationis odium adhibitum eſſe aſſerens, & excommunicatis, etiam toleratis, nullum favorem à Concilio Conſtantienſi factum eſſe exinde probans, quod hoc Fidelibus innocentibus conſulere voluerit, & excommunicatos tolleraverit, ne illi cum hiſce communicando cenſuram incurrerent, hinc & in fine, *ſe non intendere per hoc Excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari*, apertè declarat, ac proteſtatur. Intelligenda quoque eſt hæc Reſcripti nullitas tam pro foro externo, quàm interno, & ante Sententiam Judicis condemnatori-

tori-

toriam ſeu declaratoriam. *Suarez diſp. 17. de cenſuris Sect. 1. n. 4. Sylveſt. V. Reſcriptum q. 2. & alii* contra Navarrum, cum excommunicatio habeat pedariam executionem, & leges meram pœnam ſpiritualem inferentes, aut invaliditatem ad aliquem actum inducentes, non requirant Sententiam Judicis, uti in exemplo excommunicationis in percuſſores Clericorum latę patentius liquet.

Ex quibus & ratio, ob quam litteris Apoſtolicis abſolutio ab Excommunicatione & cenſuris inſeritur ad cautelam, fluidè detegitur: operatur enim illa, ut, ſi quis in excommunicatione conſtitutus Reſcriptum obtinuerit, validè ac licitè pro foro interno eo uti poſſit, cum vi dictæ abſolutionis vinculo ſuo liberetur, ſaltem ad effectum Reſcripti conſequendum. Si tamen abſolutio primùm Reſcripto ſuperveniret, hoc ſemper nullum foret, cum fuerit impetratum ab Excommunicato.

De Reſcriptorum effectu varia eſt Doctorum opinio, quorum aliqui tam reſcripta gratiæ, quàm juſtitiæ vim legis habere deducunt, tum ex *l. 1. ff. de Conſtit. Princ. & §. ſed & quod Principi, inſtit. lib. 1. de jure nat. gent. & civil. Quod Principi placet, legis vigorem habet*, tum ex Antonomaſia, qua dicuntur *privilegia*, quaſi privatorum leges, privant enim legem ſuo effectu, dum ſeorsìm â Lege Generali aliquid ſtatuitur *cap. privilegium diſt.* 3. Alii tamen hujuſmodi vim iis denegant, ex ratione, quod non pro tota Communitate ferantur, nec ſolemniter publicentur, tendantque unicè ad favorem Perſonarum particularium. Et quamvis corpus tam juris Canonici quàm Civilis abundet Reſcriptis vel Pontificum vel Imperatorum, datis ad perſonas particulares, uti ex eorum initio patet, *conſuluiſti*, *inſinuante*, *poſtulaſti &c.* & conſectariò vim Legis habeant, juſque conſtituant univerſale, hoc tamen ex primęva ſua origine, quâ Reſcripta fuêre, non habent, ſed id acquiſivêre, dum publica auctoritate in corpus juris fuêre relata, & veluti Leges communes acceptatæ. Accedunt tamen hi Auctores primorum opinioni, & Reſcriptis *inter partes* vim Legis attribuunt. Ita in ſpecie ſentit Felinus *ad rubr. tit. de Reſcript. num.* 1.

poſt

poſt Jo: Andream & alios, idque fundat in enuntiato textu: *quod Principi placet, Legis vigorem habet.*

Sine contradictione autem, & in conſequentiam Reſcripta vim Legis aſſumerent, ſi Princeps interrogatus per privatum ſuam de dubio articulo reſcriberet interpretationem, & mentem, cum in tali caſu cenſeatur hæc Reſcripto ab initio infuiſſe: *Auth. de Raptis mulieribus ff. fin. collat.* 9.

In his dum Reſcripta tum gratiæ, tum juſtitiæ concordant, diſcrepant tamen quoad tempus, quo valorem ſuum acquirunt. Reſcripta Juſtitiæ, præſertim Pontificia, hunc ſortiuntur tempore *præſentatæ*, ſeu factæ præſentationis, *Gloſſa ad cap. penult. de Reſcript.* & econtra Reſcripta gratiæ à die conceſſionis, ſeu tempore *Datæ*, *c. Eam de Reſcript.* contrariâ conditione non appoſitâ: provenitque diſparitas ex eo, quod Judex ante Reſcriptorum gratiæ præſentationem nullam habeat juriſdictionem efficacem, dum econtra Reſcripta gratiæ eo inſtanti, quo expedita ſunt, nanciſcuntur (alio non obſtante) ius quęſitum & ideo *c. Eum cui 7. de præb. in 6.* ſummarium concludit *in impetratione beneficiorum inſpicitur Data, non præſentatio, vel receptio.*

SECTIO IV.

De Præſentatione, & Interpretatione Reſcriptorum.

INtra annum Reſcripta juſtitiæ, & ad lites, habitâ Judicem delegatum accedendi copiâ, pręſentari debere communior eſt Juriſperitorum ſenſus, fultus *in c. Si autem 9. & c. plerumque 23. de Reſcrip.* Aliàs ſi Impetrator dolo vel negligentiâ, hujuſmodi Reſcriptum ultra anni ſpatium teneret otioſum & ſuſpenſum, & interea prodiret ſecundum, hoc, etiamſi de primo non faceret mentionem, contra primum valeret, & ita in pœnam doli, cui indulgendum nunquam eſt, ſtatutum eſſe refert Reiffenſtuel cum aliis, Videtur quidem,

quod *c. cœterum* 3. *de Reſcript.* Reſcriptum ſecundum de primo mentionem non faciens, nullum declaretur; limitandum autem eſt hoc Capitulum ad normam *cit. c. Si autem & c. plerumque*, & intelligendum Reſcriptum ſecundum, primum non memorans, eſſe caducum, ſi Impetrator ſuum inter annum exhibuit, ſeu præſentavit. Notâ autem digna eſt reflexio, quod Reſcriptum primum, tunc ſolum vi ſuâ deſtituatur, quando effectivè ab Adverſario eſt obtentum ſecundum, aliàs non dato realiter ſecundo, primum eſt perpetuum, juxta textum ſingularem *l. falſo aſſeveratur c. de diverſ. Reſcript.* duratque tanto tempore, quanto durat actio cauſæ, ob quam impetratum eſt. Præſentatio autem Reſcripti non probatur per aſſertionem Judicis, ſeu Executoris, niſi actus præſentationis ſit extensè ſcriptus, & Reſcriptum originaliter in actis regiſtratum. *Rota deciſ.* 142. *num.* 2. *part.* 2. poteſt tamen probari per teſtes. *Eadem, Deciſ.* 153. *num.* 17. *part.* 5. *tom.* 1. *Recent.*

Reſcripta gratiæ, & ad beneficia, terminum temporis, intra quod præſentari debent, pręfixum non habent, cum regulariter ſint perpetua, adeo, ut nec morte concedentis (ut infra de eorum duratione dicetur) exſpirent, & in jure veſtigium de pręfixo hujuſmodi tempore non reperiatur.

Arctat tamen & hanc aſſertionem caſus doli & negligentiæ ſupinæ vel notabilis: doli, cui nunqnam favendum eſt; negligentiæ, quæ in ſpecie pręjudicat Reſcriptis ad beneficia: hinc in Curia Romana, quando duæ literę beneficiales ad eandem Eccleſiam expeditę ſunt, primę quidem retinent ſuam vim contra ſecundas, verificatâ tamen condiditione: *dummodo tamen dolus tibi (priores litteras obtinenti) non poſſit, vel notabilis negligentia imputari.*

Quandonam autem quis in præſentandis Reſcriptis gratioſis præſumatur negligens, jus non definit, & ideo illud arbitrio Viri Sapientis & probi, vel Judicis relinquit *Gloſſa in c. Si Clericus v. negligenter*, qui & inſpecta Perſonæ qualitate, loci diſtantiâ, ratione cauſæ &c. juſtum ſemper judicium formare poterit.

Ea, quæ interpretationem Reſcriptorum concernunt,

apud

apud Juriſconſultos ſatis fusè & amplè deducta invenio, certiora ex iis ſeligo & excerpo, teneoque cum iis, in Reſcriptis tum juſtitiæ, tum gratiæ, in quibus verba ſunt clara, propriam ſignificationem, communemque loquendi uſum attendi debere, ita *Abb. in c. cauſam quæ n.* 1. *& c. Nonnulli n.* 5. *de Reſcript. Innocentius, Bartolus, & alii, cum L. ille aut ille* 25. *ff. de Legatis III. dicatur, cum in verbis nulla eſt ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæſtio.*

Speciatim autem loquendo de Reſcriptis juſtitię, debent hęc, aut in dubio, aut, ubi de contraria Principis voluntate non conſtat, ſecundùm jus commune intelligi; Reſcriptum enim juſtitię conceditur ad juris obſervantiam, nec debet juri communi contrariari, alioquin aut non operatur *c. Reſcripta* 25. *q.* 2. aut mutat nomen Reſcripti, converſum in privilegium.

Hęc eadem juſtitię Reſcripta, ſtrictam requirunt interpretationem, ac ideo ad caſum vel Perſonam in iis non expreſſam non debent extendi. *Gloſſa in cap. nonnulli* 26. *V. Lites reſtringendæ tit. de Reſcript. Rota Deciſ.* 214. *num.* 3. *part.* 2. nam per Reſcripta contentioſa detrahitur Judicum Ordinariorum juriſdictioni, daturque anſa & materia litium, hinc cenſenda ſunt odioſa, & ideo reſtringenda. Stante dubio, debent intelligi, prout de jure, & ad juris terminum redigi, *Rota variè & in ſpecie Deciſ.* §. 558. *num.* 5. *par.* 1. Vel opus eſt redire ad ſignaturam Principis pro declaratione *Eadem, Deciſ.* 416. *n.* 3. *p.* 4. *tom.* 1. Mutuant quidem aliquando interpretationem à Stylo Curię Romanę. *Eadem, Dec.* 194. *n.* 3. *p.* 3. nunquam autem eam admittunt ex conſenſu partium, pręſertim ſi à forma Reſcripti patenter recedatur *Rota Deciſ.* 222. *n.* 4. *p.* 4. *tom.* 1.

Reſcripta gratię econtra, quę nulli inferunt pręjudicium, ampliſſimam admittunt interpretationem, ſi enim hęc Principis intentioni adverſaretur, ipſemet eam opportunè & facilè impedire potuiſſet, excipiendo, reſtringendo &c. pro ſuo beneplacito, hinc *c. quia circa* 22. *de Privil.* illimitatè ſtatuitur, quod, *cum nihil exceperit & potuerit excepiſſe, in beneficiis pleniſſima ſit adhibenda interpretatio.* Limita-

tatur tamen hic ſavor in materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum, circa quę Reſcripta coarctari expreſsè cavetur *c. Quamvis* 3. *de Præb. in* 6. ubi legitur *quamvis pleniſſima ſit aliàs in beneficiis interpretatio facienda, litteræ tamen ſuper obtinendis beneficiis debent, cum ſint ambitioſæ, reſtringi.*

SECTIO V.

De Reſcriptorum duratione.

SParſa qui advertit in Corpore noſtri Bullarii Pontificia Reſcripta, digniorem & hujus Sectionis lectionem de ſe judicabit, ut, dum illorum duratio in quæſtionem trahitur, promptiore reſponſo veritati obvietur. Inde Reſcripta Juſtitiæ, re adhuc integrâ, morte concedentis exſpirare, ex vulgari juris regula tenendum eſt, habeturque hoc in ſpecie & clarè deciſum *c. Licèt undique* 30. *de offic. Deleg.* tenetque robur ſuum concluſio in caſu, etiamſi Delegatus mortem Delegantis ignorâſſet, cum juriſdictio effectivè necdum tranſiverit in Delegatum, ſuppoſitâ re adhuc integrâ, ſeu illius uſu necdum inchoato *c. Quamvis de offic. Deleg. in* 6. ignorantia autem ſola juriſdictionem non tribuat, eam non habenti. *l. privatorum C. de juriſdict. omn. Jud.* Si tamen error communis concurreret, valet proceſſus, cum hic ignorantiæ junctus tribuat jus *L. Barbarius ff. de offic. Præt.*

Sub pari rei adhuc integræ conditione exſpirat quoque Reſcriptum Juſtitiæ, Delegante ab officio ſuo ceſſante, ſive dein ceſſet per renuntiationem, promotionem, aut aliam quamcunque diſpoſitionem. *Bartolus in Leg. more majorum n.* 16. *ff. de juriſd. omn. Jud. Sanchez L.* 8. *de Matrim. diſp.* 28. *n.* 56. *& alii*, par enim eſſe videtur ratio de ceſſatione ab officio, ac de morte, cum uterque caſus terminet officium & juriſdictionem Delegantis

Res autem & cauſa non amplius integra dicitur, quando jam ante mortem Delegantis facta eſt per Delegatum citatio partis, hancque ad perpetuandam juriſdictionem delegatam ſufficere tradit *Abb. in c. relatum n.* 5. *de Offic. Deleg.*

leg. & cum eo tenet Maranta *in ſpeculo aureo part.* 4. *diſt.* 5. *n.* 61. dicens, opinionem hanc eſſe communem. Ut enim juriſdictio Delegati reſpectu partium firmetur, juris actum inter has interceſſiſſe neceſſum eſt: primus autem juriſdictionis contentioſæ actus eſt citatio, *c. quoniam contra II.* §. *Statuimus de probat.* Sufficit quoque, hanc à Delegato eſſe emanatam, etiamſi ad partes non devenerit, *Gloſſ. in Clem.* 2. *v. ad partem ut lite &c.*

Non deſunt quidem, qui rem deſinere eſſe integram prætendunt primùm per litis conteſtationem, fundantq; opinionem ſuam in dicto *c. relatum*, in quo Pontifex ita loquitur: *Si Delegans ante litis conteſtationem deceſſit, non eſt à Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujuſmodi procedendum*, tollitur tamen hæc Antinomia à Gloſſa in dicto *c. relatum*, aſſerens, illam Papæ Lucii III. Decretalem fuiſſe correctam per ſequens *c. Gratum* 20. *de Offic. Delegat.* coeuntque in partem hujus Doctrinæ Tancredus, Goffredus, Decius, Layman &c. qui cum Reiffenſtuel addunt, Lucium III. tutiorem tenuiſſe partem, Urbanum verò III., immediatum illius Succeſſorem, amplexum eſſe partem benigniorem, videlicet ſufficere ad perpetuandam Delegantis juriſdictionem, citationem hoc vivente factam, cum per hanc *negotium ſit cœptum*.

Sicut autem Reſcripta Juſtitiæ durant Principe vivente, ac etiam illo vitâ functo, citatione tamen ſecutâ, ita & durant pariter, vel Principe vivente, vel eo mortuo *in Exemplo*, & ideo illa, quantumvis à privato impetrata, *in exemplum*, communiter, & ad differentiam Reſcriptorum gratiæ quæ juxta mox dicenda, Perſonas impetrantium non egrediuntur, *trahi ſolere* aſſeritur, firmant enim quoad modum deffiniendi, & decernendi ſtatum, conſtituuntque legem in ſimilibus caſibus, & probatâ extremorum ſeu expoſitorum veritate allegabilem. Ejuſmodi Reſcripta ſunt Reſolutiones (quæ & Decreta aliquando nominantur) Sacrarum Congregationum in materia Juſtitiæ emanata; emergente enim lite Sacra Congatio, quęcunque illa ſit, partem, de cujus vel jure, vel præiudicio, vel intereſſe agitur, citari iubet, perpenſiſque

ad

ad tramites juris partium rationibus, Reſcripta in conſimili caſu, eiſdemque facti circumſtantiis lata ſeu edita, *in exemplum* trahit, mandatque illa *dari* ſeu *communicari* partibus die, menſe, & anno eorum individuatis, quin novum quid deſuper reſcribat.

Alia econtra eſt Reſcriptorum gratiæ regula, & in iis diſtinguendum: vel enim continent gratiam jam factam, vel adhuc faciendam? facta ſi jam ſit, Reſcripta ſunt ita perpetua ad favorem impetrantis, ut morte concedentis ſubſequente non exſpirent, re licet adhuc integrâ, uti patet *ex c. ſi ſuper gratia* 9. *de Offic. Delegat. in* 6. *Rot. Deciſ.* 473. *n.* 4. *p.* 2. *Recent.*, Privilegium enim alicui conceſſum auferendum non eſt, nec adversùs illud conſtituendum *cap. indultum* 17. *de regulis juris in* 6. preſertim ſi ſtatim effectum habeat, & in alterius damnum non vergat. Si autem gratia foret facienda, illa, exſpirante concedente, pariter exſpirat; & ratio diſparitatis in propatulo & hęc eſt, quod in caſu gratię factę, ille, cui facta eſt, ius iam acquiſiverit, dum econtra in Reſcripto gratię faciendę, nullum adhuc ius eſt quęſitum.

Exſpirant itidem cum concedente Reſcripta gratiæ conceſſæ per clauſulam *uſque ad beneficium noſtrum*, uti deciſum habetur *in c. ſi gratiosè* 5. *de Reſcript. in* 6. Si autem apponeretur clauſula, *uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, duraret perpetua, à Succeſſore non revocata: nec exſpiraret morte concedentis, cum ad revocationem requiratur actus poſitivus contrarius, qualis ſola concedentis mors non eſt; aliud enim eſt voluntatem ceſſare, & aliud eam revocari: per mortem fit prius, per factum exprimens revocationem ſequitur poſterius.

Exſpirant & viâ renuntiationis Reſcripta gratiæ, ſi in ſolum impetrantis favorem ſint edita, cum cuilibet *ex c. ſi diligenti de foro compet.* licitum ſit renuntiare juri ſuo. Si tamen illa continerent favorem plurium, quilibet quidem, quatenus concludunt favorem ſuum, & non lędunt favorem alterius, eiſdem renuntiare poteſt ex *c. cit.* Manca & caduca econtra foret renuntiatio, ſi lęderetur favor tertii, & quidem in jure jam quęſito &c. *L. id quod noſtrum ff. de reg. juris.*

Nec

Nec durant *in exemplo*, prout de Reſcriptis juſtitiæ dictum eſt, quod enim alicui gratiosè conceditur, ab aliis trahi non debet in exemplum, *c. quod alicui de reg. juris in 6.* cum ita conceſſum induat rationem privilegii perſonalis, quod Perſonam Impetrantis non egredi firmat *cap. privilegium de iiſd. reg. juris in 6.*

SECTIO VI.

De Reſcriptorum erroribus, & in ſpecie de ſubreptione, & obreptione.

Reſcripta vitiis aliquando affici, eorumque legalem puritatem contaminari, docet experientia, fundata in conditione humanæ fragilitatis, dum ſæpius vel errore ſimplicitatis, vel peccato malitiæ, à jure ſubſidium, vel à Principe beneficium quæritur, eoipſo nullum, quod ſupplicatio, vel dicto errore contra Legis Statuta, vel dicto peccato contra juſtitię vel veritatis tramites affecta reperiatur. Derivant ex hoc vitioſo ſimplicitatis vel malitiæ fonte ſpeciatim obreptio & ſubreptio. Magnâ ambage quęrunt inter has Juriſconſulti differentiam, eandemque conſtituunt in hoc, quod obreptio committatur per falſi narrationem, & econtra ſubreptio per veri reticentiam: Auctores hos amplè citat, & ſequitur Menochius *de arbit. Jud. caſ.* 201. *n.* 9. cum iiſque tenet vitium obreptionis, quâ falſum exprimitur, majus eſſe vitio ſubreptionis, quâ verum reticetur. Alii autem Reſcriptum obreptitium illud appellant, quod ſub callido verborum involucro, aut æquivoco eorum ſenſu impetratur, & econtra ſubreptitium illud dicunt, quod expreſsâ falſitate, vel ſuppreſsâ veritate obtinetur.

Alii econtra obreptionem & ſubreptionem confundunt, &, quod dicitur de una, referunt & ad aliam. *Ita Abb. c. cum dilecta 7. de Reſcript. Jaſon. in L. præſcriptione n.* 1. *c. ſi contra nos. Fagnanus. c. ſuper litteris n.* 5. *de Reſcript.* ubi Auctores contrarios ratione & auctoritate doctè refellit. Liti me

non

non immiſceo, & cum P. Reiffenſtuel ſaltem in hac Reſcriptorum materia illas non differre teneo, cum concurrente malitiâ obreptio, vel ſubreptio Reſcriptum maculent, illudque ſuo deſtituant valore: eruitur hoc manifeſtè *ex cit. c. ſuper litteris*, ubi Pontifex de Reſcriptis Juſtitiæ ita loquitur: *Quod ipſi in ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex iis litteris commodum conſequantur, ita videlicet, quod Delegatus (poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides) nullatenus de cauſa cognoſcat*. Veritate autem occultatâ, vel falſitate expreſsâ per ignorantiam, aut ſimplicitatem Pontifex *eodem c.* diſtinguendum ſtatuit, *quæ falſitas ſuggeſta fuerit, vel quæ veritas occultata: nam ſi talis expreſſa ſit falſitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuiſſet tacita, vel expreſſa, Nos nihilominus (ſaltem in forma communi) litteras dediſſemus, Delegatus, non ſequens formam in litteris ipſis appoſitam, ſecundùm ordinem juris in cauſa procedat. Si verò per hujuſmodi falſitatis expreſſionem, vel ſuppreſſionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expreſsâ, Nos nullas prorſus litteras dediſſemus, à Delegato non eſt aliquatenus procedendum, niſi forſitan eatenus, ut partibus ad ſuam præſentiam convocatis, de precum qualitate cognoſcat*. Ex quo *Abb. ibi n.* 5. tres conficit regulas, quarum *prima* dicit, ſubreptionem doloſam vitiare Reſcriptum in totum: *ſecunda*, ſubreptionem ex ignorantia vel ſimplicitate, ſi fuit cauſa obtinendæ ſolius formę Reſcripti, ſubſtantiam hujus non inficere, caſu quo Princeps aliàs, expreſſa etiam veritate vel falſitate, Reſcriptum dediſſet: & *tertia* ſtatuit Reſcriptum in totum vitiari, ſi Princeps illud non dediſſet, etiamſi ex ignorantia vel ſimplicitate veritas fuerit ſuppreſſa, vel falſitas ſuggeſta.

Ipſo iure Reſcriptum gratię ſubreptitium eſſe nullum, deſumitur *ex c. ult. de Fil. Presbyt. in 6.* ubi dicitur: *Talis diſpenſatio, velut per ſubreptionem obtenta, nullius penitus eſt momenti*. Reſcriptum verò Juſtitię ſubreptitium, non ipſo iure, ſed ope exceptionis annullatur, *Fagnanus* & alii *in cap. ad audientiam XI. de Reſcript.* & fundatur aſſertio in ipſa Reſcriptorum differentia, nam in Reſcriptis gratię ne-

gotium

gotium illico finitur, & acquiritur jus ab Impetrante, & econtra in Reſcriptis juſtitiæ præparatur tantùm ad finem cauſæ; debetque negotium per Judicem, cui cognitio cauſæ committitur, expediri, quin Impetrans jus quoddam acquirat.

Subreptio contingens in una parte Reſcripti plures partes habentis, non vitiat totum, ſi illa non fuit doloſa, ſed eam partem dumtaxat, cujus fuit cauſa, & quæ aliàs à Principe non fuiſſet conceſſa. *Abb. in c. Super Litteris n.* 2. *Fagnanus eod. c. n.* 24. Quando verò ſubreptio in Reſcriptis tum juſtitiæ, tum gratiæ eſt doloſa in una parte, afficit & inficit totum, Idem Abb. cum Fagnano, qui hoc in pænam doloſi ſtatutum dicit *in text. c.* 1. *&* 2. *de Fil. Presb. -- In ſuæ perverſitatis pœnam nullum ex iis litteris commodum conſequatur* & *in c. Sedes Apoſtolica* 15. *de Reſcript. -- quia fraus & dolus ei patrocinari non debeat, & ideo tanquam mendax precator careat penitus impetratis*. Inter quæ verba ſpeciali notâ ſignari debet adverbium vel dictio *penitus*, quæ, utpote præciſa, nullam exceptionem admittit *l. ambigendum C. de uſufructu*. Doctrinæ huic, utut ſolidæ, plures adverſantur Auctores, per ſubreptionem doloſam capitulum illud duntaxat, in quo dolus contingit, vitiari contendentes, ex ratione, tum, quod in hujuſmodi caſu duo veluti Reſcripta eſſe cenſeantur, tum quod textus citati ſint pœnales, & ideo ab uno Capitulo ad aliud non debeant trahi, nec eorum qualitates commiſceri, tum, quod juxta regulam juris in 6. *utile non debat vitiari per inutile*. In hoc ſententiarum conflictu Reiffenſtuel. *lib.* 1. *tit.* 3. *de Reſcript. n.* 179. *fol. mihi* 144. ſeligit, defenditque primam, ceu probabiliorem, jurique magis conſonam, & dum ſubſiſtentiam duplicis primæ rationis, in ſecundæ ſententiæ favorem adductę, abſolutè negat, citatam juris regulam diſtinguit, & utile per inutile non vitiari debere conſentit, ſi jure expreſſum contrarium non reperiatur, prout reperiri ait per textus oppoſitos & *Gloſſ. in c. pura* 3. *q.* 9.

Contingit & obreptio ſeu ſubreptio in aliis duabus cauſis, videlicet in cauſa motiva, quę & primaria & finalis dicitur, & impulſiva, quam & ſecundariam appellant: Cauſa

d mo-

motiva eſt illa, quâ non datâ, Princeps aut abſolutè non, aut ſaltem non niſi limitatè, dediſſet Reſcriptum: impulſiva verò eſt ea, quâ non exiſtente Princeps in favorem quidem reſcripſiſſet, ſed non tam facilè. Ex quo cauſam primam, ipſam conceſſionis ſubſtantiam, & econtra ſecundam, modum conceſſionis afficere, fluit.

Porro ſubreptionem ex cauſa motiva vitiare Reſcriptum, illudque reddere nullum patet, tum ex ipſa cauſę hujus definitione, tum ex variis utriuſque juris textibus. Quod & ſubſiſtit, etiamſi ſubreptio contingat, vel per taciturnitatem veri, vel ſuggeſtionem falſi, cum hę inter ſe parificentur, & Oratorem reddant reum doli & mendacii, quod non ſolùm dicendo, ſed & tacendo committitur. *L. ea, quæ commendant, ubi Bart. n.* 1. *hoc inducit ad teſtes. ff. de contrah. empt. Jaſ. in l. præſcriptione in* 2. *not. C. ſi contra jus, vel utilitatem publicam.* Habetque locum tum in Reſcriptis contentioſis, tum in gratioſis, imò potius & fortiore ratione in hiſce, *Fagnan. in c. ſuper Litt. n.* 21. *&* 22. Subreptio econtra contingens in cauſa impulſiva, ſive veritate ſuppreſsâ, vel falſitate expreſsâ, Reſcriptum non invalidat. *Ita Gloſſa in C. ex parte* 14. *V. falſa de converſ. Conjug. dicens inter alia, quod non conſideratur, quæ fuerit cauſa impulſiva. Covarruvias l.* 1. *variar. reſolut. c.* 20. *n.* 5. *Sanchez lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 21. *n.* 11. *&* 12. *Laym., Engel., Pirhing. & alii contra alios & paucos*: nam in caſu non tollitur ex parte Principis voluntarium, cum causâ impulſivâ remotâ, adhuc Reſcriptum daturus fuiſſe ſupponatur, quantumvis non tam facilè & citò, & ad valorem Reſcripti, Principis poteſtas & voluntas ſufficiat *c. cum ſuper* 23. *de Offic. Deleg. &c.*

Errorem autem in cauſa motiva contingere tunc cenſendum eſt, quando una cauſa ſola in Reſcripto exprimitur. *Abb. c. qua circa n.* 6. *de conſang. & affinit.* Princeps enim gratiam ſine cauſa concedere vel diſpenſare non conſueſcit, cum juxta vulgatum axioma *ratio Legis ſit anima Legis.*

In concurſu autem plurium cauſarum, quęnam ex iis fuerit motiva, vel impulſiva duntaxat, *juxta Reiffenſtuel.*

tom.

tom. & tit. cit. fol. 146. *n.* 195. tum ex Stylo Curiæ Romanæ, tum ex arbitrio viri prudentis & probi, ſeu Judicis, qui ex jure communi, & ſervatâ aliàs in ſimilibus conſuetudine voluntatem Principis facilè attingere poterit, deſumi, & decerni debet *Abb. in c. ex conqueſtione n.* 4. *de reſtit. ſpol. Felinus, Menochius &c.* Remanente tamen ad hæc acta dubio, an cauſa ſubreptitia allegata ſit motiva, vel impulſiva, eam eſſe impulſivam tantùm tenet Reiffenſtuel *cit. ex Gloſſ. final. in l.* 2. *de Donationibus*, contra non paucos contrarium aſſerentes, cenſetque pro valore actûs, ob juris præſumptionem judicari debere, quando penſatis omnibus circumſtantiis dubium adhuc remanet. *c. Abbate* 25. *§. contra de Verb. ſignif.* ubi dicitur, *profectò ita intelligenda ſunt verba, ut res, de qua agatur, valere poſſit potiùs, quàm perire*: concordatque textus *in l. quoties in action. ff. de rebus dubiis*, aſſerens, *quoties ambigua oratio eſt, communiſſimum eſt id accipi, quod res, de qua agatur, magis valeat, quàm pereat.*

SECTIO VII.

De aliis Reſcriptorum erroribus.

QUantumvis in Curia Romana Libelli ſupplices plerumque vernaculâ linguâ exarentur, Reſcripta tamen ad eos data, latinè exprimuntur. Ex quo errorem latinitatis, dummodo levis non ſit, Reſcriptum vitiare infertur, patetque *c. ad audientiam XI. de Reſcrip.* ubi Papa Clemens III. ait: *quibus* (litteris) *cum manifeſtum continent in conſtructione peccatum, fidem te nolumus adhibere*, citatque Fagnan. *in hoc c. num.* 1. hujus aſſertionis ſequaces, Jo. And. Bald. Bellam. Butr. Card. Anch. Barbat. Felin. &c. additque rationem ex Gloſſa *in d. c.* quod eoipſo, quod Litterę Apoſtolicę, & Reſcripta per plures tranſeant manus, *& magna maturitate decoquantur*, errorem à tot Miniſtris non fuiſſe detectum, & correctum, pręſumi non poſſit, & ideo litteras deficientes in

figura verborum, etiam in figura ſubſtantię claudicare, & deficere, cum eodem Bald. concludit.

Nec obſtat fidem teſtamenti, aut aliorum inſtrumentorum *juxta Gloſſ. fin. in d. c. & Abb. ibi n.* 3. hujuſmodi errore non corruere, cum diſparitas pateat, tum, quod hęc per tot manus non tranſeant, tum eoipſo, quod Tabellioni ſcribenda dentur, error ex hujus vitio facilè irrepere queat, & hoc eò firmiùs ſubſiſtit, ſi cęteroquin voluntas teſtatoris pateat.

Notanter autem dictum eſt, dummodo error levis non ſit. Si enim ſyllaba, aut littera duntaxat, quæ oculos, etiam plurium, facilè ſubterfugit, deficeret, Reſcriptum mancum dici non deberet, *text. in l. qui habeat ff. de manumiſſis teſtament.* ubi, dum Teſtator, manumiſſurus Servum unicum, vocavit eum *Craſticum*, cum appellaretur *Craſtinus*, declatur: *nihil obeſſe, quod in ſyllaba errâſſet.*

Error in nomine vel pronomine, Reſcriptum aut alia inſtrumenta non vitiat, ſi de corpore, de quo ſenſerit Reſcribens, conſtet, *text. l. ſi in nomine n.* 1. *c. de teſt.* ubi deciſum reperitur: *Si in nomine, vel pronomine, ſeu cognomine, ſeu agnomine Teſtator erraverit, nec tamen, de quo ſenſerit, incertum ſit, error hujuſmodi nihil officit veritati*, non enim propter nomen, ſed propter Perſonam, & qualitates ei intrinſecas dari Reſcriptum certum eſt. Error quidem in nomine Diœceſeos Reſcriptum Papale ſuo valore privat *ex c. ſignificante* 34. *de Reſcript.* cum in hoc caſu non conſtet de corpore Perſonæ, eo ipſo, quod plures eodem nomine appellari contingat; & inde, ne hujuſmodi Reſcripta ad incertas Perſonas trahantur, caducus illorum tenor præſumitur; quod non contingit in errore circa nomen Perſonæ, de cujus corpore conſtat, & proin gratia huic conceſſa ad aliam Perſonam trahi nequit.

Raſura in loco Reſcripti ſuſpecto, parit præſumptionem doli, ſeu falſitatis, ideoque ceu ſpurium reiici poteſt. Concordant in hoc Juriſconſulti, & patet *ex c. licet* 5. junctâ Gloſsâ, *V. tenuem de crimine falſi.* Locus autem ſuſpectus cenſetur, quando cancellatio ſeu litura facta eſt vel in cauſis diſpoſitivis, *Abb. c. ex litt. n.* 1. *de fide inſtrument.* vel in ea

Re-

Reſcripti parte, in qua potior hujus nervus & vis continetur. Si quoque raſura non niſi modica foret, ſenſumque verborum ordinarium non mutaret, aut aliàs ex aliis adminiculis eam ſuſpectam non eſſe liqueret, aut non reperiretur in parte ſubſtantiali, Reſcriptum nullitatis vitium non contrahit, *Gloſſ. fin. c. cum venerabilis de Religioſ. Domib.*, *& Rota Dec. 276. n. 4. p. 2. Recent.* Habent autem Litterę Apoſtolicæ hoc ſpeciale, quod conſtitâ abraſione, quantumvis levi, ab Impetrante factâ, reddantur falſę, & radens fiat falſarius, & excommunicatus. *Gloſſa in c. licet V. tenuem de crim. falſi, Fagnanus, Reiffenſtuel &c.* poſſunt tamen, antequam ad plumbum transmittantur, per Officiales Deputatos radi, ac immutari, uti obſervat Pyrrus Corradus *l. 7. Praxis diſpenſat. Apoſtol. n. 77.*

Apici juris ſi inhęrere velimus, deprehendimus & alios errores, Reſcriptis vim adimentes, continguntque hi

Vel, ſi ſcripta ſint ſine die datę *Leg. ſi quæ C. de diverſ. Reſcript.*

Vel, ſi ſtylus Curię non fuerit obſervatus *cap. quem gravi de crimine falſi.*

Vel, ſi Reſcripta cedant in alterius injuriam *l. ſocium l. nec damnoſa, l. Reſcripta C. de diverſ. Reſcript.*

Vel, ſi plures litterę ſeu commiſſiones, ad diverſos Juces directę impetrentur, non factâ priorum mentione *cap. ex tenore 16. de Reſcript.* ubi Pontifex ſtatuit: *Nos igitur attendentes fraudem Presbyteri memorati, duas commiſſiones ſuper eodem negotio impetrantis, quarum altera non faciebat mentionem de reliqua, (quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent) decernimus, ut ipſe commodo careat utriuſque.*

CA-

CAPUT SEXTUM

De Decretis.

SECTIO I.

De ratione formali Decretorum.

AD pauca, Decretorum Categoriam, aliàs ſat diffuſam, pro more reſtringo & ratione, tum, quod libros Juriſprudentiæ habenti pro caſu neceſſitatis ea obvia ſit, tum, quod amplior illius deductio fini meo non conducat. Inde, quantumvis Decretum pluribus modis, quos Durandus *in ſpeculo tit. de primo & ſecundo Decreto* recenſet, ſumatur, illud tamen ſtrictè ſumptum communiter dicitur eſſe deliberata Judicis proviſio, qua circa ſtatum negotii, citatis partibus intereſſe habentibus, cognitâ causâ, & compilato aliquoties proceſſu &c., auctoritatem ſuam interponit, jubendo, vetando, permittendo &c. Unde Decretum eſt quaſi *Verbum certum* cum deliberatione prolatum, prout illius etymologiam explicat *Bartol. in L. nec quicquam num.* 6. *ff. de offic. Proconſ. & Legat.*

Ex quo Decretum differt tum à Reſcriptis, cum hæc, præſertim Reſcripta gratiæ, cauſæ cognitionem non requirant, latiuſque pateat Decretum, quàm Reſcriptum, cum omne Decretum ſit Reſcriptum, non verò omne Reſcriptum dici poſſit in vigore Decretum; tum à ſententia interlocutoria, cum per hanc finis controverſiæ principali non imponatur, prout fit in Decretis, appellatione non interjectâ; tum à Sententia definitiva, hæc enim nec ſine litis conteſtatione, nec in abſentem ferri poteſt, quod econtra Decreta non requirunt, pro quo Calvin. *Lexic. juridic. verbo Decretum fol. mihi* 433. *citat. l. recuſare in pr. ff. ad Treb.* quod autem

de

de Decretis latè & impropriè ſumptis intelligendum eſſe, reor.

Rationem Decreti differentialem ita datam in lugubri exemplo expreſſam intuemur, ſi ad naſcentis mundi incunabula mentis noſtræ obtutum revolvamus, fuitque ipſe locus deliciarum, Paradiſus, feralis cataſtrophes theatrum, & Divini Judicis tribunal. Vix enim callidus ſerpens Evam & Adamum dolosâ ſuadâ ad vetiti fructûs comeſtionem induxerat, Deus jus dicturus contra delinquentes poſt meridiem acceſſit, Adam citavit, dicens, *Ubi es?* quæſivit ex eo & Evâ cauſam prævaricationis, auditâque illorum exceptione, qua Adam culpam in Evam, & hæc in ſerpentem rejecit, relaxavit Decretum, tum Adamo, tum Evæ, tum ſerpenti pœnas in S. Scripturæ expreſſas dictavit, ſtatumque cauſæ abſolvit.

Circa Decreta tamen Curię Romanæ, & pręſertim Sacrarum Congreg. notandum occurrit, quod, etiamſi in ſenſu, in quo quilibet actus Principis, vel Superioris, facultatem delegatam ab eo habentis, *juxta L. ambitioſa ff. de Decret. ab Ord. fact. L. item eorum §. Decuriones ff. quod cujuſque univerſi*, Decretum dicitur, verè Decreta ſint, & talia paſſim nuncupentur, nihilominus tamen aliquoties ſtatum cauſæ non terminent, contineantque duntaxat vota conſultativa; adeoque deciſio, ob contentam in ſupplicatione materię qualitatem, & ob facultatem Papæ reſervatam, ab Hoc dependeat. Exemplum dat caſus alienationis, permutationis bonorum Eccleſiaſticorum &c. quę in Sac. Congregat Epiſcoporum, & Regularium diſcuti, & circa quam attentâ Eccleſię utilitate, uſque ad certam ſummam faciendam facultas ab ipſa Sacra Congregatione conceditur; ſi autem ſumma facultatem ſuam excedit, reſpondet quidem pro gratię conceſſione, ſed hanc per Bullam &c. expediri jubet. Idem contingit in Sacra Congregatione Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, quæ e. g. in diſpenſatione ſuper Matrimonio tanquam rato, & non conſumato rationes partium ponderat, & pro ea concedenda arbitratur, non tamen illam impertitur, ſed reſcribit: *ſupplicandum*

eſſe

eſse Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper Matrimonio tanquam rato , & non conſumato . Aliarum Congregationum arbitrium , & votum conſultivum Illuſtriſſimus Dominus Secretarius Papæ refert, cujus confirmatio ſubſecuta ad calcem Decreti apponitur cum verbis: *Factaque de præmiſſis per Me infraſcriptum Secretarium relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benignè annuit , ac Sacræ Congregationis ſententiam approbavit.*

SECTIO II.

De Decretorum diviſione.

ALiud eſt Decretum primum, & aliud ſecundum ; quod præſertim attenditur in caſu , quo Actor mittitur in poſſeſſionem bonorum , & quo Decretum primum eſt juſſio Judicis , per quam Actor ob contumaciam rei mittitur in poſſeſſionem bonorum petitorum, cuſtodię causâ. *c. quoniam* 10. §. *in aliis ut lite non conteſtata*. Decretum verò ſecundum, eſt ſecunda Judicis juſſio , per quam Actor ob perſeverantem Rei contumaciam verus conſtituitur bonorum ex primo Decreto detentorum poſſeſſor , ſervatâ tamen Rei legitima defenſione ſuper eorum proprietate . *Ita Zoeſius de Judiciis n.* 2. *Pirhing. n.* 17. *cum aliis*.

Aliud Decretum eſt particulare , quod dirigitur vel ad unam Provinciam *c. quod ſcripſi* 35. *q.* 3. vel ad unam Perſonam, *c. petiſti* 7. *q.* 1. & hoc ad conſequentiam non contrahitur : aliud autem Decretum generale, quod ad omnes dirigitur *c. omnia* 25. *q.* 1. quod , cum definiat, conſequentiæ ſtatuit exemplum. *c. hâc conſonâ* 25. *q.* 1.

Aliud eſt proviſionale , quod interponi ſolet manente timore damni ex mota lite aliàs orituri : aliud conditionale , quod nihil ponit in eſſe, & non obligat conditione non purificatâ.

Scitu dignior autem eſt diviſio Decreti in circumſcriptum

ptum & irritans: illud occurrit, quando Judicem primę inſtantię nulliter ex uno triplicis defectûs, ad quem Curia Romana nullitates Decretorum reſtringit, & qui eſt defectus, vel juriſdictionis, vel citationis, vel mandati, procederet: quo in caſu ad Principem vel ejus ſignaturam recurritur, recognitoque defectu nullitatis impetratur circumſcriptio, ſeu Reſcriptum, quo Decretum taliter nullum circumſcribitur, & limitatur intra ſepta ſuę nullitatis, quæ egredi non valet, & intra quæ habetur, ac ſi nunquam emanaſſet. Quæ clariora reddit exemplum ſequens. Actum fuit judicium contra Clericum in Curia Laicali, quæ contra eum decrevit. Tale Decretum eſt nullum ex defectu juriſdictionis, inde Clericus declinare volens forum laicale obtinet à Principe, vel ejus ſignatura novum Decretum, ſeu Reſcriptum, quod ſequenti formula exprimitur: *prævià circumſcriptione actorum nulliter factorum in Curia laicali declarari cauſam ſpectare ad Forum Eccleſiaſticum*. Ex quo ſequitur, quod Decretum circumſcriptum ſit nullum & in nulla habenda conſideratione. Decretum irritans eſt illud, quod Litteris Apoſtolicis pro gratia tam ſpeciali quàm generali, quę firmat ſtatum, inſeritur, & exprimitur per verba: *Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ìgnoranter contigerit attentari*.

Tale Decretum qualificat omnia in Litteris contenta, claudit os, ligatque manus & Judici & parti. Rota *Dec.* 26. *n.*11.*p.*8. *Deciſ.*107.*n.*5.*p.*9 *tom.*1. *recent.* Card. de Luca *de Regal. diſc.*74. *n.*7. *&c.* per verba coarctativa, ac præceptiva inducit formam, quâ non ſervata, actus ipſo jure corruit ex defectu intentionis, v. g. Summi Pontificis. Fagn. *in cap. Tuæ Fraternitatis num.* 5. *de Sponſal. & Matrimonio*. Tollit Stylum, uſum & conſuetudinem contrariam, tum præteritam, tum futuram. Rota *Deciſ.*302. *n.*13.*p.*5. *tom.*2. *recent. Fagnan. in c. cum olim n.* 37. *de mai. & obed. fol.* 515. *& c. non amplius n.* 30. *de inſtit.* inficit poſſeſſionem & prę́ſcriptionem. Card. de Luca *de Judic. diſc.* 3. *n.* 13. *& diſc.* 25. cauſatque infectionem, tam in poſſeſſorio, quàm petitorio, prę́ſertim adverſus Decreta Conciliaria. Idem *de Benef. Diſc.* 96. *n.* 9.

fol. mihi 163. *&c.* Verbo, Decretum irritans operatur, tollitque omne obſtaculum, quod executionem actûs, qui decernitur, impedit,& hunc ipſo jure infringit, enervat,& annullat. *Rota Deciſ.* 620. *n.* 3. *p.* 4. *tom.* 3. *Recent. & variè.* Et quidquid jam geſtum eſt, reddit nullum & attentatum, parte licèt non opponente, ac etiam ante ipſius Decreti uſum & publicationem. *Rota Deciſ.* 231. *n.* 5. *&* 12. *p.* 5. *tom.* 1. ligatque indiſtinctè ignorantes, qui quidem ante Decreti hujuſmodi prꝑſentationem ab aliis pœnis eximuntur, à nullitate tamen non excuſantur. *Rota Deciſ.* 231. *n.* 6. *&* 7. *p.* 5. *t.* 1. *Recent. & alibi.*

SECTIO III.

De effectu, & reſpectu Decretorum.

DEcretum juſtitiâ munitum, ſeu ſententia primi Judicis, qui ad tramites juris pronuntiavit, tranſit in rem judicatam, & executioni demandatur *l.* 2. *ubi Gloſſ. Baldus n.* 6. *Bartolus in princip. & Caſtren. ſub n.* 3. *de re judic.* dum econtra Decretum juſtitiâ non ſuffultum robur rei judicatæ nunquam recipit, & ideo appellationem meretur, executione ſuſpensâ. *Rota coram Cavalerio Deciſ.* 270. *n.* 1. *&* 5. Quod extenditur & ad Decreta Interlocutoria, quoad partem, qui ea obtinuit, non verò, quoad Judicem, qui ea revocare poteſt. *Galleſ. de obligat. Camerali q.* 36. *n.* 20. *& ſequent.*

Et ſicut Decretum exceſſivum, & contra formam juris relaxatum eſt nullum, etiamſi exceſſus ſit in minimo, *Rota Deciſ.* 302. *n.* 12. *p.* 14. vel dolosè extortum, etiamſi foret confirmatum *Rot. Deciſ.* 616. *n.* 4. *p.* 5. *tom.* 2. ita econtra editum ad regulas juris, & cum maturo rei examine obtinet vim legis *Rota Deciſ.* 183. *n.* 6. *p.* 1. *t.* 1. habetque prꝑſumptionem pro ſe & pro ſui valore & juſtitia, donec contrarium probetur. *Rota variè & in ſpecie Deciſ.* 287. *n.* 5. *Recent.*

Et

Et ideo, ſi S. Congregatio ſemel aliquid poſitivè definivit, in ſimilis casûs recurſu, abſque nova materiæ diſcuſſione, perpenſis tamen facti circumſtantiis, reſcribit (uti & de Reſcriptis dictum eſt) *Detur Decretum latum die . . . . in Cauſa N. N.*

Venerantur illa, tanquam Leges, Tribunalia Romana, & reverenter ea Sacra Rota recipit, prout multoties ab ea fuit declaratum, prçſertim *coram Mantica Deciſ.* 56. *n.* 3. *coram Caval. Dec.* 628. *n.* 8. *coram Buratto Dec.* 479. *coram Molines Dec.* 440. *n.* 13. *tom.* 2. nam, ſi (uti Pignatellus *tom.* 4. *Conſult.* 129. *n.* 10. *fol. mihi* 194. diſcurrit) conſilio alicujus Doctoris judicium noſtrum conformemus, *quantò magis illud accomodare debemus doctrinæ & ſapientiæ tot Eminentiſſimorum Patrum, qui ſumma cum maturitate in rebus, in quibus quotidiè verſantur, definiunt.* Et in ſpecie Decreta Sac. Congregationis Concilii vim legis habere docet cum aliis *Fagnanus in cap. quoniam n.* 8. *de Conſtit. tom.* 1. cum enim hæc Sac. Congregatio declaret Concilii Tridentini ſenſum, novam legem non facit, ſed antiquam firmat, & ideo declaratio hujuſmodi mutuat ſuam vim ab ipſo declarato, uti expreſsè tradit Paulus de Caſtro *conſ.* 339. *col. pen. n.* 5. *verſ. quæritur l.* 1. dicens: *vim omnem, quæ ineſt diſpoſitioni declaratæ, cenſeri etiam ineſſe illius declarationi*, quia declaratio retrotrahitur ad principium actus declarati, uti tenet idem Fagnanus *c. quod à nobis n.* 20. *de cland. deſponſ. f.* 29. qui & decem legalibus argumentis hanc Decretorum vim *in dict. cap. quoniam loc. cit.* demonſtrat, quem & ſequitur cum aliis *Clericatus de Beneficiis Diſcord.* 29. *n.* 34. *fol. mihi* 80. idque ad Sacras Congregationes Epiſc. & Regularium & illam de Sacris Ritibus, contra Doctores ampliat, qui quidem harum Congregationum Decreta, ceu fœtum Doctrinæ agnoſcunt, eaque *Doctrinalia* nuncupant, iis tamen vim legis denegant, eâ potiſſimum ducti ratione, quod ea nec legitimè promulgata, nec Epiſcopis pro promulgatione fuerint communicata, aut, quod ſæpius ipſæ Sacræ Congregationes ab iis recedant, & ea revocent: ex quo capite van Eſpen *tom.* 1. *Juris Eccleſiaſt. part.* 1. *tit. xx. cap.* 5. *num.* 17. *fol. mihi* 140.

col. 2. omnibus Sacris Congregationibus, & in ſpecie Sacræ Congregationi Concilii uno quaſi ictu totam vim legis adimit. Cujus & quorum Doctrinæ opponit *Clericatus loco cit.* Garziam *de beneficiis tom.* 1. *in præfat.* ita loquentem: *quod attinet ad Declarationes Sacræ Congregationis, certum eſt eas non eſſe Declarationes Doctrinales ſicut latas à Doctoribus & Juriſperitis, ut aliqui Theologi perperam dicunt, ſed eſſe Declarationes definitivas ſeu deciſivas, vim legis habentes, & ut leges recipiendas, utpote latas ex commiſſione Papæ, & à Perſonis habentibus interpretandi & reſpondendi facultatem à Principe, uti apparet ex Bulla VII. Sixti V.* Ubi & fortiter refellit doctrinam contrariam, qua quidem Decreta hujuſmodi, Doctrinalia agnoſcuntur, vis tamen legis iis denegatur, & argumenta in contrarium adducta ſolidè & fusè refutat.

Utriuſque partis Doctores quantumque diſcrepent in ratione legis, vel non legis, varientque in- & circa Sac. Congregationes, harum tamen Decreta, ſi in forma authentica cum ſubſcriptione & ſigillo Cardinalis Præfecti, & Secretarii non producantur, omni valore deſtitui, concordes & in ſpecie de Decretis S. Congregationis Concilii ex ſubſequente Decreto inferunt:

Cum Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ſæpius ac noviſſimè ſub die 29. April. 1621. inhærendo Conſtitutioni fel. record. Pii IV. quæ incipit: Benedictus Deus, *decreverit Indici Librorum prohibitorum addendas eſſe omnes, & quaſcunque Declarationes, interpretationes, ſeu deciſiones ſub nomine ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii abſque illius auctoritate impreſſas, & imprimendas: Cumque ad illius notitiam pervenerit quamplures ex Declarationibus, interpretationibus, ſeu deciſionibus juxta contingentiam caſuum, illorumque qualitates & circumſtantias, à ſe diverſis temporibus factis ſecundùm ea, quæ proponebantur, fuiſſe alteratas, immutatas, diminutas, ac forſan aliàs mentito Sac. Congregationis nomine confictas, nulloque propterea authentico ſigillo munitas, iſtaſque per Tribunalia tam in Urbe, quàm per Orbem circumferri, ac impri-*

imprimi, conſideranſque, quantùm detrimenti recipi poſſit, ſi aliqua fides illis adhiberetur, ex ſpeciali Sanctiſſimi Domini Noſtri Urbani Divinâ Providentiâ Papæ VIII. juſſu mandat, præcipit, hujuſmodi Declarationibus tam impreſſis, & imprimendis, quàm manuſcriptis nullam fidem eſſe adhibendam in Judicio, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejuſdem Sac. Congregationis pro tempore exiſtentium, munitæ fuerint. In quorum fidem hęc propria manu ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri, ac typis mandari juſſimus. Datum Romæ die 2. *Aug.* 1631. *R. Cardinalis Ubaldinus. Franciſcus Paulutius Sacræ Congregationis Secretarius. Loco ✠ Sigilli.*

Simplicitatis autem foret inter haſce Reſolutiones recenſere & eas, quas liber *theſaurus Reſolutionum Sac. Congregationis Concilii* intitulatus, & hucuſque in tomis 14. conſiſtens continet, cum hujus tomus unus in facie almæ Urbis, & Sac. Congregationis prædictæ præſcitu, annuatim ê typo prodeat, ſuppleatque nonnihil promulgationem, ex cujus ſupra memorato & prætenſo defectu, Reſolutionibus hujuſmodi vim legis nonnulli Auctores denegant; pręſertim, cum ex Pignatello *tom.* 1. *conſult.* 55. *n.* 7. Decreta typis edita, omnem ignorantiæ allegationem excludant.

Decreta denique cum clauſula generali *non obſtante* obtenta valent, & adimunt robur Decretali, non tamen infirmant diſpoſitiones Conciliares, cum hæ requirant ſpecialem mentionem, atque derogationem *Bald. in l. humanum n.* 2. *C. de Leg. & Conſtit.* Imò à ſolo Papa, aut alio Concilio generali iis derogari poſſe tenuit *Rota coram Card. Cavalerio Deciſ.* 101. *n.* 2.

SE-

SECTIO IV.

De Decretorum executione.

QUemadmodum leges, executioni non datæ, in Republica nullius ſint utilitatis, & ſemini ſine fructu comparari debent, ita & Decreta Principum, aut eorum Delegatorum, ſi ad executionem non deducantur, manent & ſunt anima ſine corpore, & corpus ſine vigore. Eſt autem executio Decreti *ſpontanea*, actus vel poſitivus, vel negativus, quo ii, quos Decretum afficit & tangit, hujus tenori ſeſe conformant. Executio econtra *coacta*, eſt actio, quâ Decretum vel operâ ipſius Principis, vel miniſterio ſuorum Deputatorum opportunis, & aliquoties violentis remediis ad effectum perducitur, inde & *Executores* dicuntur, qui à Prętore judicatum exequendi causâ dantur. *Briſſ. cit. Calvin. Lexic. tom.* 1. *ver. executor*.

Siſtitur utraque executio ab Appellatione judiciali juſtè interjecta, cum hæc effectum Sententiæ, vel Decreti ſuſpendat, hujuſque vires infringat, ac ſi latum non eſſet. *Rota Dec.* 624. *n.* 8. *p.* 4. *tom.* 1. *Recent. Card. de Luca de Judiciis diſc.* 36. *n.* 45. *fol.* 124. *col.* 2. *&* *diſc.* 37. *n.* 46. Hanc tamen regulam non intrant Decreta Principis, ſive verſentur in gratioſis, vel contentioſis, & appellationem non admittunt, ſed duntaxat ob-vel ſubreptionis vitio notari poſſunt ex circumſtantiis omiſſis. *Cap. cum adeo* 17. *de Reſcript. Card. de Luca cit. diſc.* 36. *n.* 7. *fol. mihi* 127. *col.* 2.

Ut Decreti executio legitimè fiat, ex eiſdem, & non ex noviter deductis juſtificari debet; ad effectum verò obtinendi confirmationem Decreti in prima inſtantia lati, illud etiam ex noviter deductis juſtificari poteſt, cum pendente causâ appellationis ſubſiſtat regula: *non deducta deducam, & non probata probabo*, prout diſtinguit Rota *coram Seraphi-*

raphino Deciſ. 279. *num.* 5., *&* *coram Buratto Deciſ.* 251. *num.* 12.

In actionibus & cauſis civilibus, Decreti ſeu Sententiæ executio non ita urgetur, quin ſaltem dierum aliquorum terminus ſeu induciæ concedantur: cœpta autem dicitur executio, quando Mandatum fuit relaxatum, aut loco Mandati fuêre expeditæ litteræ executivæ, aut juxta ſtylum Rotæ, quando fuit petita. *Deciſ.* 435. *n.* 14. *p.* 4. *tom.* 2. Illâ autem inceptâ, debet procedi ad ulteriora, quatenus litigiis finis imponatur. *Rota Deciſ.* 174. *n.* 2. *p.* 9. *tom.* 1. Facta verò ſi ſit, termino appellationis pendente, nulla & attentata audit. *Deciſ.* 365. *n.* 19. *p.* 10. *&* *Deciſ.* 495. *n.* 62. *p.* 4. *tom.* 2. & potiore jure talis habetur, caſu quo appellatio legitimè jam foret interpoſita. *Dec.* 522. *n.* 7. *&* 8. *p.* 4. *tom. cit.* aut facta contra formam Decreti, præſertim ſi hæc ſit eſſentialis, & non inſtructiva tantùm, cum prima debeat ſervari ad unguem *Deciſ.* 340. *n.* 4. *p.* 13. Executor enim finem ſuæ commiſſionis excedere non poteſt ſine ſuæ facultatis abuſu, teneturque tenorem Mandati ſeu Scripturæ, vi cujus procedit, intra ſuos terminos obſervare, cum in eo Mens Principis, vel Deputati ſit expreſſa, & facultas ipſius Executoris reſtricta, patetque tum *l. diligenter ff. Mandati* tum *c. cum dilecta* 22. *de Reſcript.*

Executor Decretorum eſt ille ipſe, qui ea relaxavit, aut ſunt ii, quibus ille executionem commiſit; patetque primum ex ratione analogica, quam Decretum habet cum ſententia, quam ab ipſo eam ferente executioni dari poſſe Reiffenſtuel *tom.* 2. *tit.* 27. *de ſent. & re judic. n.* 167. *fol. mihi* 404. *col.* 1. certum ſupponit, & contrariæ rationis ſolutione probat; ſecundum autem deſumitur ex eo, quod Executor, qui ſupponitur eſſe inferior, Principi ſeu Judici ſuperiori, præſertim Eccleſiaſtico, obedire teneatur *c. ſignificaſti* 7. *&c.*, *c. Paſtoralis de offic. & poteſt. Delegati. &c.*

Poteſt & Decretorum executio reſtringi, aut prorogari juxta illius, qui ea relaxat, arbitrium & libitum, patetque ab exemplo infelicis Decreti, in Paradiſo contra noſtros Protoparentes emanati; dum enim contra Adamum & Evam illud

illud immediatæ datum fuit executioni, plena econtra illius executio quoad Serpentem fuit protracta uſque ad plenitudinem temporis, quo Deus miſit in mundum Filium ſuum Unigenitum, in ſimilitudinem hominum factum, & natum ex Maria Virgine Immaculata, & quo dum ſub hujus pede caput Serpentis contritum tunc infremuit, hîc ſub ſuaviſſimo ſanctoque illius Nomine, Iſagoge de Bullis, Brevibus, Vivę Vocis Oraculis, Chirographis, Reſcriptis & Decretis, prœmialiter in tribus Bullarii Tomis, ad aliquale emergentis casûs ſubſidium deducta terminatur & quieſcit.

ELEN-

ELENCHUS SUMMARIORUM

Quæ Litteris Apoſtolicis, Decretis &c. in hoc III. Tomo contentis præponuntur.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

MOnaſterium Monialium ſub invocatione S. Mariæ in Jeruſalem ex bonis Mariæ Laurentiæ Longæ Catalanæ conſtrui; in illud Abbatiſſam, & duodecim Moniales Tertii Ordinis S. Franciſci juxta regulam S. Claræ ſub perpetua clauſura induci; Sacerdotem ab his pro ſpirituali cura eligi; bona ab ipſa Maria relicta, ac ab aliis Fidelibus eroganda Monaſterio appropriari; ac Moniales privilegiis, & gratiis Tertii S. Franciſci, & S. Claræ Ordinum frui poſſe concedit, ac Monaſterium immediatè Sanctæ Sedi ſubjicit. *Paulus III.* 5

Præcedentes Literas executioni dari mandat. *Idem.* 7

Idem Monaſterium in alio aptiore ſitu conſtrui: ad normam aliorum Monaſteriorum Ordinis gubernari, & duodenarium Monialium numerum uſque ad triginta tres augeri concedit. *Idem.* 8

Illudque Ordinis, & Fratrum noſtrorum ſpirituali curæ & Viſitationi ſubjicit, &, ne Moniales, vel Fratres deſuper moleſtentur, ſub cenſura inhibet. *Idem cum nota.* 9

Non obſtante, quod Privilegia prædicta per = & ſub erroneo motivo, quod Moniales Regulam Tertii Ord. S.P.Franciſci profiterentur, fuerint conceſſa, illa valere declarat: eas in Regula S. Claræ primi & Strictioris Ordinis firmat, & ne ullo unquam tempore, etiam ex urgentiſſima cauſa, è Monaſterio diſcedant, ſancit. *Paulus IV.* 11

Et Muleribus quibuſcunque, etiam Monialibus; Monaſterium ingredi, & Judicibus Perſonas ad id relegare prohibet. *Pius V. cum nota.* 12

Fr. Anſelmum de Petra Molaria, viginti novem Fratrum in Claſſe Pontificia contra Turcas ſervientium Præfectum confirmat, eundemque cum ſociis ampliſſimis privilegiis munit. *Idem cum nota.* 15

Reſcripto Pontificio conſtructio novæ Domûs in Terra Solophræ Ordinario loci remittitur. *cum nota.* 17

Modium terræ ad Portinarium Capellæ S. Julianæ Averſæ aliàs ſpectantem, Fratribus ibi pro Domûs & Eccleſiæ ampliatione, loco eleemoſynæ concedi, Epiſcopo Averſano committit. *Sixtus V. cum nota.* 18

Modium terræ ad Portionarium Capellæ S. Julianæ Averſæ aliàs ſpectantem, Fratribus ibi pro Domûs & Eccleſiæ ampliatione, loco eleemoſinæ concedi, Epiſcopo Averſano committit. *Idem cum nota.* 18

Conceſſionem variarum Terrarum tam ad Menſam Archiepiſcopalem, quàm quamdam Præbendam Canonicalem Neapoli ſpectantium, & illegitimè pro conſtructione novæ Domûs in loco Turris Octavæ ad Fratres tranſlatarum, causâ ad ſe avocatâ validat; in recognitionem, ac loco reſponſionis &c. ſingulis annis in Feſto Tranſlationis S. Januarii claves Eccleſiæ, & Monaſterii Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti conſignari; inſignia Eccleſiæ Neapolitanæ in eadem Eccleſia pingi, figi, vel appendi; ac in caſu receſsûs Fratrum, aut præſentatione Clavium

per biennium non factâ, Eccleſiam cum Monaſterio ad Menſam Archiepiſcopalem pleno jure redire, ſancit. *Clemens VIII. cum nota.* 19

In ſubventionem Fabricæ veteris Domûs Cajetanæ licentiam in diebus Feſtis piſcandi concedi, & lucrum inde proveniens in dictam Fabricam converti, Epiſcopo ibi committit. *Idem.* 22

Ex Eccleſia Domûs Conceptionis B.V. Mariæ Immaculatæ, Civitatis Neapolitan. S. Reliquias extrahi prohibet, & prohibitionis copiam ad valvas Sacriſtiæ affigi mandat. *Paulus V. cum nota.* 23

Prohibet idem ad favorem Eccleſiæ Domûs Amalphitanæ. *Idem cum nota.* 24

Domum Virginum, Capucinellarum nuncupatarum, in Monaſterium Monialium Ordinis cum communicatione privilegiorum & ſub gubernio Ordinarii erigi mandat. *Gregorius XV.* 25

Ex Sacriſtiis & Bibliothecis utriuſq; Domûs Civitatis Sveſſæ Calices &c. aut reſpectivè libros extrahi prohibet. *Id. cum n.* 26

Decreto Sac. Congr. Epiſc. & Regul. In Decreto de nominibus, & deſiderio eorum, qui ad S. Ordines promoveri volunt, in Eccleſia à Parocho proponendis, ac de eorum natalibus & moribus inquirendis, nec Fratres noſtros Regni Neapolitani, nec alios Regulares comprehendi declaratur. *cum nota.* 27

Libros à Joan. Baptiſta Centurione Bibliothecæ Domûs Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ relictos, & uſui Fratrum, ac Ordini non competentes permutari concedit, ac alios factâ commutatione extrahi &c. Apoſtolicis pœnis cavet. *Urbanus VIII.* 28

Onus Legati Pii, à Fr. Bonaventura Ciampolillo, ante Religionis ingreſſum pro dotandis in Terra Zuncoli decem Puellis relicti, in favorem Fratris Germani, & hæredis, in paupertatem redacti remittit, & tres dotes duabus ejus Filiabus applicari indulget. *Idem.* 29

In Oratorio privato Domûs Villæ Joſephi Capelli, Fratribus ibi hoſpitantibus Miſſam celebrandi facultatem largitur, non obſtante clauſula de una Miſſa dumtaxat quotidie celebranda. *Idem cum nota.* 30

Fr. Bernardum à Neapoli, pro expeditiore prædicationis ſtudio ab officiis Religionis eximit. *Idem cum nota.* 31

Pro amplianda Domo Loci Montis Fuſcoli petium terræ, ad Confraternitatem SS. Roſarii ibi ſpectans alienari, & alio æquivalente compenſari concedit. *Idem cum nota.* 32

Litteras ſuas, quibus concordiam PP. Servitas inter - & Moniales Neapolï circa hæreditatem Juſtinianæ de Sangro & Joannæ ejus Filiæ initam approbavit, confirmat, dictamque concordiam non obſtante expoſitionis alteratione executioni mandari, Archiepiſcopo ibi committit. *Innocentius X.* 33

Domum & Hortum libertati Domûs Fratrum Surrenti officientem emi; à cenſu annuo, Capitulo Eccleſiæ Surrentinæ debito, præſtatione juſti pretii eximi; ac pretium in emptionem bonorum ſtabilium fructiferorum ad favorem Menſæ Capitularis converti, concedit. *Alexander VII.* 34

Decreto Sacrorum Rit. Congregationis, Decretum de non exponenda Statua, ſeu Simulachro S. Antonii Patavini in Habitu Capucino pro -- & in ſola Metropolitana Civitatis Neapolis intelligi debere declaratur. *cum nota.* 35

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regular. Erectio Hoſpitii in loco Puteoli conceditur. *cum nota.* *ibi*

Decreto Sacrorum Rituum Congregationis Proceſſionem cum Statua S. Antonii in Habitu Capucino, Dominica infra octavam in Civitate Theanenſi fieri poſſe ſancitur. 37

Decreto Sacræ Congregationis Concilii Quartam Canonicam ex pio Legato Fratribus Nuceriæ Paganorum cum onere Miſſarum relicto, Epiſcopo non deberi, declaratur. *cum nota.* *ibi*

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regular. Novam Domum Civitatis Magdalonii inſtante Excellentiſſimo Duce erigi conceditur. 38

Decreto Sacr. Congregat. Epiſcop. & Re-

Regul. Novam Domum Cajetæ, relicto priore B. Mariæ de Pietate titulo, & aſſumpto illo S. Antonii Patavini reædificari, & in quæſtuatione ſolitum ſervari jubetur. *ibi*

Facultatem, à Sacra Congregatione Concilii celebrandi Miſſas in Oratorio Terræ Fractarum pro Capucinis itinerantibus conceſſam, Litteris Apoſtolicis roborat. *Clemens XI.* *ibi*

Decreto Sacræ Congregationis Concilii, Tranſactio Syndicum inter -- & hæredes Catharinæ Cornoldi circa Legatum pium, Conventui Beneventano relictum facta rejicitur, & D. Archiepiſcopo de jure deſuper procedere committitur. *cum nota.* 90

Decreto S. Congregationis Concilii. A jure nominandi Puellas ad Dotem &c. Guardianus Civitatis S. Germani excluditur. *cum nota.* 40

Privilegium liberandæ Animæ Altari Capellæ Pietatis in Eccleſia Domûs Capuanæ à Gregorio Papa XIII. aliàs conceſſum, ad Altare majus transfert. *Clemens XII.* 44

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. In Eccleſiis Fratrum Cadavera ſepeliri poſse confirmatur, & ideo Cadaver Irenæ de Simoni Eccleſiæ Fratrum Terræ Itri reſtitui mandatur. *ibi*

Pro conſolidanda Provinciæ pace nonnullos articulos circa electionem Superiorum Provinciæ, & locorum confirmat. *Benedictus XIV.* 45

PROVINCIA LUCANIÆ.

Fr. Bernardinum à Balbano inſtante Cardinale Meſsanenſi ad prædicandum Meſſinam ſe conferre jubet. *Julius III. cum nota.* 48

Decreto Sacr. Rituum Congregat. Laudum Eminent. Card. Madrutii de præcedentia Fratrum Vineolæ confirmatur. *cum nota.* 49

Pro perficienda nonnullarum Domuum clauſura, ſitum alienari, Archiepiſcopo Salernitano committit. *Urbanus VIII.* 51

Epiſtola Sacr. Congr. Epiſcop. & Regular. Eremitas in locis Abbatiæ S. Angeli in Vultu degentes, aut Religionem approbatam ingredi, aut Habitum Eremiticum ab iis deponi, Archiepiſcopo Nazarethenſi committitur. *ibi*

Fratres in Conventu Marſici novi variis Dœmonum illuſionibus vexatos, poſt peracta præſcriptæ pietatis opera ab omni cenſura &c. Auctoritate Papali abſolvi, eoſque & Conventum, delatâ per hunc S. Cruce benedici, Epiſcopo Loci vel ejus Vicario Generali committit. *Innocentius X.* 52

Epiſtola Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Hoſpitium à RR. PP. Obſervantibus in Terra *Caſtel-grande* nuncupata, non attenta Litis pendentia erectum, claudi, & partium inſtantias S. Congregationi tranſmitti, ad inſtantias Fratrum Conventûs Muri, Epiſcopo committitur. *cum nota.* 53

Decreto S. Congreg. Rituum, Manutentionem præcedentiæ in loco Ferrandinæ Fratribus deberi, contra RR. PP. Reformatos declaratur. *cum nota.* *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Fratres circa erectionem Hoſpitii in Terra *delli Bonati* nuncupata moleſtari prohibetur. 54

Sententia Judicis Ordinarii Reverendæ Fabricæ Sancti Petri, In cauſa Salernitana pii Legati à quondam Fabritio Pinto Fratribus noſtris ejuſdem Civitatis in perpetuum relicti, RR. PP. Thereſiani Diſcalceati Hæredes, Decretum S. Congreg. Rev. Fabricæ univerſaliter in hujuſmodi materia editum exequi, & Fratribus dictum Legatum ſolvere jubentur. *cum nota.* 54

Decreto S. Congr. Epiſc. & Regul. Fratribus facultas redeundi ad derelictum prius Conventum Senyſii datur. 55

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regular. A Menſa Epiſcopali Tricaricenſi, Infirmariæ Fratrum ibidem annuatim 15. ducatos ſolvi, & reſponſiones non ſolutuas reſarciri debere, ſtatuitur. *ibi*

Sententia Apoſtolica. RR. PP. Obſervantes Terræ Tramutulæ, Decreta Sac. Congregationis Epiſcop. & Regul. in cauſa, & jure quæſtuationis in dicta Terra

ra Tramutulæ &c. ac loco *la Bonatore* nuncupato ad favorem Fratrum noſtrorum Civitatis Marſici emanata exequi jubentur. 56

Decreto S. Congreg. Epiſc., & Regul. Nova methodus Gubernii Provincialis approbatur &c. 57

PROVINCIA RHEGIENSIS.

Veterem Domum in Civitate Squillacenſi relinqui, ſitumque illius, & Eccleſiæ alienari indulget. *Clemens VIII.* 62

Altare Capellę Conceptionis B.V.Mariæ in Eccleſia Domûs Caſtri Veteris, inſtante Julia Caraffa, Principiſſa Roccellæ, in perpetum privilegiat. *Paulus V.* *ibi*

Caſtanetum à Joanne Feriolo de Colaro cum perpetuo Miſſarum onere relictum vendi, & pretium in reſtaurationem novæ Domûs, & paramentorum converti concedit. *Idem.* 63

Annibali Bottaro, in Conventu Seminaræ artem medicinæ, non obſtante ſuſcepto S. Presbyteratûs Ordine exercendi, uti prius, facultatem elargitur. *Urbanus VIII.* *ibi*

Epiſtola S. Congreg. Concilii, Quartam funeralem à Fratribus Domûs Cathacenſis non ſolvendam eſſe, Archiepiſcopo ibi reſcribitur. *cum nota.* 64

Epiſtola S. Congreg. Epiſc. & Regul. Fratribus Cotronii Oleum Sacrum pro Conventu aſſervandum ſubminiſtrari, Epiſcopo loci imponitur. 65

Libros in Bibliotheca Domûs veteris Civitatis Rhegienſis poſitos, & ponendos, Fratribus utriuſque Domûs inibi pro uſu communes eſſe decernit. *Urbanus VIII.* *ibi*

Novam Domum in loco Montis Leonis antiquâ deſtructâ fundari indulget. *Idem.* *ibi*

Capitulum Provinciale, in quo Frater incapax in Cuſtodem Capituli Generalis, & unus ex Sociis P. Miniſtri Generalis in Provincialem electi fuerant, annullat, aliudque Capitulum pro legitima electione convocari, Eminentiſſimo Cardinali Protectori committit. *Idem.* 66

Ex Eccleſia Domûs Caſtri Veteris Paramenta, Vaſa &c. vel ex Bibliotheca Libros extrahi, aut commodari, ſub cenſuris,& pœnis vetat. *Innocentius X.* *ibi*

Decreto S. Congregationis Concilii, Legatum pium Conventui Clarævallenſi in perpetuum relictum, à ſponte dantibus recipi, non verò peti poſſe declaratur. 67

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regular. Fratribus in loco Pitii pro commodo itinerantium Hoſpitium ſub certis clauſulis conceditur. 68

Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, Fratribus noſtris Neocaſtri Statuam Sancti Antoni Patavini in Habitu Capucino retinere, eam intus- & extra eorum Eccleſiam proceſſionaliter deferre, Vexillis, Velis, aliiſque ſacris mobilibus cum dicti Sancti Imagine (abſque inſcriptione tamen *verioris formæ Habitus*) uti, licitum eſſe declaratur. *cum nota.* *ibi*

Decreto S. Congreg. Rituum. Feſtum S. Crucis in Terra Cutri etiam à Fratribus noſtris ibidem, ritu tamen noſtrum Inſtitutum non excedente, eodem die, quo PP. Reformati illud celebrant, celebrari poſſe indulgetur. 72

Decreto S. Congreg. Concilii, Inſtantia nullitatis contra Profeſſionem à Fr. N. N. ſub prætextu morbi incurabilis &c. facta reprobatur. 73

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Ad Superiores Locales Provinciæ Bannitis, & criminaliter inquiſitis aſylum præbentes pœnæ aliàs taxatæ extenduntur. 74

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Tertiam partem redditumm ex teſtamento Franciſci Milardi relictorum cum tertia parte inſtrumentorum &c. novo Fratrum Flumariæ Valetudinario conſignari indulgetur. 75

PROVINCIA COSENTINA.

Ad inſtantias Syndicorum, & Electorum Civitatis Montis Alti Moniales in novum Monaſterium induci; à qualibet

Monachanda Dotem 200. ducatorum praeter ſolita mobilia apportari; Servitium Medici gratuitum procurari; ac ex Parthenone Coſentino Moniales pro inſtructione vocari, Archiepiſcopo Coſentino committit, ac Moniales ſub juriſdictione Ordinarii omnibus Ordinis privilegiis frui declarat. *Clemens VIII. cum nota.* 78

Concordiam circa donationem Rutilii Caballi pro conſtructione novæ Domûs Amantheæ factam approbat. *Gregorius XV. cum nota.* 79

Novam tranſactionem circa eandem donationem confirmat. *Urbanus VIII.* 81

Epiſtola Sac. Congreg. Epiſc. & Regular. A Monialibus Civitatis Coſentinæ contiguam Domum emi, & Valetudinarium conſtrui, Archiepiſcopo Loci committitur. *cum nota.* 82

Sacram Supellectilem ē Sacriſtia, vel Eccleſia Domûs Coriolani diſtrahi vetat. *Idem.* 83

Decreto Sacr. Rituum Congregat. A Fratribus in loco Murani Miſſas ante Proceſſionem in Feſto Sanctiſſimi Sacramenti &c. celebrari indulgetur, Conſtitutione Greg. XIII. deſuper editâ non obſtante. *cum nota.* 84

Antiquam Domum Caſtrovillarii vendi, & novam conſtrui concedit, oſſibus mortuorum priùs aliò translatis. *Idem. cum nota.* 85

Pretium ex vendito veteris Domûs Rublani ſitu redactum in extinctionem æris alieni, pro novæ Domûs fabrica contracti, applicari indulget, legitimatque venditionem ſucceſſivam perinde, ac ſi unico facta fuiſſet contextu. *Innocentius X.* 87

Imaginem B. Virginis Mariæ celebrem, & ad Eccleſiam novæ Domûs Civitatis Roſſanenſis jam translatam, ex hac extrahi ſub cenſura vetat. *Alexander VII. cum nota.* 88

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Decretum Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Biſinianen. de Proceſſione cum Statua D. Antonii in Habitu Capucino per dictam Civitatem quotannis facienda confirmatur. *cum nota.* 89

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. A Clero Coſentino Officium Defunctorum in Eccleſia Fratrum ibi occaſione funeris &c. licitè non recitari potuiſſe, nec quartam funeralem juſtè prætenſam eſſe, declaratur. *cum nota.* 91

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Clericos Provinciæ in qualibet functione Laicos præcedere debere ſtatuitur, uſu Provinciæ non obſtante. *cum nota.* 92

Decreto Sac. Congreg. Concilii, A Legato pio Miſſarum à Gaſparo Maniccaro Domui Nuceriæ relicto Quartam detrahi inhibetur. 93

Decreto Sac. Rituum Congregationis, Ordo Proceſſionis in honorem Beatæ Virginis Mariæ Immaculatæ in loco S. Joannis de Flore inſtituendæ, inter RR. PP. Ciſtercienſes, & Fratres noſtros regulatur. *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Erectio Domûs in Terra Caroleorum à nonnullis Sacerdotibus ſub titulo Miſſionariorum prætenſa reprobatur. *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. In cauſa Hoſpitii, in Terra Cetrarii erigendi RR. PP. Minimos inter & Fratres noſtros vertente, ſub variis clauſulis erectio prioribus conceditur. 94

Decreto Sacræ Congregat. Concilii. A Principe Biſiniani in loco, & feudo ſuo Acrii Monaſterium 21. Monialium Capucinarum conſtrui, & 13. earum ab ipſo Principe, & ejus hæredibus, alias verò ab Ordinario nominari, Epiſcopo ibi committitur. *ibi*

Servum Dei Fr. Angelum ab Acrio in Ædibus Principis Biſinianenſis ad biennium commorari, indulget. *Benedictus XIII. cum nota.* 95

Decreto Sacræ Congregat. Epiſc. & Regul. commutatio petii Terræ Domui Sciliani contigui ſub obligatione manutenendæ clauſuræ conceditur. 97

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Feſtivitatem S. Paſchalis à Fratribus noſtris Terræ Lutii ipſo die Sancti,

cti, & alia die infra octavam in Eccleſia B. Virg. Mariæ *della Cava* celebrari debere, quæſtuationem autem ſub nomine dicti Sancti utrique parti competere ſancitur. *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Ad Superiores Locales Provinciæ Bannitis, & criminaliter inquiſitis aſylum præbentes, pœnæ aliàs taxatæ extenduntur. *ibi*

Fratres in Confeſſarios Ordinarios Monialium Monaſterii S. Claræ Civitatis Roſſanen. deputare, Archiepiſcopo ibi inhibetur. *Clemens XII.* *ibi*

PROVINCIA S. ANGELI IN APULIA.

Legatum pium, aliàs pro expenſis Capituli Provincialis in Civitate Æſernienſi celebrandi aſſignatum, in reparationem Domûs, & Eccleſiæ ibi converti indulget. *Clemens VIII. cum nota.* 100

Sortem principalem Censûs à quondam Marco Antonio Bruno Confraternitati Sanctiſſimi Corporis Chriſti Venafran. cum onere annuæ eleemoſynæ Fratribus ibi dandæ relicti, in reſtaurationem noſtræ Domûs erogari committit. *Paulus V.* 101

In Eccleſia Domûs S. Mariæ Gratiarum Loci Foggiæ Privilegium ab Altari Pietatis ad Altare Puritatis transferri concedit. *Greg. XV. cum nota.* *ibi*

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Loco Guglimari, contradictione RR. PP. Obſervantium Reformatorum non obſtante, conceditur. 103

Epiſtola Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Proſecutio Fabricæ novæ Domûs in Loco Veſtarum Epiſcopo ibi committitur. *ibi*

Decreto S. Congr. Epiſc. & Regul. Rudera Capellæ S. Antonii in eodem loco, antiquitùs ad Eccleſiam Reverendorum PP. Conventualium ſpectantis Fratribus pro nova Eccleſiæ fabrica concedi, & in hac Capellam ſub invocatione ejuſdem S. Antonii in recognitionem erigi committitur. *cum nota.* *ibi*

Domum in Terra Riccia erigi, ac decreta deſuper emanata executioni dari, Vicario Apoſtolico Beneventano committit. *Innocentius XI.* 104

Decreto S. Congreg. Rituum circa Feſtum, proceſſionem, Tredecinam &c. S. Antonii in Civitate Bovinenſi peragendam, dubia à PP. Conventualibus & Fratribus noſtris mota reſolvuntur. 105

PROVINCIA BARENSIS.

Fr. Jacobo à Melficto, vulgò à *Molfetta* ſe Raguſiam conferre, ibique Verbum Dei in Adventu, & Quadrageſima prædicare mandat. *Paulus III. cum nota.* 107

Ad inſtantias Comitiſſæ de Rubeo, ſeu *Ruvo* pro fabrica Domûs Civitatis Adrien. celeriùs abſolvendam, materiam etiam Feſtis diebus apportari indulget. *Gregorius XIII.* *ibi*

Libros, & Icones Domûs Monopolitanæ aliò tranſportari &c. ſub cenſuris prohibet, ac prohibitionem hujuſmodi ſemel in anno in pleno Capitulo publicari, & illius copiam portæ Bibliothecæ affigi mandat. *Urbanus VIIJ.* 108

Decretum S. Congregationis Rituum quo Fratres Medunei ſub propria Cruce in proceſſionibus incedere poſſe, contra Cleri oppoſitionem fuit declaratum, Apoſtolicæ firmitatis robore confirmat. *idem.* 109

Conſervationem Capucinellarum Loci Aquævivæ, ad Clauſuram redigi committit. *idem.* *ibi*

Libros Bibliothecæ Domûs Venuſinæ à Sylvio Maranta legatos, & uſui Fratrum non aptos vendendi, alioſque emendi facultatem largitur, ita tamen, ut pars emptorum Bibliothecis Barenſi, & Nojæ aggregetur. *idem.* 110

Decreto Sacræ Congregat. Rituum. Fratres Putiniani in jure præcedentiæ contra RR. PP. Obſervantes manutenentur. *cum nota.* *ibi*

Decreto S. Congregationis Rituum. Feſtum S. Antonii Patavini à Fratribus

noſtris

noſtris Terlitii die currente celebrari, contra PP. Obſervantes ibidem ſtatuitur. *cum nota.* 111

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Patres Diſcalceati S. Petri de Alcantara in Terra Caſtellanæ, ultra quatuor milliaria diſtantiæ ab eorum Conventu, & in Locis, ubi morantur Fratres noſtri &c. quæſtuare prohibentur. 112

Decreto Sac. Congreg. Rituum circa funeralia Cadaverum Sæcularium ad Eccleſiam Domûs Terræ Corati delatorum, Decreta jam aliàs emanata ſervari, & functiones funeralium non à Parocho, ſed Fratribus peragi mandatur. *c. n.* *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Infirmariam, & Aromatariam Domûs Barenſis reintegrari, ac à PP. Guardianis ſummam præſcriptam quotannis ſubminiſtrari ſancitur. 113

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Fundatio Conventûs in Terra Capurſi Patribus S. Petri de Alcantara, inſtantibus noſtris Fratribus ſecunda vice inhibetur. 114

PROVINCIA HYDRUNTINA.

Erectio novæ Domûs in loco Coriliani ad inſtantias Joannis de Montibus Marchionis dicti loci &c. ſignatur. 116

Litteris Pontificiis, ob mortem Archiepiſcopi Hydruntini executioni non datis, Vicario Generali Nerithonenſi hanc committit. *Sixtus V. cum nota.* 117

Epiſtola S. Congreg. Epiſc. & Regul. Revocatio licentiæ, in Terra Cryptaliarum Conventum erigendi RR. Patribus Obſervantibus Reformatis à Vicario Generali datæ approbatur. *cum nota.* 118

Epiſtola Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Domum in Terra Galatulæ erigi, & econtra aliam ſupprimi P. Generali committitur. 119

Erectio novæ Domûs in Terra Scorani ad inſtantias Communitatis ſignatur. 120

In Civitate Oritana novam Domum ad inſtantias Communitatis erigi, & 12. Fratres cum fruitione privilegiorum & Indulgentiarum Ordinis in ea in perpetuum habitare concedit. *Clemens VIII. cum nota.* 121

Ornamenta & Paramenta, à Maximiliano Bavariæ Duce Eccleſiæ Monialium Brunduſii à ſe conſtructæ donata, exinde extrahi prohibet, & prohibitionis copiam in valvis Eccleſiæ, vel alio loco perpetuò affixam manere mandat. *Paulus V. cum nota.* 122

Petium terræ, ad Eccleſiam ſæcularem B. Mariæ Virginis de Stigliano ſpectans, Domui Fratrum Loci Meſſapiæ incorporari, Ordinario committit. *Urbanus VIII.* 124

Domum ſuppreſſæ Congregationis Minorum Conventualium in Loco Squinzani cum omnibus juribus, Fratrum uſui relinqui jubet. *Idem. cum nota.* *ibi*

Terrenum ad Menſam Epiſcopalem Alexanen. pertinens, pro horto novæ Domûs Fratrum ibidem alienari concedit. *Idem.* 126

Aliud Terrenum ad eandem Menſam Epiſcopalem ſpectans pro Horto in beneficium ejuſdem Domûs Fratrum permutari committit. *Urbanus VIII. cum nota.* *ibi*

Epiſtola Sac. Congregat. Epiſc. & Regular. Epiſcopo Ugentinenſi Conventum Ruffani, ante Decretum Innocentii XI. *de parvis Conventibus* erectum, ſub prætextu, quod 12. Fratres in eo non degant, viſitare inhibetur. 127

Concordiam ratione horti Conventûs Civitatis Brunduſii, inter Cives & D. Archidiaconum confirmat. *Idem.* 128

Hortum Domûs Civitatis Licienſis annuo canone gravatum liberari, & onus ad alium fundum transferri, Epiſcopo &c. committit. *Idem.* *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Eccleſia B. V. Mariæ Incoronatæ extra muros Civitatis Nerithoneſis ſita Fratribus pro Habitatione ſeu Conventu conceditur. 129

Theſaurum in loco Rudiarum cum Fratrum moleſtiis perquiri, aut, ut perquiratur, permitti ſub cenſuris prohibet. *Idem* *ibi*

Cen-

Cenſum annuum & redimibilem ſuper bonis Communitatis Brunduſinæ Debitricis, in favorem Monaſterii Monialium ibidem Creditoris imponi concedit. *Idem. cum nota.* 130

Fr. Bonaventuram ab Alexano cum ſociis Miſſionariis Alvaro Regi Congi commendat. *Idem. cum nota.* 131

Reſiduum Legati Pii fabricæ & Sacriſtiæ Domûs Tarentinæ relicti in neceſſitates Provinciæ erogari indulget. *Idem.* 132

Manuſcripta Fr. Laurentii à Matera, ex hujus Loci Bibliotheca extrahi, ſub cenſura & pœna prohibet. *Innocent. X. cum nota.* *ibi*

De Libris mille & ſexcentis à Federico Termularum Epiſcopo Bibliothecæ Domûs S. Petri in Galatina legatis, inutiles vendi Syndico committit, conditione donationis non obſtante. *Idem cum nota.* 133

A Monialibus Civitatis Caſtroniti ſeu *Caſtellanetæ* partem primæ earum Domûs vendi, & pretium in novæ fabricæ uſum converti indulget. *Idem.* 134

Duabus duntaxat Monialibus ob ætatem 40. annorum ad Officium Abbatiſſæ in prædicto Monaſterio concurrere valentibus, & nullâ aliarum Monialium hiſce duabus votum ſuum dare volente, Moniales 35. annorum in Abbatiſſas eligi poſſe, ad ſexennium diſpenſat. *Idem.* *ibi*

Decreto Sacræ Congregat. Rituum. In Cauſa Proceſſionis S. Antonii inter PP. Reformatos & Fratres noſtros Civitatis Caſtroniti vertente, per alteros eam in die Feſtivitatis S. Antonii, & per alteros Dominicâ infra octavam fieri, & primos in poſſeſſione faciendi dictam Proceſſionem manuteneri mandatur. *cum nota.* 135

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Receptio Domûs pro uſu Infirmariæ in Civitate Gallipolitana, Ordinario inibi committitur. 137

Decreto Sacræ Congregat. Concilii. A Monialibus Civitatis Lycii Domum vetuſtate fatiſcentem vendi, & pretium in alterius vicinæ Domûs emptionem erogari, ac onera Domui alienatæ annexa ad Domum emptam transferri, Vicario Generali inibi committitur. *ibi*

Decreto Sacræ Congregat. Epiſc. & Regul. Conſervatorium Capucinarum Materæ in Monaſterium erigi &c. Archiepiſcopo Loci committitur. 138

Decreto S. Congreg. Concilii. Clericum N. ab Epiſcopo pro recipiendis prima Tonſura, & duobus Ordinibus Minoribus prioribus duntaxat admiſſum, & in actu Ordinationis ad alios quoque duos poſteriores ſe vocatum allegantem, ſub conditione re-ordinari ſancitur. *cum nota.* *ibi*

Decreto Sac. Congreg. Concilii. Intorticia &c. accenſa per viam occaſione, qua ad Eccleſiam noſtram Cadaver Filii Ducis Cilii deferebatur, demptâ Quarta ad Fratres pertinere declaratur. 141

PROVINCIA PANORMITANA.

Pontificio vivæ vocis Oraculo, Domos Provinciæ ſegregari, & tres diſtinctas Provincias ex iis formari conceditur. 144

Altare SS. Crucifixi in Eccleſia Domûs Panormitanæ pro noſtris Sacerdotibus tantûm in perpetuum privilegiat. *Gregorius XV.* 145

Ad preces Felicitatis Corſo Monaſterium Tertiariarum Capucinarum ſub invocatione Sanctæ Eliſabeth Reginæ in Civitate Panormi conſtrui: harum numerum ad triginta tres extendi: Converſas in illud non admitti: pro ejus regimine Statuta condi: Monialibus ſub juriſdictione Ordinarii viventibus, privilegia aliorum ſimilium Monaſteriorum communicari: nullam niſi cum dote annui redditûs 30. ſcutorum recipi, & Legatum 37. ſcutorum aliàs pro nubenda aſſignatum pro commodiore Moniaium victu applicari, Archiepiſcopo Panormitano committit. *Paulus V.* *ibi*

Fr. Angelum à Corleone ad liberandos ê captivitate Chriſti Fideles Alge-

rium

rium iturum, Apoſtolica licentia communit. *Urbanus VIII.* 147

Fr. Urbanum à Politio, ad Joannettinum Card. Auriæ ablegat, & in commiſſo negotio libenter audiri commendat. *idem cum nota.* 148

Pro nova Domo Terræ Alcami ſitum, ex ære venditi ſitûs antiquæ Domûs emi indulget. *Idem.* 149

S. Reliquias, aut præſentes aut futuras, ex Eccleſia Conventûs Panormitani extrahi, aut aliò aſportari, vel eas extrahi aut aſportari permittere, ſub cenſuris & pœnis prohibet. *Idem. cum n. ibi*

Ædificia Domûs & Infirmariæ antiquæ in loco Thermarum Himerantium, ſeu *Termini* vendi, & æs exin redactum ad opus novæ fabricæ applicari, Syndico indulget. *Idem.* 152

Ex ære antiquæ Domûs Loci Burgii novam conſtrui concedit. *Idem.* 153

Etiam demolitionem Eccleſiæ dictæ Domûs veteris loci Thermarum ſeu *Termini*, & cœmentorum uſum pro opere fabricæ novæ ratihabet. *Idem.* *ibi*

Eccleſiam antiquæ Domûs Loci Politii oſſibus mortuorum & ſuperficie terræ priùs translatis, ad prophanos uſus reduci, & cœmentorum pretium in beneficium novæ fabricæ impendi, Epiſcopo loci committit. *Idem cum nota.* 154

Quædam terræ petia aliàs pro fabrica Domûs Terræ Alcami empta vendi, eorumque pretium in alias ejuſdem Domûs neceſſitates converti, Syndico committit. *Idem.* 155

Vitulos in Conventibus Provinciæ, non obſtante prohibitione aliàs facta, mactari poſſe concedit. *Idem.* *ibi*

Novam Domum in Loco Corleonis conſtrui concedit. *Idem. cum nota.* 156

Ex Eccleſia Domûs novæ Drepani Sacras Reliquias extrahi vetat. *Innocent. X. cum nota.* 157

Præcavet idem circa Reliquias Eccleſiæ Domûs Oppidi Caſtriveterani. *Clemens IX. cum nota.* 158

Electionem Fr. Joſephi ab Ica in Miniſtrum Provincialem confirmat, non obſtante, quod in numero 14. Fratrum, ad officium Provincialatûs ab Eminentiſſimo Cardinale Protectore, & P. Miniſtro Generali, Papali conſenſu nominatorum, non eſſet comprehenſus. *Clemens X.* 159

Decreto S. Cong. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Loco Aragoniæ ad inſtantias Principis ibidem conceditur. 160

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Situm ad Capitulum Agrigentinum pertinentem Fratribus concedendi, hoſque cum S. Imagine Bonamoren. ad novum Conventum, Cruce in loco Eccleſiæ prioris profanatæ erectâ, & conventione quoad aquam à Comite de Comiſo conceſſam ſervatâ transferendi, Epiſcopo Agrigentino facultas datur. *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Hoſpitium Planæ Græcorum in Conventum erigitur. 161

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Infirmariam Fratrum magno Civitatis Panormitanæ Noſocomio unitam intra Clauſuram comprehendi declaratur. *ibi*

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Loco Caſtri Thermarum conceditur. 162

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Loco S. Cataldi committitur. *ibi*

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Ad inſtantias Principis Franciſci Morſo &c. novam Domum in ejus Feudo & loco Podii Realis conſtrui, à Fratribus Confeſſiones ibi excipi, & Principiſſæ &c. ingreſſum Conventûs concedi ſtatuitur. *ibi*

Perſonas, quæ ex Eccleſia Domuum, & Dioec. Agrigentinen. Sacram Supellectilem aut abſtulerunt, aut occultârunt, aut aſſervârunt, vel ad illius reſtitutionem aut revelationem moneri, vel poſt præfixi termini lapſum generaliter excommunicari, Archiepiſcopo Panormitano&c. comittit. *Innoc. XIII.* 163

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Monialibus S. Claræ Panormi facultas in earum Capella Domeſtica ce-

lebrandi Miſſam conceditur. *cum nota.* 164

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Hoſpitio Loci S. Cataldi, durante fabricâ, aſſervari poſſe concedit. *Benedictus XIII.* 165

Epiſtolâ Sac. Cong. Epiſc. & Regul. Inſtantibus Joſepho Aliata, Principe Villafrancæ, & Maria Anna Aliata, Principiſſa, ejus Conjuge, in Feudali eorum Terra Salæ Parutarum novam Domum ſub expreſſis conditionibus erigi, Epiſcopo Mazarienſi committitur. *ibi*

Decreto Sac. Congregationis Concilii. Cauſas nullitatis Profeſſionum ab Epiſcopis Provinciæ Siculæ ſine Superiore Regulari recognoſci inhibetur: reſtitutionem in integrum adverſus lapſum quinquennii à Curia Romana impetrari debere ſancitur: & Religioſi, quorum Profeſſio ex aſſerto privilegio aut conſuetudine contra formam Concilii Tridentini fuit declarata invalida, ad Habitum & clauſtra intra anni terminum redire, & cauſas ſuas Romæ proſequi jubentur. 166

Altare Capellæ B. V. Mariæ Eccleſiæ Panormitanæ privilegiat, privilegio Altari SS. Crucifixi in perpetuum conceſſo non obſtante. *Benedictus XIV. cum additione.* 172

PROVINCIA MESSANENSIS.

Pontificio vivæ vocis oraculo, Provincia ex Conventibus Meſſan. erigitur. 175

Dimiſſam à Fratribus in Civitate Liparenſi Domum & Eccleſiam, RR. Patribus de Obſervantia cum ornamentis & paramentis concedi confirmat. *Clemens VIII.* 176

Fr. Archangelum Meſſanenſem ad Ducem Pernonæ Maſſiliam ablegat, huicque res Maſſilienſium commendat. *Idem.* *ibi*

Epiſtolâ S. Congreg. Epiſc. & Regul. Proſecutio Fabricæ novæ Domûs Loci Nicoſiæ, contradictione non obſtante, Archiepſcopo Meſſanenſi committitur. 177

Eccleſiam S. Mariæ *Annuntiatellæ* nuncupatam cum Viridario, Ciſterna &c. pro Infirmaria in Civitate Meſſanenſi conſtruenda alienari, & Fratribus donari ſignat. *ibi*

Eandem Infirmariam à Domo Fratrum Meſſanæ diſmembrari, & hos ad novam poſſeſſionem induci, Archiepiſcopali Vicario committit. *Paulus V.* 179

Concordiam Fratres inter -- & Gubernatores Magni Hoſpitalis Pietatis Meſſanæ &c. de antiquæ Infirmariæ ceſſione & novæ poſſeſſione factam, Apoſtolica Auctoritate approbari, Vicario Generali &c. committit. *Idem. cum nota.* 180

Monaſterium ſuppreſſæ Congregationis FF. Minorum Conventualium Reformatorum Loci Roccæ Fratribus noſtris cum omnibus juribus &c. conſignari mandat. *Urbanus VIII.* 183

Venditionem ſitûs antiquæ Domûs Oppidi Caſtri Regalis, & converſionem pretii redacti in fabricam novæ Domûs factas confirmat. *Idem.* 184

Novam Domum Loci Brontis ex pretio venditæ antiquæ conſtrui indulget. *Idem.* 185

Oſſa Fratrum defunctorum ad Eccleſiam novæ Domûs Loci de Troyna tranſferri committit. *Idem.* 186

Epiſtolâ Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Fratres Prædicationis officio deſtinatos ad examen vocare, Archiepiſcopo Meſſanenſi inhibetur. *cum nota.* *ibi*

Privilegium Altaris de Eccleſia antiquæ Domûs Catanæ ad Eccleſiam novam tranferri concedit. *Idem cum nota.* 188

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Ex ære veteris Domûs Loci Engii vulgò *Gangè* novam fabricam conſtrui conceditur. 189

Decreto Sac. Congregat. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in loco Hironis, vulgo *Gerace* Archiepiſcopo Meſſanenſi committitur. 190

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Conſtitutionem Clementis PP. IX. præcedentiam PP. ex-Definitoribus denegan-

negantem ſervari jubetur. *cum nota* *ibi*

Epiſtolâ Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul. Petium terræ de Domo Catanæ Principi Biſcarienſi alienari, & pretium, aliàs ad Reverendam Cameram Apoſtolicam ſpectans, titulo charitatis in beneficium ejuſdem Domûs converti committitur. 191

Decreto Sacr. Congregat. Epiſc. & Regul. Retractum de Domo antiqua pretium in beneficium novæ fabricæ in loco Tortorices converti committitur. *ibi*

Ad inſtantias Ferdinandi Franciſci Gravina, Principis Palagoniæ &c. erectionem novæ Domûs Loci Pedemontis, Archiepiſcopo Meſſanſi committit, obligatione ſupplendæ eleemoſynæ prius ſublatâ. *Clemens* XII. *ibi*

PROVINCIA SYRACUSANA.

Pontificio Vivæ vocis oraculo, Provincia ex Conventibus Syracuſanis erigitur. 194

Petium terræ, Domui Mazzarini annexum, mediante Syndico vendi, & pretium inde redactum ad opus Clauſuræ converti indulget. *Innocentius X.* *ibi*

Ablegatum à ſe ob Religionis negotia Fr. Innocentium à Calatagirone Miniſtrum Generalem, Regi Chriſtianiſſimo commendat. *Idem.* 195

Nec non Reginæ Chriſtianiſſimæ. *Idem* *ibi*

Duci Aurelianenſi. *Idem.* *ibi*

Ac Julio, Cardinali Mazzarino. *Idem. cum nota.* 196

Sacras Reliquias ab eodem Fr. Innocentio à Calatagirone tempore ſui Generalatûs conquiſitas, & Eccleſiæ Domûs dicti Loci Calatagironis aſſignatas, extrahi vetat, & prohibitionis copiam in loco conſpicuo affigi mandat. *Innocentius* X. *cum nota.* 197

In Hoſpitio Syracuſæ, Fratrum Infirmorum commodo deſtinato, Perſonas Sæculares, cujuſvis ſint gradûs & conditionis recipi, hoſpitari, aut pernoctare, ſub cenſura prohibet. *Innocentius XI.* 199

Decreto Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. In Loco Victoriæ, vulgò *della Vittoria* nuncupato Domum erigi, Epiſcopo Syracuſano committitur. *ibi*

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Ad inſtantias Ferdinandi Franciſci Gravina, Principis Palagoniæ &c. conſtructio novæ Domûs in Loco Franciſfontis committitur. 200

Decreto S. Congreg. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Loco Biſcaris Ordinario Loci committitur. *ibi*

In Cauſa Fr. Angeli de Ennâ, tam ex cauſa morbi, quàm metûs Profeſſionem annullare cupientis, S. Congregatio Concilii inducias & reviſionem ſententiæ Definitorii Generalis ordinat, ac *ad Mentem* reſcribit. 201

Decreto S. Congreg. Concilii Cauſas nullitatis Profeſſionum ab Epiſcopis Provinciæ Siculæ ſine Superiore Regulari recognoſci inhibetur &c. *cum nota.* 203

PROVINCIA APRUTINA.

In ſitu Eccleſiæ S. Mariæ Loci Catiniani novam Fratrum Domum erigi, dictamque Eccleſiam, diſmembratis prius illius redditibus et juribus, Fratrum uſui relinqui indulget. *Gregor.XIII.* 205

Ceſſionem cujuſdam petii terræ, et alterius aſſignationem pro Conventu Camplorum comodiùs ædificando, Communitatem inter-et Monaſterium Monialium B. Mariæ Angelorum Ord. S. Benedicti ibidem ratihaberi committit. *Idem.* 206

Epiſtolâ S. Congreg. Epiſc. et Regul. Novam Domum in loco Ophæni erigi, et aliam in Provincia ſupprimi, P. Miniſtro Generali comittitur. *c: n.*207

Legatum perpetuum ab Antonia Oliva Fratribus relictum ad perfectionem fabricæ Domûs S. Michaelis Civitatis Aquilæ converti committit. *Paulus V.* 208

Situm pro nova Fratrum Domo in Civitate Ortonenſi legatum vendi, et pre-

pretium in ſubſidium Fabricæ in alio loco erigendæ converti concedit. *Urbanus VIII.* *ibi*

Decreto Sac. Congregat. Epiſcop. & Regul. Erectionem novæ Domûs in Terra Radiani à PP. Reformatis impediri non poſſe ſancitur. *cum nota.* 209

Emptum pro fabrica Domûs Civitatis Aquilæ terræ petium vendi, & pretium in neceſſitates alias dictæ Domûs converti indulget. *Urbanus VIII.* 210

Decreto Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regul. Venditio Sitûs veteris Domûs ibidem conceditur. *cum nota.* *ibi*

Epiſtolâ Sac. Congreg. Epiſcop. & Regul. Viſitatio SS. Sacramenti &c. in Eccleſia Conventûs Montorii ab Epiſcopo facta reprobatur. *cum nota.* 212

Decreto Sacr. Congreg. ſuper Statu Regular. Domum S. Joſephi extra muros Civitatis Aquilæ ſuppreſſam, ad primævum ſtatum reduci, Epiſcopo Loci committitur. *cum nota.* 213

Domum in Terra Cermigliani ab Euſtachio Sterlich Toparca &c. erigi, & Fratribus conſignari, Epiſcopo loci committit. *cum nota.* 215

Decreto S. Congreg. Concilii Unam ex tribus manſionibus Eccleſiæ Conventus Loci Aveani, vulgò *Avezzano*, adjacentibus pro hoſpitandis Sæcularibus accommodari conceditur. *cum nota.* 216

PROVINCIA CALARITANA IN SARDINIA.

Epiſtolâ Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Executionem Decretorum, à Viſitatoribus Apoſtolicis emanatorum, Superioribus Ordinis ſeu Provinciæ relinqui, Archiepiſc. Calaritano committitur. 219

Fr. Michaelem à Panormo, qui ad Provinciam Viſitator fuerat miſſus, & poſt obitum P. Miniſtri Provincialis eandem ceu Viſitator permanens gubernaverat, Miniſtrum Provincialem, Generale Capitulum acceſſurum conſtituit. *Clemens* X. *ibi*

Conſtitutionem de abrogatione Diſcretorum ad Provinciam extendit. *Innocentius XII.* 220

Provinciam, Sardiniæ aliàs nuncupatam, in duas, videlicet Calaritanam & Turritanam, dividi concedit. *Idem cum nota.* 211

Decreta, quibus Sacra Congregatio Epiſc. & Regul. Fratribus Regni Sardiniæ facultatem Tertii Ordinis Habitum Sæcularibus utriuſque ſexûs diſpenſandi competere nominatim declaravit, confirmat. *Clemens XI.* 223

Decretum, quo Sacra Congregatio Epiſc. & Regul. electionem Diſcretorum pro duobus Capitulis Provincialibus reſtituit, Apoſtolica confirmatione communit. *Innocentius XIII.* 224

Eandem electionem Diſcretalem ad quatuor alia Capitula Provincialia extendit. *Benedictus XIII. cum nota.* 225

Decreto Sac. Congr. Epiſc. & Regul. Erectio novæ Domûs in Oppido Tortolii Archiepiſcopo Calaritano committitur. 227

PROVINCIA TURRITANA.

Ampullam Sanguinis S. Gavini Martyris, ſeu ejus partem ex Eccleſia Fratrum loci Nulvi extrahi ſub cenſuris prohibet. *Urbanus VIII.* 229

Decretum Sacr. Congregationis Rituum, quo præcedentia in Proceſſionibus in dicto loco Nulvi RR. PP. Obſervantibus contra Fratres noſtros adjudicata eſt, confirmat. *Innocentius XI. cum nota.* 229

Conventus Turritanos in Provinciam erigi iudulget. *Innocentius XII.* 231

Decreto Sac. Congreg. Indulg. Peragentibus Viam Crucis à Fratribus noſtris Civitatis Saceris ante Conſtitutionem Clementis XII. in Monte, Valverde nuncupato, erectam, eædem indulgentiæ conceduntur, quas lucrantur peragentes erectam à Fratribus, Miniſtro Generali Obſervantium ſubjectis. *cum nota.* *ibi*

CUSTODIA MONFERRATENSIS.

Veterem Civitatis Caſalenſis Domum ex vicino aquæ lapſu & morboſo aëre infeſtatam demoliri, ſitum ejus vendi, ac ſupellectilem Eccleſiæ ad novam Domum tranſportari, Vicario Generali, & Præpoſito inibi committit. *Gregorius XIII.* 237

Duas Moniales ê Monaſterio S. Barbaræ Mediolani, ad novum Monaſterium Capucinarum Civitatis Caſalenſis pro hujus gubernio et inſtructione transferri, Archiepiſcopo Mediolanenſi etc. committit. *Paulus V. cum nota.* 238

A Fr. Hyacintho Caſalenſi litteras ſibi inſcriptas ſe recepiſſe, & commiſſa negotia ab eodem ſe partim audiviſſe, Svicardo, Archiepiſcopo, & Electori Moguntino renuntiat. *Idem.* 240

Maximiliano Bavariæ Duci, eundem Fr. Hyacinthum ad ſe mitti deſideranti, Pontificiam mentem à Joanne Baptiſta Cribellio patefaciendam eſſe, ſignificat. *Idem.* 241

Eundem Fr. Hyacinthum ad tractanda Religionis negotia in Germaniam & Hiſpaniam ablegat, privilegiis munitum. *Gregorius XV. cum nota.* ibi

Eundem pro felici Legationis ſucceſſu, ac plena fide adhibenda commendat tribus Electoribus Eccleſiaſticis fol. 255

— Leopoldo, Archiduci Auſtriæ. *Idem.* 256

— Carolo, Epiſcopo Wratislavienſi. *Idem.* ibi

— Maximiliano, Bavariæ Duci. *Idem.* 257

— Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi. *Idem.* ibi

— Comiti de Ognat, Regis Catholici apud Cæſarem Oratori. *Idem.* 258

— Eidem, alio exemplo. ibi

— Joanni Olderico, Comiti de Echenberg. *Idem* 259

— Eidem, alio exemplo. ibi

— Carolo, Comiti de Harrach. *Idem.* ibi

— Eidem, alio exemplo. 260

— Martino Becano, Societ. Jeſu, Cæſari à ſacris confeſſionibus. *Idem.* ibi

— Eidem, alio exemplo. 261

— Joanni Georgio ab Hochenzolleren. *Idem.* ibi

— Eidem alio exemplo. 262

— Wolffgango Guilielmo, Duci Neoburgi, *Idem.* ibi

— Franciſco, S. R. E. Presbytero Cardinali de Dietrichſtein. *Idem.* 263

— Friderico, S.R.E. Presbytero Cardinali de Hochenzolleren. *Idem.* ibi

— Maximiliano, Comiti de Trautmanſdorff. *Idem.* 264

— Philippo Chriſtophoro, Epiſcopo Spirenſi. *Idem.* ibi

— Godefrido, Epiſcopo Spirenſi. *Idem.* 265

— Maximiliano, Duci Bavariæ. *Idem.* ibi

— Joanni Svicardo, Archiepiſcopo, & Electori Moguntino. *Idem.* 266

Eundem Fr. Hyacinthum ob eadem Religionis negotia in Hiſpanias euntem commendat Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico *Idem.* ibi

— N. Comiti Beneventi. *Idem.* 267

— Franciſco, Marchioni Aytonæ eodem exemplo. ibi

— Balthaſari à Zuniga, *Idem.* 268

— P. Antonio de Sotomajor, Ordinis Prædicatorum, Regi à Sacris Confeſſionibus. *Idem.* ibi

— Caſpari, Comiti de Olivares. *Idem.* 269

— N. Duci de Infantado. *Idem.* ibi

— N. Auguſtino Mexia. *Idem.* 270

— N. Duci Montis Leonis. *idem.* ibi

Eundem in Belgium reducem commendat Iſabellæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Hiſpaniarum Infanti, viduæ. *idem.* ibi

— N. Marchioni Spinulæ. *idem.* 271

Eidem Fr. Hyacintho Sacras Reliquias ex piis Germaniæ, Franciæ, Hiſpaniæ, & Belgicarum Ditionum Locis extrahendi, pro ſe retinendi, vel aliis Eccleſiis donandi facultatem impertitur. *idem.* ibi

In Conventu Principum Ratisbonenſi.

ſi Fr. Hyacinthum benignè audiri noviter commendat Joanni Svicardo, Archiepiſcopo & Electori Moguntino, *idem*. 272
— Ferdinando, Archiepiſcopo & Electori Colonienſi. *idem*. *ibi*
— Lothario, Archiepiſcopo & Electori Trevirenſi. *idem*. 273
— Joanni Godefrido, Epiſcopo Herbipolenſi. *idem*. 274
— Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi. *idem*. *ibi*
— Eidem, alio exemplo. *ibi*
— Ferdinando, Archiepiſcopo & Electori Colonienſi. *idem*. 275
— Maximiliano, Bavariæ Duci. *idem*. *ibi*
— Wolffgango Guilielmo, Duci Neoburgi. *idem*. 276
— Comiti d'Ognat, Philippi Regis Catholici apud Cæſarem Oratori, *idem*. *ibi*
— P. Martino Becano, Societatis Jeſu Presbytero, Cæſaris Confeſſario. *idem*. 277
Eundem Fr. Hyacinthum in legatione confirmat, Socios pro ſuo arbitrio ubicunque aſſumere, & 6. alios Ordinis Religioſos, Auctoritate Apoſtolica ad negotia Legationis tractanda ablegare concedit. *Vrbanus VIII*. *ibi*
Eidem SS. Miſſæ Sacrificium una-ante diurnam lucem & aliâ-poſt meridiem horis celebrandi facultatem largitur. *idem*. 278
Eundem pro Legationis negotiis commendat Iſabellæ, Archiduciſſæ Auſtriæ Hiſpan. Infanti, Viduæ. *idem*. *ibi*
— Marchioni Spinulæ. *idem*. 279
— Ferdinando, Imperatori. *idem*. *ibi*
— Eleonoræ &c. Imperatrici. *idem*. fol. 280
— Maximiliano, Duci & Electori Bavariæ. *idem*. *ibi*
— P. Martino Becano, Societ. Jeſu Presbytero, Cæſaris Confeſſario. *idem*. *ibi*
— Joanni Olderico, Principi de Ecchenberg, primo Cæſareæ Majeſtatis Miniſtro. *idem*. 281
— Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi. *idem*. *ibi*
— Alphonſo, S. R. E. Cardinali de la Cueva. *idem*. 282
— Joanni Svicardo, Archiepiſcopo & Electori Moguntino. *idem*. *ibi*
— Lothario, Archiepiſcopo & Electori Trevirenſi. *idem*. *ibi*
— Ferdinando, Archiepiſcopo & Electori Colonienſi. *idem*. 283
Eundem noviter ſuum Apocriſarium, & Miſſionarium cum facultatibus Apoſtolicis in Germaniam ablegat. *idem cum nota*. *ibi*
Ac pro novæ Legationis ſucceſſu commendat Franciſco, S. R. E. Presbytero Cardinali de Dietrichſtein. *idem*. 285
— Erneſto Alberto, S. R. E. Cardinali de Harrach. *idem*. *ibi*
— Tribus Electoribus Eccleſiaſticis, eodem exemplo. *idem*. *ibi*
— Ferdinando, Imperatori. *idem*. 286
— Eleonoræ, Imperatrici. *idem*. *ibi*
— N. Regi Hungariæ. *idem*. 277
— Leopoldo, Archiduci Auſtriæ. *idem*. *ibi*
— Maximiliano, Duci & Electori Bavariæ. *idem*. *ibi*
— Alberto, Principi de Wallſtain. *idem*. 288
— Joanni, Comiti de Tilli. *idem* *ibi*
— Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi. *idem*. *ibi*
Epiſtolâ S. Congreg. Epiſc. & Regul. Sententiam pro erectione noſtri Conventûs in Loco Montis Calvi à ſe latam, Epiſcopus exequi jubetur, rationibus RR. PP. Obſervantium non obſtantibus 289
Reliquiaria, aut SS. Reliquias à Maximiliano Bavariæ Duce, S. R. I. Principe Electore, Eccleſiis Domuum Civitatis Caſalen. & Regalis Oppidi S. Salvatoris donatas, inde extrahi Eccleſiaſticis cenſuris vetat. *Vrbanus VIII*. *ibi*
Situm Domûs extra mœnia Civit. Caſalen. dirutæ per Syndicum vendi, & pretium redactum in extinctionem æris alieni ob novi Conventûs fabricam contracti converti indulget. *cum nota*. 290
Conventus in Ducatibus Mantuæ & Montisferrati ſitos à Provinciis Veneta

& Januenſi diſſecari, ac ex iis novam Provinciam formari, ad inſtantias Ducis Caroli Ferdinandi concedit. *Innocentius* XI. *cum nota*. 291

Reſcripto Pontificio, Conventus à Provincia Januenſi ſcinduntur & in Cuſtodiam eriguntur. 292

CUSTODIA TRIDENTINA.

Epiſtolâ Sac. Congreg. Epiſc. & Regul. Pro Conventu Roboreti à RR. PP. Obſervantibus Reformatis conſtruendo, conſenſum à Fratribus noſtris datum eſſe, Epiſcopo Principi Tridentino nuntiatur. 294

Cauſam fundationis duarum Domuum in Vallibus Condini & Maleti à Sacra Congregatione Epiſc. & Regul. ad ſe avocat, & contra RR. PP. Reformatos, fabricæ & fundationis perfectionem Epiſcopo Principi committit. *Benedictus XIV.* ibi

Reſcripto Signaturæ Gratiæ, Aperitio oris contra præpoſitas Litteras Pontificias à RR. PP. Reformatis petita &c. rejicitur. 297

Prædictorum duorum Conventuum cauſam in Signatura Gratiæ ad Fratrum noſtrorum favorem deciſam, deciſionem à ſe confirmatam, & exin juſtitiam & merito cauſæ, & zelo Epiſcopi, S. R. I. Principis, factam eſſe, eidem ſignificat. *Benedictus XIV.* 298

CUSTODIA MELITENSIS.

Reſcripto Pontificio, Erectio novæ Domûs in Loco *Vittorioſa* nuncupato, Definitorio Generali committitur. *cum nota*. 300

Reſcripto Pontificio, Facultas fundandi novam Domum in Inſula Gaudioſa, vulgò *Gozzo* vocitata, conceditur. *cum nota*. 304

PROTESTATIO
COMPILATORIS, SEU AUCTORIS.

DUM in Virorum Illuſtrium elogiis, per hunc Tertium Bullarii Tomum ſparſis nonnulla, quæ iis Sanctitatem attribuere videntur, attingo, geſta, quæ miracula redolent, de iis recenſeo, aliaque forſan in aſpectu dura ad credendum hiſtoriæ immiſceo, illa ceu ab Apoſtolica Sede examinata, & approbata à Lectore teneri nolo, ſed econtra Apoſtolico Sac. Congregationis Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Decreto die 13. Martii 1625. edito, & 5. Julii 1634. confirmato integrè inſiſtendo, juxta Declarationem ejuſdem Decreti à SS. D. N. Urbano PP. VIII. die 5. Junii 1631. factam declaro, quod, quidquid Sanctitatis, aut cultûs hujuſmodi Viris attribuitur, id non ſuper eorum Perſonas, ſed mores & opinionem duntaxat cadant, & Facta immixta totum auctoritatis pondus à Chartis hiſtoricis, aut Auctoribus & Libris, è quibus illa hauſta & deprompta ſunt, mutuent: eapropter omnia in eo ſenſu & fide, quam ſecluſa mea narratione obtinerent, eâ, quâ par eſt erga Sanctam Sedem, reverentia & obedientia relinqui, accipi, & teneri cupio. Et ita profiteor & proteſtor.

PROVINCIA
NEAPOLITANA.

REgnum Neapolitanum, aliàs & Regnum Siciliæ citra Pharum, vel etiam Apuliæ appellatum, tum ob vaſtitatem, quâ dimidiam fere ad Orientem vergentis Italiæ partem concludit, Sedeſque Epiſcopales 140. *incirca numerat, tum ob Principum, Ducum &c. ac Nobilium copiam, quæ Antonomaſiam Regni* Nobilis *tulit, tum ob delicias ſitûs, in quo ubertas agrorum, aëris ſalubritas, decor Urbium, mineralium varietas, ilicium aquarum &c. gratiſſimum & voluptatis & utilitatis certamen exhibent, verè Regiæ gloriæ Sedem eſſe, amplè deſcribunt Hiſtoriographi.*

Inde ut & ramus noſtræ Reformationis, cujus arbor in alma Urbe & per Umbriam & Marchiam firmas jam fixerat radices, illuc ad florem transferatur, fuit attenta primorum noſtrorum Patrum cura, & operoſum illorum Studium. Eapropter ad initium anni 1530. *Fratres ad Civitatem, Regni Principem, Neapolin ablegârunt, quibus Charitas Nobilis Mulieris Mariæ Laurentiæ Longę (de qua uberior reſtat, & ſequitur ſermo) diverſorium curavit, & illius operâ Cardinalis Vincentius Carrafa primum Domicilium ſeu Ædiculam S. Euphebii, vulgò S. Ephremi præbuit. Huic paulò poſt Monaſterium ſeu Conventus, retento S. Euphebii nomine, fuit adiunctus, cujus* ædificatio conſtructa crevit in Templum Sanctum in Domino: *crevit in Provinciam Religioſæ virtutis decore celebrem. In hac Ven. Dei Servus Fr. Jeremias à Valachia, Laicus, arctam divinæ legis, & perfectionis Semitam feliciter intravit, zelanter cucurrit, & glorioſiſſimè conſumavit, itaquidem, ut Sacer Romanorum Patrum Conſeſſus de illius Beatificatione per plures deliberaverit annos, &, quantumvis in præſentia cauſa jam ſileat, ſpes tamen Sacri non jaceat honoris. Habuit Jeremias in hac ſua Semita, & Pręcurſores & Sequaces, fuitque florens ſemper in hac Provincia virtus potens illa vis, quæ & Principes Regni alligavit in Religioſæ vitæ compedibus, & Nobiles Civitatis per ſpontaneum Vitæ Capucinæ in hac Provincia delectum, Evangelicæ perfectionis ſtrinxit manicis, fueruntque horum*

Ex Principum Proſapia.

Fr. Angelicus & Fr. Bonaventura à Neapoli, ex Stemmate Aquaviva, & Ducibus Hadriæ, Converſani, Nucum &c. Principibus Terami, Marchionibus Tripuzii, Dominis Pali, Nerithonis &c.

Fr. Antonius à Neapoli ex Stirpe Carraſa, & Ducibus Nojæ, Bojani, Nuceriæ, Cancellarii &c. Marchionibus Civitatis S. Angeli, Comitibus Soziani & Civitatis Nuſci &c. Familiæ ſuæ Primogenitus.

Fr. Antonius Maria à Neapoli, ex Familia Dentice, & Principibus Fraxi &c.

Fr. Bernardus, & Fr. Franciſcus Maria à Neapoli, Fratres ſecundùm carnem Germani, ex Genere Philomarinorum, Ducum Turris Marinæ, Marchiæ, Principum Collis de Anchiſo, S. Poli, Mignanelli, Ducum Bojani, Civitæ, Dominorum utilium Zeverolacii, Ducum Falli, Marchionum Corlari, Baronum Maliæ, Sancti Iſidori &c.

Fr. Franciſcus à Neapoli, ex Principibus Domûs Severinæ, Marchionibus Galeati, Dominis Palmoli, Peſchioli, S. Juliani, Ducibus Secli, Biſiniani, Surbi, Tamerani: Primogenitus Familiæ ſuæ, & Familiæ Capucinæ Definitor Generalis.

Fr. Franciſcus ex Satu Spinellorum, Ducum Caivani, Marchionum Fuſcaldi, S. Mariæ &c. Principum S. Archangeli, Dominorum Paulæ &c.

Fr. Gabriel à Neapoli, ex Gente Carraſa, de Statera nuncupata, & Dominis Verdichii, Principibus Guardiæ, & S. R. Imp. &c. Ducibus Magdalonii, Marchionibus Argentii, Cerretanorum Comitibus, Civitatis S. Agathæ Gothorum Dominis utilibus, Caſtri Cancelli Baronibus &c.

Fr. Hyacinthus & Fr. Robertus ex Principum Normannorum Sanguine, & Familia Scalione, Comite Capitanatæ, Samnii &c. Martorani, & Piſtæbellæ Dominâ &c.

Fr. Joannes à Neapoli, ex Vetuſta Progenie Rufforum, Ducum Banaræ, Baronum Solani, Principum Mottæ, S. Antimi, S. Joannis, Valadini &c. Baronum Amandolæ, Roccaſortis, Conduſuri &c. Dominorum Flumaræ, Curingæ, Maydæ, Civitatis S. Petri, Venæ, Ingurtii, Acconiæ &c.

Fr. Laurentius à Neapoli, ex Propagine Aquaviva de Aragonia, & Ducibus Hadriæ, Principibus Terami, Marchionibus Aquavivæ, Bitunti, Arenæ &c. Comitibus Juliæ novæ, & Joviæ &c. qui, cum Ordo noſter ſuos ad Pontificatum aſſumi tunc nollet, ad Ciſtercienſes tranſiit, & paulò poſt Mytra Cajacenſi inſignitus fuit.

Fr. Thomas à Neapoli ex Germine Milanorum, Marchionum Sancti Georgii, S. R. Imp. Principum Ardoris, Poliſtenæ &c.

Ex Ducali Satu.

Fr. Antonius à Cajeta ex Familia Laudatorum, Ducum Marzani &c.

Fr. Franciſcus Maria à Capua, ex Genere de Balzo, Familiæ Primogenitus, ac Ducum Schiavorum ultimus.

Fr. Franciſcus à Neapoli, Proles Ducalis Familiæ Pignatelli, Dominæ Tuſfilli &c.

Fr. Joannes à Neapoli, ex Familia Criſpana, Duce Mirannæ &c.

Fr. Ludovicus à Neapoli, ex Ducibus Guardiæ, & Familia Marra.

Fr. Nicolaus Maria à Neapoli ex Stirpe Macedoniorum, Ducum Gryptellarum &c.

Fr. Philippus à Burgo, ex Stemmate Moles-Trivultii, Familiæ Primogenitus, Dux Paretis &c. poſtquam Monaſterio Montis Senarii in Hetruria Ord. Ciſtercienſis de la Trappe *nuncupati Abbas præfuiſſet, in Provincia ejuſdem Hetruriæ, Habitum noſtri Ordinis ſuſcepit.*

Fr. Urbanus à Neapoli, Soboles Familiæ Franchorum, Ducum Longani, Marchionum Taviani &c.

Ex Marchionum Genere.

Fr. Franciſcus Maria à Neapoli, ex Stirpe Conſalona, Primogenitus Familiæ, Marchio Perinæ &c.

Fr. Gabriel à Neapoli, ex Progenie Caputo-Carraſa, & Marchionibus Perellæ.

Fr. Joannes Baptiſta à Neapoli, ex Domo, & Progenie Maſtrillorum, Marchionum Marzani &c.

Fr. Joannes Baptiſta à Nola, ex Genere Maſtrillorum, Marchione Schiavæ &c.

Fr. Paulinus à Ravello, ex Familia Conſalona, & Marchionibus Perinæ &c.

Fr. Paulus à Neapoli, ex Marchionali Propagine Riſtaldi-Carraſa, Dominæ Civitatis S. Mariæ.

Fr. Petrus à Neapoli, ex Hiſpana de Mendozza Gente, & Marchionibus Vallæ &c.

Fr. Thomas à Neapoli, ex Domo, & Familia de Aquino, & Marchionibus Petræ Pulſinæ &c.

Militiam Maris cum caſtris D. Franciſci inter Nos mutârunt Equites Hieroſolymitanì &c.

Fr. Antonius à Cajeta, ex Familia Laudatorum, Ducum Marzani.

Fr. Franciſcus Salino, Hiſpanus, Filius Præſidis Regiæ Cameræ.

Fr. Hieronymus à Neapoli, ex Familia Griſona.

Fr. Joannes Baptiſta à Neapoli, ex Maſtrillana Domo, & Marchionibus Marzani.

Fr. Mathæus à Neapoli, ultimus Familiæ Surgentiæ.

Prolixum æquè ac etiam forſan tædioſum foret cuncta recenſere individua, quæ Provincia hæc, à Nobilibus, Patritiis, Sago Togaque claris numeravit Familiis; genus & ſpeciem harum duntaxat celeri ſuperficie proferre, aptiùs & conſultiùs eſſe cenſetur. Sunt inde ſequentes:

Abbatiſſa, de Afflicto, Alphana, Anchillaria, Anphora, De Bonhominis, Brancaccia, De Calce, Campania, Capaſina, Capiccia ladra, Capiccia — Galeota, Caputa, Carrafa, Carmignana, Cioffia, de Corduba, Correalis, Corſina, Corteſia, Criſpana, Dentica, Donnurſa, Flocciaria, Florentina, Gajana, Gentilis, Grimalda, Griſona, Henrica, de Lopez, Magdalena, Mormilenſis, de Nobilibus, & Nobilonis, Ortix, Pagana, Paſchalis, Piſtacchia — Brancaccia; De Ratta, de Rocchis, de Rubeis, Salinia, Sancia, Sanchez, de Sangro, Simonella, Surgentia, de Tupho, Villana, Vitellia, Vulcana &c. &c.

Quos autem à Mundo Provincia recepit Candidatos, ſine honore Religio non tenuit, nam (præter Fr. Silveſtrum Hypponiatem, Generalem, in hac Provincia Profeſſum, & Fr. Silveſtrum Procuratorem Generalem, Eidem aggregatum) Fr. Hieronymum à Sorbo, ex illius, qui in manibus noſtris volvitur, & privilegia Fratrum Minorum &c. compendiat, Libro, Miniſterio Generali decoratum fuiſſe facilè recordamur.

Fr. Alphonſus à Sveſſa, cui Patria prius Sedem Canonicalem in Eccleſia Cathedrali dederat, occupavit poſtmodum apud Nos ternâ vice locum Definitorii Generalis; habuitque in Officio honoris Succeſſores

Fr. Anſelmum à Petra Molaria, de quo primus Bullarii Tomus ſermonem fecit, paulo poſt hîc renovandum.

Fr. Franciſcum à Neapoli, Severinæ Familiæ Primogenitum, ſuprà memoratum, & Vi-

& Virum Zelo Religionis ferventem, & rerum agendarum prudentia plurimùm pollentem:

Fr. Emanuelem à Neapoli, in cujus manu, juxta vivam adhuc moderni ævi memoriam Crucifixi imago, tempore, quo Veſuvius ignem atrociùs ſpumavit, in Cathedrali pulpito Neapolî viſus eſt ceu gladius acutus, qui corda populi penetravit, in iis aquam compunctionis elicuit, & iram Domini conciliavit:

Fr. Franciſcum à Benevento, quem S. M. Benedictus Papa XIII. ſingulari deperiit amore, & cujus promotionem tenuit acceptam, & ſibi factam.

Et Fr. Antonium à Palatiolo, qui annuntiavit juſtitiam Dei in Eccleſiis Italiæ Magnis, & veritatem in Concilio Definitorii non abſcondit:

Honorem ab Ordine receptum honore quoque & labore Provincia hæc compenſavit, deditque Ei per FF. Archangelum & Joannem, Hiſpanos, ex nobiliſſimo Alarconiorum Stipite, Fratres Germanos, hujus Provinciæ Alumnos duas Provincias, Coſſetinam videlicet, ſeu illam Cataloniæ, & aliam Valentiæ, quarum primam à primo, & ſecundam à ſecundo Commiſſaria facultate fundatam fuiſſe, Ordinis deſcribunt Annales.

Dedit & extra Ordinem Viros Honore & Officiis celebres, dedit Eccleſiæ Tropeenſi Epiſcopum Fr. Angelicum Viglinum, cujus merita compendiat primus Bullarii Tomus: dedit Officio S. Inquiſitionis Neapolit. Conſultores, Curiæ Epiſcopali Examinatores, Aulis Regum & Principum Concionatores, & Reipublicæ Litterariæ Scriptores, quorum quinquaginta, qui opera ſua publici fecère juris, ordine alphabetico Nicolaus Toppius in ſua Bibliotheca Neapolitana anno 1678. impreſſa numerat, & quorum plures facilè jam reperiet, qui Libros Ordinis inſpiciet.

Complectitur Conventus Fratrum XXXIX.
Hoſpitia XI.
Monaſteria Monialium IV.

Mona-

Monaſterium Monialium ſub invocatione S. Mariæ in Jeruſalem ex bonis Mariæ Laurentiæ Longæ Catalanæ conſtrui; illud in Abbatiſſam, & duodecim Moniales Tertii Ordinis S. Franciſci juxta regulam S. Claræ ſub perpetua clauſura induci; Sacerdotem ab his pro ſpirituali cura eligi; bona ab ipſa Maria relicta, ac ab aliis Fidelibus eroganda Monaſterio appropriari; ac Moniales privilegiis, & gratiis Tertii S. Franciſci, & S. Claræ Ordinum frui poſſe concedit, ac Monaſterium immediatè Sanctæ Sedi ſubijcit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

DEbitum Paſtoralis officii Nobis ex alto commiſſi requirit, ac Nos ad id promptos excitat, ut ea vota, quibus prudentes Virgines, Religionis Habitu aſſumpto, uni Sponſo Jeſu Chriſto, Voto celebri Virginitatem ſuam præſtent, & accenſis lampadibus eidem Sponſo, qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum, obviam ire poſſint, ac exinde flores honoris, & honeſtatis fructus, ac regularis diſciplinæ propagatio proveniant, ad exauditionis gratiam admittamus, & plenis favoribus proſequamur.

Sanè pro parte dilectæ in Chriſto Filiæ Mariæ Laurentiæ Longæ Mulieris Catalanæ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſa Maria, quæ Hoſpitale pauperum infirmorum Incurabilium Sanctæ Mariæ de Populo Neapolitan. erigi, & à fundamentis conſtrui, & ædificari procuravit, ac in eo circa alimoniam dictorum pauperum continuò verſata fuit; nunc infirmitatibus gravata, & in ætate ſenili conſtituta, zelo religionis, & devotionis ducta, ex activa ad contemplativam vitam, uti ſecuriorem, ſe transferre cupiens, unum Monaſterium Monialium ſub invocatione Beatæ Mariæ de Jeruſalem apud dictum Hoſpitale in loco, inibi per Eam deſignato, ex piis eleemoſynis, & bonis ſibi à Deo collatis conſtrui facere incœpit, & nonnullas pauperes Fœminas, quæ Divinum Officium in eo quotidie perſolvunt, recepit, ac pro ipſius Religionis propagatione, cultûſque, & Divini Nominis augmento, & gloria dictum Monaſterium in ſuis ſtructuris compleri facere deſiderat, ſi ſibi ad id Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur. Quare pro parte dictæ Mariæ aſſerentis, ſe in dicto Monaſterio unà cum illius Monialibus ſe includere, & Vitam Religioſam ducere propoſuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi Monaſterium ipſum, ùt præfertur, compleri faciendi licentiam concedere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Religionis propagationem noſtris potiſſimè temporibus ſummis deſideramus effectibus, pium deſiderium ipſius Mariæ plurimùm in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Mariæ Monaſterium prædictum cum Eccleſia humili, Campanili, Campanis, Cœmeterio, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis membris, & officinis neceſſariis apud Hoſpitale hujuſmodi, & in loco, ùt præfertur, deſignato, ac, ut ſibi videbitur, Ordinarii loci, vel alterius cujuſvis Superioris, ſeu Rectoris Eccleſiæ, intra cujus Parochiæ limites locus incepti ædificii Monaſterii hujuſmodi conſiſtit, aut Rectorum dicti Hoſpitalis licentiâ minimè requiſitâ, ad debitum complementum reduci faciendi, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur, illudque, ſi jam, aut poſtquam convenienti clauſura munitum fuerit, in Monaſterium Monialium Tertii Ordinis Sancti Franciſci juxta Regulam Sanctæ Claræ, ſub invocatione prædicta, pro una Abbatiſſa, & duodecim Monialibus, tria vota regularia dicti Ordinis profitentibus, inibi pro hac prima vice ad electionem ipſius Mariæ introducendis, & permanſuris, & deinde juxta regularia inſtituta ejuſdem Ordinis, ac providam ordinationem ipſius Mariæ deſuper faciendam, abſque alicujus dotis ſolutione recipiendis, intra quarum numerum Converſæ, ac Servientes dicto Monaſterio non comprehendantur, & quæ inibi ſub regulari obſervantia dicti Ordinis, & perpetua clauſura, & ſub protectione Sedis Apoſtolicæ, necnon curâ unius Confeſſoris Sæcularis, vel Regularis pro Miſſis celebrandis, earum Confeſſionibus audiendis, ac Sacramentis miniſtrandis dumtaxat, in Sacerdotio, & ætate provecta conſtituti, exemplariſque vitæ, & Religionis zelatoris, per ipſam Mariam, vitâ ſibi comite, & deinde per Abbatiſſam, & majorem partem earumdem Monialium Profeſſarum perpetuò, vel ad tempus ad earum nutum, & prout eis videbitur, eligendi, & quoties videbitur, amovendi, & alterius ſubrogandi, cujus doctrinâ inſtrui, ac exemplo ædificari, & ad vitam perfectam moveri poſſint, Altiſſimo famulentur: nec Monaſterium ipſæ, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, & per paucos dies abſque licentia, & conſenſu majoris partis ipſarum

rum Monialium exire valeant, authoritate, & tenore prædictis, ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus: ac eidem Mariæ, ut vitâ ejus dumtaxat Monaſterium hujuſmodi, cujus Moniales præfatæ ſibi tamquam Matri, ac Superiori obedire teneantur, regere, & gubernare, ac pro regimine, ritu, moribus, regulari obſervantia, & illarum inſtructione unam, vel duas cujuſvis Ordinis Moniales, ad id voluntarias, quæ infra dictum duodenarium numerum comprehendantur, ut ſuorum Superiorum licentiâ petitâ, & obtentâ, authoritate præſentium ad præfatum Monaſterium ſe transferre valeant, pro prima vice poſtulare, & unam in Abbatiſſam, tempore obitûs ipſius Mariæ eligere, ſeu deputare; & aliam Monialium earundem, Monialibus Novitiis dicti Monaſterii pro illarum inſtructione, & doctrina, quoties ſibi videbitur, præficere; nec non in locum decedentium Monialium Profeſſarum alias ſubrogare, & ſucceſſivè vacantibus officiis ejuſdem Monaſterii, alias per majorem partem ipſarum Monialium approbatas, annis ſingulis, dummodo officia hujuſmodi ultra triennium non perdurent, deputare; nec non dicta Mariâ vita functâ, decedentibus pro tempore Abbatiſſis ejuſdem Monaſterii Moniales præfatæ Profeſſæ unam ſibi in Abbatiſſam, à majori parte approbatam eligere; ac pro dicti Monaſterii, quod nulla perſona, quovis privilegio ſuffulta, abſque earumdem præſentium ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa mentione, & ſufficienti derogatione earumdem, ac ex legitima, & neceſſaria cauſa ingredi poſſit, ſalubri directione, quæcumque ſtatuta, & ordinationes, licita, & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, quæ per Abbatiſſam, & Moniales ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtentes ſervari debeant, condere, & facere; nec non Abbatiſſæ, & Monialibus pro tempore exiſtentibus, unà cum ſeptem Converſis, & ſervientibus ultra dictas Moniales, quarum numerus augeri non poſſit, ut pro ipſarum congruenti ſubſtentatione, & alimentis quæcumque bona mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, nec non cenſus, redditus, ac proventus, ac quæcumquæ alia ſubſidia per eandem Mariam, & quoſcumque alios Chriſtifideles dicto Monaſterio piè largienda, & eroganda, ac pro tempore donata, legata, & relicta licitè in communi retinere, ac in earum, & eis Servientium, & Converſarum Perſonarum comunes, honeſtos, & neceſſarios uſus convertere; nec non Rectoribus dicti Hoſpitalis, ut interim eiſdem Abbatiſſæ Mariæ, & Monialibus de bonis ipſius Hoſpitalis victui neceſſaria, prout ad præſens faciunt, abſque conſcientiæ ſcrupulo miniſtrare, ipſiſque illa licitè recipere; necnon Monaſterio, ac illius Abbatiſſæ Monialibus, & perſonis pro tempore exiſtentibus hujuſmodi, ut omnibus, & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, favoribus, & indultis, quibus Monaſteria, & loca Tertii Sancti Franciſci prædicti, ac Sanctæ Claræ Ordinum, illorumque Abbatiſſæ, & Moniales, ac perſonæ utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, ac gaudere liberè, & licitè valeant; ipſique Confeſſori, ut pro Sacramentorum adminiſtratione, ſeu alterius neceſſitatis causâ, ac Medico causâ viſitandi infirmas dumtaxat, Monaſterium prædictum, de voluntate tamen, ſcientiâ, & expreſſo conſenſu Abbatiſſæ, & totius Conventus dicti Monaſterii, ſic tamen, quod tam in introitu Monaſterii hujuſmodi, quàm egreſſu ab illo duæ ex antiquioribus Monialibus profeſſis dicti Monaſterii eiſdem Confeſſori, & Medico aſſiſtant, ingredi; ipſaſque Mariam Abbatiſſam, & Moniales, nec non Converſas, & Servientes in eodem Monaſterio ad libitum Abbatiſſæ, & Conventus prædictarum eligendas, ab omnibus earum delictis in ſingulis caſibus, etiam Epiſcopalibus, & Sedi Apoſtolicæ, præterquam in literis in die Cœnæ Domini legi conſuetis, contentis idem Confeſſor abſolvere, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem injungere; nec non plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem in forma Eccleſiæ conſueta ſemel in vita, & mortis articulo, Apoſtolica authoritate prædicta impendere poſſit, plenam, & liberam, authoritate, & tenore prædictis facultatem concedimus, & pariter indulgemus; ac eidem Monaſterio pro illius dote bona illi eroganda, & relinquenda perpetuò applicamus, & appropriamus; & nihilominus Monaſterium ipſum, ac illius bona pro tempore exiſtentia, nec non Mariam Abbatiſſam, Moniales, & perſonas pro tempore exiſtentes ab omni juriſdictione, viſitatione, correctione, dominio, & ſuperioritate Ordinarii loci, ac ejus Vicariorum, & Officialium, & quorumcumque aliorum Superiorum, pro tempore exiſtentium, authoritate prædictâ, earumdem tenore præſentium penitus, & omnino eximimus, & totaliter liberamus, ac ſub Beati Petri, & Sedis prædictæ, nec non Noſtra protectione ſuſcipimus, illaque, & illas Nobis, & Sedi prædictæ immediatè ſubiicimus, ita quod Ordinarius loci, ſeu ejus Vicarii, vel Officiales, aut quicumque alii Superiores præſentes, vel futuri in Monaſterium, bona, Mariam Abbatiſſam, Moniales, & perſonas hujuſmodi aliquam juriſdictionem, ſuperioritatem, authoritatem, dominium, viſitationem, aut correctionem, etiam ratione delicti, vel contractûs, ſeu rei, de qua ageretur, ubicumque committatur delictum, ine-

antur,

antur contractus, aut res ipſa conſiſtat, exercere, aut excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, ſeu alias ſententias, cenſuras, vel pœnas promulgare nullatenus poſſint, aut debeant, ſed Maria Abbatiſſa, & Moniales, ac Perſonæ præfatæ de ſe quærelantibus coram dicta Sede, aut Legatis, vel Delegatis ejuſdem de juſtitia reſpondere teneantur.

Decernentes proceſſus, ſententias, cenſuras, & pœnas, quos, & quas contra hujuſmodi conceſſionem per Ordinarium, Vicarios, Officiales, ac Superiores præfatos haberi, & promulgari, nec non irritum, & inane, quidquid in contrarium ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus felicis recordationis Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit: *Volentes*, ac Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, ac quibuſvis aliis Apoſtolicis, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus: nec non dictorum Ordinum juramento, & Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis, quibuſvis Ordinibus, locis, & Perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis; nec non irritantibus, & aliis decretis conceſſis, & approbatis; quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata, & inſerta forent, pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, indulti, applicationis, appropriationis, exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto, Undecimo Kal. Martii, Pontificatus Nori Anno Primo.

Bulla formata in Archivo Monialium, de qua authenticum Exemplar in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Neapolitana.

Præcedentes literas executioni dari mandat.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caſertano, & Dilectis Filiis Abbati S. Severini, & Priori &c. S. Martini Neapolitan. Monaſt. ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie à Nobis emânarunt Literæ tenoris ſubſequentis: *Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei, Debitum paſtoralis reſiduum ut ſupra.* Quocirca Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Vos, vel duo, aut unus Veſtrûm per Vos, vel alium ſeu alios, Literas prædictas, & in eis contenta quæcunque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Mariæ Abbatiſſæ, & Conventûs prædicti deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis auctoritate noſtra literas hujuſmodi, & in eis contenta quæcunque firmiter obſervari, ac ſingulos, quos literæ ipſæ concernunt, illis pacificè gaudere, non permittentes eos per Ordinarium, Vicarios, & Officiales, ac Superiores præfatos, ſeu quoſcunque alios contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet moleſtari; contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, quâ cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam à fine ſuæ Diæceſis ad iudicium evocetur, ſeu ne Judices à Sede prædicta deputati extra Civitatem & Diæceſim, in quibus deputati fuerint contra quoſcumque procedere; aut alii, vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali editâ, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis: nec non omnibus ſupradictis: vel, ſi Ordinariis, Vicariis, Officialibus, & Superioribus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo

mo trigeſimo quarto, undecimo Kal. Martii Pontificatus noſtri anno primo.

Bulla formata in Arc. Monialium, de qua exemp. Auth. in Arch. Generali Ord. loco dicto.

Idem Monaſterium in alio aptiore ſitu conſtrui: ad normam aliorum Monaſteriorum Ordinis gubernari, & duodenarium Monialium numerum uſque ad triginta tres augeri concedit.

A tergo. *Dilectæ in Chriſto Filiæ Mariæ Laurentiæ Longæ Abbatiſſæ Monaſterii S. Mariæ in Jeruſalem. Neapolitan.*

PAULUS PAPA III.

Dilecta in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs Nos Monaſterium Monialium ſub invocatione Beatæ Mariæ de Jeruſalem apud Hoſpitale pauperum infirmorum incurabilium Sanctæ Mariæ de Populo Neapolitano in quodam loco, inibi per Te deſignato, jam tunc conſtrui inceptum pro una Abbatiſſa, ac duodecim Monialibus Tertii Ordinis Sancti Franciſci, juxta Regulam Sanctæ Claræ, tria vota regularia dicti Ordinis profitentibus, in quarum numero ſeptem Converſæ, & Servientes eidem Monaſterio per Te deputandæ non comprehenderentur, & quæ inibi ſub regulari obſervantia dicti Ordinis, & perpetua clauſura, ac protectione Sedis Apoſtolicæ, & cura unius Confeſſoris Secularis, vel Regularis pro Miſſis celebrandis, & earum Confeſſionibus audiendis,ac Sacramentis miniſtrandis dumtaxat, in Sacerdotio, & ætate provecta conſtituti, exemplariſque vitæ, & Religionis Zelatoris, per Te,quamdiu viveres, & deinde per Abbatiſſam, & majorem partem Monialium profeſſarum Monaſterii hujuſmodi eligendi, Altiſſimo famularentur; nec non Monaſterium ipſum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, & per paucos dies, abſque licentia, & conſenſu Majoris partis Monialium exire valerent, ſine alicujus præjudicio ereximus, ac Tibi, ut vitâ tuâ durante, Monaſterium ejuſmodi, cujus Moniales Tibi tanquam Matri, & Superiori obedire tenerentur, regere, & gubernare, ac pro regimine, ritu, moribus, regulari obſervantia, & illarum inſtructione unam, vel duas cujuſvis Ordinis Moniales ad id voluntarias, quæ de ſuorum Superiorum licentia ad dictum Monaſterium ſe transferre valerent, pro hac prima vice poſtulare, & unam ex eis, tempore obitûs tui, in Abbatiſſam eligere, & deputare; & nonnulla alia tunc expreſſa facere valeres, ipſeque numerus duodenarius augeri non poſſet. Ac Rectores dicti Hoſpitalis de ejuſdem Hoſpitalis bonis Tibi, acAbbatiſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii victui neceſſaria, prout tunc faciebant, abſque conſcientiæ ſcrupulo miniſtrare; ipſeque Confeſſor nonnulla tunc expreſſa facere valerent, conceſſimus; ac Monaſterium ipſum, illiuſque bona, Teque, ac Abbatiſſam, & Moniales, pro tempore exiſtentes ſub Beati Petri, & Sedis Apoſtolicæ ac Noſtra protectione ſuſcepimus, & ab omni juriſdictione, & ſuperioritate loci Ordinarii, pro tempore exiſtentis, eximimus, inter alia per quaſdam Noſtras ſub Datum videlicet undecimo kal. Martii Pontificatus noſtri Anno primo confectas literas, prout in illis pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Tua petitio continebat, locus deſignatus præfatus, quem jam Tu, & aliæ duodecim Moniales, & ſeptem Converſæ prædictæ ingreſſæ fuiſtis, minus capax pro Monaſterio Monialium hujuſmodi exiſtat, præſertim cum plures zelo devotionis, & Religionis inductæ cupiant unà tecum in Monaſterio præfato Altiſſimo famulari, ac pro parte tua Nobis fuerit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis, quodque Monaſterium ipſum, prout alia ejuſdem Ordinis Monaſteria regatur, & gubernetur, opportunè providere, aliaque infraſcripta Tibi concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati volumus, & Apoſtolica authoritate Tibi concedimus, ut Tu, quæ infirmitate forſitan incurabili gravata, & quam in Abbatiſſam, Matrem, & Superiorem dicti Monaſterii præfecimus, Monaſterium hujuſmodi in quocumque alio loco, ſimiliter ſine alicujus præjudicio, conſtrui facere valeas. Decernentes ipſum Monaſterium, noviter conſtruendum per Te, quamdiu vixeris, & deinde per aliam Abbatiſſam, per ipſius pro tempore Moniales eligendam, prout alia ejuſdem Ordinis Monaſteria reguntur, & gubernantur, regi, & gubernari, in dictoque conſtructo, vel conſtruendo Monaſterio, non ſolùm duodecim, ſed etiam triginta tres Moniales, ſine tamen dicti Hoſpitalis onere, includi poſſe, illaſque Te recipere; & prædictæ duodecim, & aliæ poſtea ad Habitum, & Monaſterium hujuſmodi recipiendæ, vitâ tuâ durante, profeſſionem in alicujus perſonæ, in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ per Te, & poſt mortem tuam per Abbatiſſam ipſius Monaſterii pro tempore exiſtentem eligendæ manibus emittere teneantur; & non ſolùm tempore obitûs tui, ut præfertur, ſed etiam ante, & quando Tibi

bi placuerit, unam ex dictis duodecim, quæ tamen dictum Ordinem expreſsè profeſſa, & in ætate legitima conſtituta, & aliàs ad id idonea fuerit, Te prius regimini, & adminiſtrationi hujuſmodi cedente, aliàs juxta dictarum literarum tenorem in Abbatiſſam eligere, & deputare: Tuque, ac ipſa Abbatiſſa per Te eligenda, vel alia, quæ pro tempore fuerit, confirmatione alterius Superioris non egeat, ſed abſque alia confirmatione, & benedictione adminiſtrare, regere, ac alia facere poſſit, quæ aliæ dicti Ordinis Abbatiſſæ poſt confirmationem, & benedictionem de jure, vel conſuetudine facere poſſunt, & conſueverunt; & ſi quæ dubia, vel difficultates ſuper præmiſſis, vel aliis in poſterum pro tempore occurrerent, duo, vel tres in Jure Canonico Doctores, per Te, vel Abbatiſſam prædictam eligendi, ea declarare poſſint; Tuque, & ipſa Confeſſorem, & Capellanum juxta formam literarum prædictarum, quem magis idoneum reputaveris, & illa reputaverit, & habere poteris, & illa poterit, eligere poſſis, & valeas, & illa poterit, & valeat, literas prædictas, & in eis contenta quæcumque ad hoc, ſi opus fuerit, extendentes, & ampliantes. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, quibus, illorum omnium, ac literarum præfatarnm, & quarumcumque ſcripturarum occaſione præmiſſarum quomodolibet confectarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, nec non modos, & formas ad id ſervandos pro individuò ſervatis habentes, hac vice dumtaxat, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus: Nec non omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obſtare; ac quod Tu olim Virum habueris, jam defunctum, ex quo prolem legitimam ſuſceperis, & numquam antea Monialis tacitè, vel expreſsè profeſſa fueris, nec Regulam prædictam experta, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris Die xx. Julii M. D. XXXVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Bloſius.

Breve formatum in Archivo Monialium, de quo exemp. auth. in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Neapolitana.

Illudque Ordinis, & Fratrum noſtrorum ſpirituali curæ & Viſitationi ſubjicit, &, ne Moniales, vel Fratres deſuper moleſtentur, ſub cenſura inhibet.

A tergo. *Dilectæ in Chriſto Filiæ Mariæ Laurentiæ Longæ &c.*

PAULUS PAPA III.

Dilecta in Chriſto Filia ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Monaſterium Monialium ſub invocatione Sanctæ Mariæ in Hieruſalem Neapoli Ordinis S. Claræ per Te fundatum fuerit, & uſque hactenus per Fratres Ordinis S. Franciſci Capucinos nuncupatos viſitatum, & tua, & Monialium in eo degentium Confeſſiones auditæ, & abſolutionis beneficium impenſum, & conveniat, ut Tu, & Moniales in eo exiſtentes, ex quo obſervantiam Regulæ S. Claræ ſtrictiſſimè obſervatis, per Fratres dicti Ordinis gubernemini. Propterea Nos motu proprio, & ex certa ſcientia, ac nullis pro Te precibus oblatis, ordinamus, ac volumus, ut Tibi, & Abbatiſſæ pro tempore in dicto veſtro Monaſterio exiſtenti adſit Confeſſor dicti Ordinis Mendicantium Reformatorum, Capucinorum nuncupatorum, qui veſtris Confeſſionibus diligenter auditis, Vobis abſolutionis beneficium impendere, ac poenitentiam injungere valeat ſalutarem, ac etiam Sacramenta omnia Vobis tam in vita, quàm in mortis articulo miniſtrare: qui etiam Moniales profiteri volentes recipi facere, & velum profeſſionis illarum extra Clauſtra benedicere, ut intus per Te, vel per Abbatiſſam prædictam profitentibus imponatur: & Viſitationis officium in vos, & veſtrûm quamlibet, ad Crates tamen, abſque ingreſſu ejuſdem Monaſterii, liberè exercere, & omnia alia, & ſingula facere, quæ Confeſſores, vel Viſitatores Monialium ejuſdem Ordinis S. Claræ ſecundùm Regulam, & conſtitutiones, ac laudabilem ipſarum conſuetudinem facere conſueverunt, facere poſſit, & valeat, de Apoſtolicæ Sedis benignitate concedimus, & indulgemus. Mandantes Generali, & Miniſtro Provinciæ dicti Ordinis, ut Confeſſorem prædictum concedant, inhibentes in virtute Sanctæ Obedientiæ, & excommunicationis latæ ſententiæ poenâ, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & à qua non niſi per Nos, aut Sedem Apoſtolicam, præterquàm in mortis articulo conſtituti, abſolvi poſſint, Generali, ac Vicario, ſeu Miniſtro Provinciæ, ac univerſis, & ſingulis, qui requiſi-

ti prædicta facere recuſaverint, ac quibuſvis Superioribus, & Prælatis, ac quibuſvis aliis perſonis, ne Vos, vel ſic electos, & requiſitos, ſeu pro tempore eligendos, ſuper præmiſſis, vel eorum aliquo, verbo, vel facto moleſtare, pertubare, ac inquietare quoquomodo præſumant. Non obſtantibus præmiſſis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Statutis, Conſuetudinibus, Ordini, ac Monaſterio prædicto, ac aliis Monaſteriis, & Ordinibus præfatorum Regularium conceſſis, confirmatis, ac innovatis, ac ſtatutis, & ordinationibus factis, ac faciendis in Capitulis generalibus dicti Ordinis, quibus, omnium, & quarumcunque ſcripturarum, hìc de neceſſitate exprimendarum tenores pro plenè, ac ſufficienter, ac de verbo ad verbum expreſſis habentes, harum ſerie derogamus. Volumuſque, ut quoties literæ, indultum, & conceſſio hujuſmodi revocarentur, toties de novo conceſſæ intelligantur, & ſint, & ſub quibuſvis revocationibus, derogationibus, & ordinibus non comprehendantur, ſed ab illis omnino penitus exemptæ ſint, & eſſe cenſeantur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die x. Decembris M. D. XXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Breve form. in Arch Monialium, de quo Authent. Exempl. in Arch. Generali Ord. Arm. Provincia Neapolitana, *refertque illud Bover. t. 1. fol.* 274.

N O T A.

Leges & æquitatis & gratitudinis violare cenſerem, ſi laudes Mariæ prælibatæ, cui & Laurentiæ nomen alii vel apponunt, vel proprium & unicum tenent, Bullæ huic ſubnectere negligerem: dedit enim illa in Parthenopenſium emporio Fratribus noſtris primum diverſorium, & Ordini primum Partenonem, ſeu primam Monialium Capucinarum prolem. An fuerit Catalana ex ortu, vel ex Familia? diſceptant ſcriptores, eam tamen Joanni Cancellario Regni celeberrimo, Sacro connubio junctam fuiſſe, concordes ſcribunt. Ex veneno illi malitiosè & in odium datæ correctionis propinato, ac ex nervis inde contractis liberè cum amplius incedere non valeret, ad Sanctuarium Lauretanum pro recuperandæ Sanitatis beneficio ſe portari juſſit. Exaudivit quoque Dominus in loco habitationis ſuæ preces illius; vix enim Sacerdos, omnibus ignotus, Sacras acceſſerat Aras, & Evangelium de Paralitico Sanato legerat, ſe toto corpore Sanam mirata eſt. Redux Neapolin, ut gratam ſe Deo exhiberet, Viro defuncto, partem ſuæ ſubſtantiæ pauperes inter & pias cauſas diſpenſavit, ac Incurabilium Hoſpitale ibi fundavit, in quo Habitu Tertii Ordinis S. P. Franciſci induta infirmis ita miniſtravit, ut, dum ſollicitæ Marthæ miniſterio occupabatur, optimam Mariæ partem pio mentis in Deum aſcenſu non omitteret; dumque alios à malo corporis, & peſte, quæ tunc Neapolin magnâ ſtrage concuſſerat, virtute ſuæ orationis liberabat, alios econtra, quos liberior vitæ licentia ad viam ſcandali ſeduxerat, ad Spiritum pœnitentiæ, zelo verbi ſui commovit. Cœptum Chriſti Domini ſepulchrum inviſendi conſilium, cum à ſe adimpleri non poſſe adverteret, in vices Monaſterium Virginum ſub titulo Sanctæ Mariæ in Jeruſalem, & ſub regula Tertii Ordinis prædicti, reſiduo ſuo vectigali extruere ſtatuit, in quo, curâ Xenodochii Mariæ Ærbæ Termularum Duciſſæ, ſibi animo & ſpiritu conjunctiſſimæ relictâ, ſemetipſam Sexagenaria Deo penitus conſecravit. Tantò autem ſub Divi Cajetani conſiliis, in ſemita perfectionis progreſſa eſt Maria, ut dulciorum, quas Tertius Ordo præſcribit, legum quaſi pertæſa, & ordinario vitæ Religioſæ rigore non contenta, ſtrictiorem, primamque D. Claræ regulam, adjunxerit, Habitum noſtri Ordinis, ſolitamque apud nos vivendi normam induxerit, & Moniales, Filias ſuas, nomine Capucinarum propterea diſtingui voluerit, numero illarum in memoriam annorum ætatis Chriſti (ut Ughellus tom. 6. Ital. Sacræ edit. novæ fol. mihi 154. refert) ad triginta tres ampliato. Fuit itaque Maria felix illa Petra, ex qua Capucinarum Ordo, jam latè per orbem cum virtutis ſonu diffuſus, fuit exciſus: fuit Maria Sapiens illa Mulier, quæ in militantis Eccleſiæ decorem ædificavit Domum, in qua Filiæ rejiciunt vittas, theriſtra, ac ornamenta vanitatis, & pro Zona funiculum, ac pro faſcia pectorali cilicium induunt. Eo autem tempore, quo Maria primitias Deo, & D. P. Franciſco Sacras, materno amore gubernavit, durior tribulatio illam tentavit; Spiritum enim ejus deſolatio, & rerum ſpiritualium ariditas diutius affecit, & horrida viſionum imago pluries turbavit, Deo ad meritorum ſuorum incrementum vel diſponente, vel permittente. Acceſsêre his acriores morbi, quibus corpus ejus ita extenuebatur, ut ultimam vitæ lineam ſibi vicinam eſſe læta adverteret. Eapropter ad occurſum Sponſi lampadem, oleo orationis refertam & igne charitatis ardentem præparavit, Sacramentis Eccleſiæ munita Filias ſuas compoſitas, & copioſo fletu dilectiſſimæ Matris lectulo aſtantes, æmula Chriſti, ad mutuam dilectionem, & exactam regulæ obſervantiam animavit, ternâque vice ſuave Jeſu nomen tenero ſuſpirio inclamans, anno 1542. animam ſuo reddidit Creatori. Excivit reſonans mortis fama ad defunctæ Monaſterium Neapolitanum populum, ex quo dum alii vitam Mariæ ſpiritu prophetiæ, gratiâ curationum, & extaſum prodigiis claram, & mortem ex ſuavi, quod cadaver exhalabat, odore, pretioſam reminiſcentes, in effuſa lætitiæ ſenſa ſolvebantur, alii ſeſe Matre benefica, quam communis Sanctitatis opinio celebravit, orbatos eſſe mœſti indoluêre: mixto gaudii & gemitûs affectu econtra diutius ad Defunctæ pedes proſtrata manſit memorata Termularum Duciſſa; cumque & ipſa ſecretâ virtute cœleſtes Mariæ delicias in corde ſentiret, eandem Mariæ vitam æmulari, eundem Ordinis Habitum induere, eandemque Regulam in eodem Monaſterio profiteri concluſit. Cum verò podagrâ præpedita hoc ſuum deſiderium adimplere non poſſet, ſaltem poſt mortem Mariæ jungi voluit, diſponendo, ut illius cadaver eidem Mariæ ſarcophago includeretur. Factum reddidêre prodigia celebre; non ſolùm enim Mariæ cadaver effoſſa humo ſuaviſſimum denuo ſpiravit odorem, & poſt annuam in humido loco depoſitionem â communi putredinis lege immune fuit repertum, verùm etiam dum arcæ, noviter ideo confectæ, ut utrumque cadaver commodiùs caperet, primò imponeretur, extulit Maria brachium, & amicum Duciſſæ cadaver ad ſuæ quietis conſortium conduxit, ſtupen-

pentique populo argumentum reliquit credendi, quod, quas amor in vita, & quies poſt mortem conjungeret, communis Dei Societas non divideret.

Agunt de ea Boverius tom. 1. Annal. fol. mihi 273. & 324. Menolog. Franciſcanum fol. mihi 1435. Legend. Franciſc. ad menſ. Jul. fol. mihi 368. Martyrologium Franciſc. ad diem 21. Decemb. fol. mihi 622. col. 2. Gynæceum Franc. ad eundem diem fol. mihi 509. col. 2. Hiſtor. Cleric. Regular. Theatin. lib. 1. cap. 4. fol. mihi 24. Cæſar Dengenius in Neapoli Sacra. Wadingus tom. annal. 16. edit. novæ fol. mihi 437. & tom. 18. continuationis fol. mihi 52. Ughellus in Ital. Sac. edit. ult. tom. 6. fol. mihi 154. col. 2.

Non obſtante, quod Privilegia prædicta per = & ſub erroneo motivo, quod Moniales Regulam Tertii Ord. S.P.Franciſci profiterentur, fuerint conceſſa, illa valere declarat, eas in Regula S. Claræ primi & Strictioris Ordinis firmat, & ne ullo unquam tempore, etiam ex urgentiſſima cauſa, è Monaſterio diſcedant, ſancit.

PAULUS PAPA IV.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs, poſtquam fel. rec. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter, Monaſterium ſub invocatione Beatæ Mariæ in Jeruſalem apud Hoſpitale pauperum infirmorum incurabilium ejuſdem Sanctæ Mariæ de Populo Neapolitan. in quodam loco inibi per quondam Mariam Laurentiam, olim Abbatiſſam dicti Monaſterii deſignato, jam tunc conſtrui inceptum, pro una Abbatiſſa & 12. Monialibus Terti Ordinis S. Franciſci juxta Regulam Sanctæ Claræ tria vota regularia dicti Ordinis profitentibus, in quarum numero ſeptem converſæ, & ſervientes eidem Monaſterio per eandem Mariam Abbatiſſam deputandæ non comprehenderentur, & quæ inibi ſub regulari obſervantia dicti Ordinis, & perpetua clauſura, ac protectione Sedis Apoſtolicæ, & unius Confeſſoris Sæcularis, vel Regularis pro Miſſis celebrandis, & confeſſionibus audiendis, ac Sacramentis miniſtrandis duntaxat, in Sacerdotio & ætate provecta conſtituti, exemplariſque vitæ & Religionis Zelatoris, per dictam Mariam Abbatiſſam, quamdiu viveret, & deinde per Abbatiſſam, ac majorem partem Monialium profeſſarum Monaſterii hujuſmodi eligendi, Altiſſimo famularentur, ſine alicujus præjudicio erexerat; ac ipſi Mariæ Abbatiſſæ, ut vitâ ſua durante Monaſterium hujuſmodi, cujus Moniales ipſi tanquam Matri & Superiori obedire tenerentur, regere ac gubernare, ac pro regimine, ritu, moribus, regulari obſervantia, & illarum inſtructione unam vel duas cujuſvis Ordinis Moniales, ad id voluntarias, quæ de ſuorum Superiorum licentia ad dictum Monaſterium ſe transferre valerent, pro eâ prima vice poſtulare, & unam ex iis tempore obitûs ſui in Abbatiſſam eligere & deputare, & nonnulla alia tunc expreſſa faceret, ipſeque numerus duodenarius augeri non poſſet, ac Rectores dicti Hoſpitalis de ejuſdem Hoſpitalis bonis ipſi, ac Abbatiſſæ & Monialibns dicti Monaſterii victui neceſſaria, prout tunc faciebant, abſque conſcientiæ ſcrupulo miniſtrare, ipſeque Confeſſor nonnulla tunc expreſſa facere valerent, conceſſerat; ac Monaſterium ipſum, illiuſque bona, ac ipſam Mariam & pro tempore exiſtentes Abbatiſſam & Moniales dicti Monaſterii ſub Beati Petri, & Sedis prædictæ, ac ſua protectione ſuſceperat, & ab omni juriſdictione & ſuperioritate loci Ordinarii pro tempore exiſtentis per ſuas litteras exemerat; ac eidem Prædeceſſori pro parte dictæ Mariæ Abbatiſſæ expoſito, quod locus deſignatus præfatus, quem jam dicta Maria Abbatiſſa & aliæ 12. Moniales & ſeptem Converſæ prædictæ ingreſſæ fuerant, minus capax pro Monaſterio Monialium hujuſmodi exiſtebat, præſertim cum plures zelo devotionis & Religionis inductæ cuperent unacum ipſa Maria Abbatiſſa in Monaſterio præfato Altiſſimo famulari, ac eidem Prædeceſſori pro eadem parte humiliter ſupplicato, ut Monaſterium ipſum, prout alia Ordinis Monaſteria regebantur, & gubernabantur, regeretur, & gubernaretur, opportunè providere, aliaque infraſcripta ſibi concedere, de apoſtolica benignitate dignaretur, idem Prædeceſſor noſter hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ipſi Mariæ Abbatiſſæ, quæ infirmitate forſan incurabili gravata erat, antequam in Abbatiſſam, Matrem, & Superiorem dicti Monaſterii idem Prædeceſſor eam præfecerat, ut Monaſterium hujuſmodi in quocunque alio loco, ſimiliter ſine alicujus præjudicio conſtrui facere valeret, conceſſit, ipſumque Monaſterium noviter conſtruendum per eam, quandiu viveret, & deinde per aliam Abbatiſſam per ipſius Monaſterii pro tempore exiſtentes Moniales eligendam, prout alia Ordinis Monaſteria regebantur, & gubernabantur, regi, & gubernari: in dictoque conſtructo vel conſtruendo Monaſterio non ſolùm duodecim, ſed & triginta tres Moniales, ſine tamen dicti Hoſpitalis onere, includi, illaſque eandem Mariam Abbatiſſam recipere poſſe, & non ſolùm tempore obitûs ſui, ut præ-

præfertur, ſed & ante, & quando ſibi placeret, unam ex duodecim, quæ tamen dictum Ordinem expreſsè profeſſa, & in ætate legitima conſtituta, & aliàs ad id idonea foret, ipsâ Mariâ Abbatiſsâ prius regimini & adminiſtrationi hujuſmodi cedente, aliàs juxta dictarum litterarum tenorem in Abbatiſſam eligere & deputare; ipſaque Maria Abbatiſſa, & per eam eligenda, vel alia, quæ pro tempore foret, confirmatione alterius Superioris non indigeret, ſed abſque alia confirmatione & benedictione, adminiſtrare, regere, & alia facere, quæ aliæ dicti Ordinis Abbatiſſæ poſt confirmationem & benedictionem de jure vel conſuetudine facere poterant & conſueverant; Et ſi quæ dubia & difficultates ſuper præmiſſis vel aliis impoſterum pro tempore occurrerent, duos vel tres in jure Canonico Doctores per pro tempore exiſtentem Abbatiſſam prædictam eligendos, declarare, ipſamque Mariam, & pro tempore exiſtentem Abbatiſsam, Confeſſorem & Capellanum juxta formam litterarum erectionis hujuſmodi, quem magis idoneum reputaret, eligere, litteras prædictas & in iis contenta quæcunque ad ea, ſi opus foret, extendere & ampliare poſſe decrevit & declaravit, prout in prædictis & aliis ipſius Prædeceſſoris in forma Brevis deſuper confectis litteris plenius continetur.

Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, licet Monaſterium ipſum licentiæ prædictæ vigore translatum & ædificatum fuerit, Voſque in eo ſub Regula S. Claræ primi Ordinis, non autem ſub Regula S. Franciſci Tertii Ordinis hactenus degeritis, & degatis, nihilominus pro animi veſtri quiete in eo ſub hujuſmodi regula primi & Strictioris Ordinis ejuſdem S. Claræ permanere deſideretis, Nos veſtro pio deſiderio in hac parte favorabiliter annuere volentes, nec non ſingularum litterarum prædictarum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illaſque, & in eis contenta quæcumque approbantes, & confirmantes, ea Vobis ac veſtro Monaſterio ſuffragari, Voſque illis in omnibus, & per omnia uti poſſe decernentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Vos in dicto Monaſterio ſub hujuſmodi regula S. Claræ primi Ordinis, prout hactenus degiſtis, & de cœtero degere & permanere, ac Vos, & in futurum in eodem Monaſterio recipiendæ Moniales Habitum, per alias aliorum ſingulorum Monaſteriorum ejuſdem Ordinis S. Claræ Moniales geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eaſdem primi Ordinis hujuſmodi emitti ſolitam, aliàs juxta aliorum Monaſteriorum ſub hujuſmodi Regula S. Claræ primi Ordinis exiſtentium ritum & conſuetudinem emittere liberè & licitè valeatis, ita tamen, quod Vos & pro tempore exiſtentes ipſius Monaſterii Moniales ex quacunque vel infirmitatis, vel alia quavis urgentiſſima cauſa dictum Moniſterium exire, aut ab eo diſcedere, etiam de modernæ, & pro tempore exiſtentis, ipſius Monaſterii Abbatiſſæ licentia nullo unquam tempore poſſitis & valeatis, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac ſingulas litteras prædictas ad id extendimus & ampliamus, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in ſingulis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die IV. Septembris MDLV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Jo: Baregui.

Breve format. in Archivo Monaſterii Monialium, de quo exemplar auth. in Archivo Relig. Armario. Provincia Neapolitana.

Et Mulieribus quibuſcunque, etiam Monialibus, Monaſterium ingredi, & Judicibus Perſonas ad id relegare prohibet.

PIUS PAPA V.

Dilectæ in Chriſto Filiæ ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper feciſtis, quod cum Vos ad certum præfinitum numerum in veſtro Monaſterio degatis, & in arctiſſima vita ac perpetua clauſura gratum Altiſſimo, Virtutum Domino famulatum devotè exhibere ſtudeatis, & propterea in Regulari Obſervantia aſſiduè perſeverantes omnes occaſiones fugere conemini, propter quas à Regularibus vitæ & obſervantiæ veſtræ inſtitutis retrahi, vel in illis impediri valeatis; nihilominus dubitatis quietem & tranquillitatem veſtram hujuſmodi aliquando magnopere perturbari, conſcientiæque & animarum veſtrarum ſaluti grave periculum imminere, ac non mediocre detrimentum, dum orationibus ad Deum effundendis quotidie vacare non ceſſatis, inferri poſſe, ſi aliquibus Perſonis tam Mulieribus ſæcularibus, quàm etiam Monialibus, cujuſcunque Ordinis permittatur, ſeu licentia intra ſepta veſtri Monaſterii ingrediendi concedatur, aut ſi illæ propter quamcunque cauſam vel delictum in eo deponantur, vel intromittantur. Quare magnoperè deſideratis, ne quietis veſtræ ratio perturbetur, ſuper his per Nos opportunum remedium adhiberi, & ideo Nobis humiliter

ſup-

ſupplicari feciſtis, ut Vobis in præmiſſis paternè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur veſtris honeſtis votis, quantùm cum Domino poſſumus, libenter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pium hoc veſtrum deſiderium ante omnia plurimùm in Domino commendamus; deinde conſiderantes, Monaſterium veſtrum Sacrarum Virginum voluntariè Deo dicatarum, nec receptaculum ſæcularium Perſonarum, nec coactum carcerem delinquentium fœminarum ullo modo eſſe debere, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia interdicimus, & expreſsè prohibemus, in virtute S. Obedientiæ & ſub cenſuris & pœnis in Conſtitutione fel. rec. Bonifacii P. P. VIII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, *Periculoſo*, & in decretis Sacri Concilii Tridentini, ac litteris ſub plumbo à Nobis nuper ſuper clauſura Monialium editis contentis, ne de cœtero ulla Perſona, Mulier, vel ſæcularis, aut Monialis, cujuſvis Ordinis, ſexûs, conditionis, dignitatis aut nobilitatis exiſtat, ſub quovis prætextu, aut quæſito colore, etiam charitativè Vos inviſendi, aut conſolandi (Ordinario, aut Delegato, vel Superioribus ejuſdem Monaſterii, dum juxta Sacras Conſtitutiones generales vel ſpeciales illud viſitant, duntaxat exceptis) etiam cujuslibet indulti licentia, aut facultatis ordinaria Eccleſiaſtica, vel ſæculari poteſtate, ac Regia, aut etiam à Sede Apoſtolica quomodolibet obtentæ veſtrum Monaſterium, ſeu illius clauſtra ingredi, vel ibi ad tempus, etiam breve permanere, neque minus pernoctare, aut aliàs morari poſſit: nec ullus Judex, vel Magiſtratus ordinarius vel delegatus, quacunque etiam Apoſtolica, aut Regia fungens Auctoritate quamlibet Mulierem vel Puellam Sæcularem vel regularem quacunque ex cauſa in eodem veſtro Monaſterio deponere, ſequeſtrare, detinere, carcerare, intrudere, ſeu etiam ad aliquod quantumvis breve temporis ſpatium relegare, nec ad id Vos ſub aliqua pœna cogere, neque in portas ſeu ipſa clauſtra eiuſdem Monaſterii vim inferre, etiamſi illi ad id auctoritate facultatis, aut litterarum, etiam à Nobis vel Romanis Pontificibus deſuper pro tempore emanatarum, una cum invocatione brachii ſæcularis ſuffulti eſſent, ullatenus audeant vel præſumant, Vobiſque, ne Perſonas, Moniales, mulieres ac puellas hujuſmodi, etiam ut præmittitur, ſequeſtrandas, deponendas, detinendas vel carcerandas intra veſtrum Monaſterium admittere, vel recipere, neque intrare, aut ibi morari permittere, niſi duntaxat vigore litterarum, quæ in vim Reſcriptorum manu noſtrâ propriâ ſignatarum deſuper emanaverint, in quibus de præſentibus litteris, earumque toto tenore de verbo ad verbum mentio fiat, ullo pacto poſſitis aut debeatis, auctoritate & tenore prædictis concedimus, alioquin contravenientes omnes ſententias, cenſuras, & pænas prædictas ipſo facto incurrere decernimus, & declaramus. Quocirca Venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitano, & Dilecto Filio noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regno Neapolitano Nuntio, nunc & pro tempore exiſtentibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi vel alter eorum per ſe, vel alium, ſeu alios, ubi, quando, & quoties opus fuerit, & pro parte veſtra fuerint deſuper requiſiti, præſentes litteras ſolemniter publicantes, Vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant haſce litteras, & in eis contenta quæcunque ab omnibus inviolabiliter obſervari: Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pænas prædictas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſitâ compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Vel ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Januarii MDLXVII. Pontificatûs noſtri anno primo.

Cæſar Glorierius.

Breve formatum in Arch. Monaſterii Monialium prædict. de quo exemplar Authenticum in Archivo generali Ordinis Armario Provincia Neapolitana.

NOTA

N O T A.

Moniales prælibatæ quemadmodum primævum Regularis & ſeverioris vitæ ſpiritum nunquam interruptæ virtutis exemplis hucuſque conſolidârunt, ita ſpeciale ſemper Sacræ Sedis patrocinium in caſu recursûs ad illam expertæ ſunt: plura hoc probant Decreta ad illarum favorem emanata, ex quibus duo hîc jungo: quorum primo elemoſynas â Sæcularibus, Abbatiſſæ ſine licentia â Miniſtris Curiæ Archiepiſcopalis ſubſcripta, conſignari poſſe ita conceſſum eſt.

Patres Capucini, qui pro iſtarum Monialium Capucinarum gubernio modicum exhibent animum, ex eo gravati, quod licentiæ accedendi Monaſteria &c. â Miniſtris Illmæ Dom. Veſtræ debeant eſſe ſubſcriptæ, maturè perpendi cupiunt, quod cum Sæculares de hora ad horam ad Monaſterium Monialium elemoſynas deferant, velintque eas pro majore ſatisfactione in proprias Monialium manus conſignare, hujuſmodi licentia â quolibet petenda ardua videatur; hinc inſtant, ut ſaltem iis, qui elemoſynas portant, Abbatiſſæ ſoli loqui, & eidem ſine ejuſmodi licentia elemoſynas tradere poſſint; quod cum Illmis DD. meis æquum videatur, â me Illmæ Dom. Veſtræ ſenſum Sacræ Congregationis aperiri juſsêre, volentes, ut ita executioni dari mandet. Romæ 2. Maii 1601.

Ex Regeſto Secretariæ Congreg. Epiſc. & Regul. anno & menſe prædictis fol. 57.

Decreto ſeu Epiſtola ſecundâ Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo pro P. Confeſſarii & Socii commodo Cellas jam conſtructas ratihaberi commiſſum eſt, ut ſequitur:

Cum Moniales Capucinæ S. Mariæ in Jeruſalem S. Congregationi neceſſitatem habendi quaſdam Cellas in vicinia ſui Monaſterii pro P. Confeſſarii & Socii commodo ob nimiam, quæ illarum Monaſterium & Capucinorum Conventum dividit, diſtantiam, expoſuerint, & pro opportuna proviſione ſupplicaverint, Eminentiſſimi Domini mei benignè petitis annuerunt, indulgentes, ut, prout ſingulari Eminentiæ Veſtræ prudentiæ viſum fuerit, provideatur, ita tamen, ut Decretum â Sanctiſſimo Domino Noſtro in hac materia emanatum obſervetur &c. Romæ 24. Martii 1667.

Ex eodem Regeſto menſe & anno proximè dictis fol. 60.

Habita ejuſmodi commiſſione Eminentiſſimus Archiepiſcopus perſonaliter faciem Monaſterii acceſſit, & dum priores cellas inhabitari poſſe benignè conceſſit, unicè & pro majore Conſtitutionis Alexandri PP. VII. obſervantia ex parte viridarii alium murum, per Rmum D. Vicarium Generalem ſuum poſtea revidendum & approbandum, extrui juſſit Decreto ſequente:

Innicus Miſeratione Divina tit. S. Clementis S. R. E. Presbyter Cardinalis Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus, & ad Infraſcripta Delegatus Apoſtolicus &c.

Viſo ſupplici libello porrecto pro parte Abbatiſſæ & Monialium Ven. Monaſterii Monialium S. Mariæ in Hieruſalem Ordinis Capucinorum hujus Civitatis, Nobis remiſſo â S. Congregatione Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, in quo ſupplicârunt, ut earum P. Confeſſarius, ejuſque Socius, ac Tertiarii ex eodem Ordine Capucinorum dicto Monaſterio inſervientes, in priſtina & conſueta eorum habitatione commorari poſſent, & valerent, ubi ante Conſtitutionem fel. rec. Alexandri PP. VII. ſuper hoc editam anno MDCLXIV. menſe Decembris commorabantur, ſtante quod Cellæ & habitatio prædicta non ſint contiguæ habitationi, & clauſuræ dictarum Monialium, ut per eandem Conſtitutionem prohibetur, ſed inter prædictum habitationem & Monaſterium ſit Eccleſia ſatis ampla interpoſita. Viſis litteris ad Nos datis ab eadem S. Congregatione ſub die 24. Martii 1667. cum facultate Nobis tributa videndi ac providendi ſuper petitione prædicta, ac facto acceſſu ſuper faciem loci ſub die 9. inſtantis menſis Januarii 1668., ibique viſis diligenter clauſuræ finibus â parte tam exteriori, quàm interiori, ac etiam prædicto loco habitationis deſtinato pro dictis PP. Capucinis, comperimus habitationem prædictam longè diſtare ab habitatione prædictarum Monialium, ac inter unam & aliam intercedere Eccleſiam ſatis amplam, & tantùm confinare ex parte viridarii ejuſdem Monaſterii mediante muro diviſorio. Propterea Auctoritate Apoſtolica Nobis delegata, & qua fungimur in hac parte, tenore præſentium duximus, conſideratâ dictarum Monialium neceſſitate, ac vitæ Sanctimonia, & auſteritate, necnon dictorum PP. Capucinorum probatâ virtute, ac exemplari prudentiâ qua præfatis Monialibus inſerviunt, licentiam & facultatem prædictam iiſdem RR. PP. Capucinis, ut licitè poſſint prædictas Cellas inhabitare, & in dicta priſtina habitatione commorari, ſicut ante, concedendam fore, & eſſe, prout concedimus, conſtructo tamen prius pro majori ſupradictæ Conſtitutionis Alexandri PP. VII. obſervantia alio muro convenientis altitudinis inter murum ſupradictum diviſorium viridarii, & ſupradictam habitationem dictorum PP. Confeſſoris, ejuſque Socii, ac aliorum intervenientium juxta modum per Nos præſcriptum, quem murum deſuper ædificandum revideri & approbari mandamus per Reverendiſſimum Dominum Vicarium noſtrum Generalem ad hoc â Nobis ſpecialiter deputatum. Et ita dicimus, decernimus, declaramus, facultatem, & licentiam concedimus, & impartimur, ut ſupra, non ſolum iſto, ſed omni meliori modo &c. Datum ex noſtro Archiepiſcopali Palatio Neapoli die 18. Januarii 1668.

I. Card. Caracciolus Archiepiſcopus,

D. Joan. Jacobus Cioccia Actuarius Mag.

Murum autem poſtmodum conſtructum Reverendiſſimus Dominus Vicarius Generalis factâ inſpectione perſonali approbavit, ut ſequitur.

Die

Die 24. Menſis Januarii 1668. Neapoli.

Viſo Decreto interpoſito per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardinalem Caracciolum Archiepiſcopum Neapolitanum ſub die 18. Januarii 1668. vigore facultatis ſibi conceſſæ â Sacra Congregatione Epiſc., & Regul. prout ex literis ſubſcriptis ab Eminentiſſimo D. Cardinali Ginetti ſub 24. Martii 1667. in actis productis &c. Viſâ Subdelegatione Nobis factâ per eundem Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Archiepiſcopum, per quam impertitur facultas revidendi, & approbandi quendam murum deſcriptum in eodem Decreto, denuo conſtruendum, facto acceſſu ſuper faciem loci dicti Monaſterii Monialium S. Mariæ in Hieruſalem. Viſis videndis, & conſideratis conſiderandis, Auctoritate Apoſtolica Nobis ſubdelegata, & qua fungimur in hac parte, dicimus, & declaramus, murum prædictum denuo conſtructum eſſe convenientis altitudinis, prout fuit mandatum, illumque, prout nunc extat, approbamus, & proinde licentiam, & facultatem concedimus RR. PP. Capucinis, Monaſterio prædicto inſervientibus inhabitare, & permanere in eorum priſtina habitatione, & Cellis prædictis &c. non ſolùm iſto &c.

Metellus Tulpa Vicarius Generalis Subdelegatus Apoſtolicus.

Ex Archivo Monialium.

Fr. Anſelmum de Petra molaria, viginti novem Fratrum in Claſſe Pontificia contra Turcas Servientium Præfectum confirmat, eundemque cum Sociis ampliſſimis privilegiis munit.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUm Dilectus Filius Vicarius Generalis Fratrum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, mandato noſtro, Dilectum etiam Filium Anſelmum de Petramolaria, & aliquot alios ex Fratribus ejuſdem Ordinis elegerit, mittendos ad Claſſem Chriſtianorum, quæ contra Infideles paratur, ut ibi Sacra miniſtrare, ægrotantium curam gerere, omnes monitis, & exemplis ad Dei timorem & amorem accendere, militeſque ad viriliter pro Chriſti Fide dimicandum animare ſtudeant, & Eundem Anſelmum dictis Fratribus in Guardianum præfecerit, cum poteſtate alium ſibi ſubſtituendi, & alios ex ipſis Fratribus Capucinis Socios ſecum aſſumendi, ſeu deligendi, Nos, ut ipſe Anſelmus, & Fratres ea, ad quæ mittuntur, melius exequi & adimplere poſſint, ſpeciales & infraſcriptas facultates & privilegia eis impertienda eſſe cenſentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia eidem Anſelmo Guardiano, ejuſque Succeſſoribus, ac Sociis aſſignatis & aſſignandis præfatis: quod omnium & ſingulorum de Claſſe præfata tam in mari, quàm alibi conſtitutorum, confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, & cenſuris Eccleſiaſticis, & caſibus quomodolibet reſervatis, etiam in Bulla, in die Cœnæ Domini legi conſueta contentis, in foro Conſcientiæ tantùm, injunctâ ſalutari pœnitentiâ abſolvere: nec non eorum vota quæcunque, Caſtitatis & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, ac omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus de præfata Claſſe Chriſtiana, ſeu de copiis & exercitu contra Turcas & Infideles pugnaturis, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare: nec non Miſſas ſuper Altari portatili in loco clauſo, & à ventis tuto in terra cum reverentia & honore celebrare: omnibus verò & ſingulis Fidelibus de claſſe & copiis præfatis, ut ſibi aliquem tam ex dictis Fratribus, quàm alium Sacerdotem approbatum eligere, qui poſſit eorum Confeſſiones audire, eoſque ab omnibus peccatis, exceſſibus, delictis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, etiam (ut præmittitur) reſervatis abſolvere. Præterea, ut pleniùs ægrotantibus Fratres præfati ſatisfacere poſſint, ut ipſi Fratres (ſi opus fuerit pro ipſorum ægrotantium neceſſitatibus) in Claſſe, & alibi, eleemoſynas petere, per Syndicum tamen ſeu Procuratorem aliquem à Commiſſario Apoſtolico aſſignandum ſeu deputandum recipiendas, & in infirmorum neceſſitatibus expendendas, ita, quod ipſi Fratres, nec eleemoſynas hujuſmodi recipiant, nec adminiſtrent, niſi, quatenus eorum regula permittit, & per Procuratorem præfatum fuerit eis mandatum, ſive conceſſum. Quodque Fratres prædicti, quandocunque ventum fuerit ad arma contra Infideles, ſive in mari, ſive in terra, quilibet eorum in ea triremi, vel in acie ſeu agmine, cui aſſignatus fuerit, Fidelibus, & pugnantibus Nomine noſtro benedictionem impendere reſpectivè poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus, & poteſtatem. Inſuper omnibus & ſingulis Fidelibus de Claſſe, & copiis prædictis, videlicet, qui gratis militaverint, pro prima vice, qua confeſſi & con-

triti Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerint, plenariam omnium & ſingulorum peccatorum indulgentiam & remiſſionem: qui verò ſtipendiati fuerint, & eandem SS. Euchariſtiam (ut præfertur) prima vice ſumpſerint, decem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam: omnibus autem & ſingulis ſtipendiatis & non ſtipendiatis, & aliis Perſonis dictæ claſſis, aliis vicibus confeſſis & contritis, ac communicatis, quinque annorum & totidem quadragenarum indulgentiam, & in articulo mortis conſtitutis, atque in præfata expeditione, vel pugna ſeu præliis morientibus, contritis tamen, plenariam quoque indulgentiam, quam iidem Fratres à Nobis conceſſam eſſe, pronuntiare & prædicare poſſint. Item omnibus, qui Miſſæ, vel Sermonibus, ſeu Concionibus præfatorum Fratrum, aut Orationibus, Matutinis, ac Veſpertinis horis habendis, prout à præfatis Fratribus fuerit ordinatum, devotè interfuerint, indulgentiam quadraginta dierum de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, per eaſdem præſentes concedimus & elargimur. Ne autem Fratres prædicti, dum aliis præeſſe ſtudent, ſibi detrimentum faciant, aliiſque minus proſint, eis mandamus, ut in omnibus propriam regulam obſervent; nec non Vicario Generali in omnibus & ſingulis, quæ ab Eo illis ordinata, & præcepta fuerint, pareant, & humiliter obediant. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Martii MDLXXI. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Exempl. auth. impreſſum in Archivo Gen. Ord. Arm. Provincia Neapolitana.

N O T A.

PRæter ea, quæ in hujus Provinciæ proemio de P. Anſelmo Definitore Generali dicta ſunt, fuit & jam in primo Bullarii tomo, ubi & hoc ipſum Apoſtolicum Breve ſeu toti Ordini ob Fratrum noſtrorum Delectum, à Sancto Pontifice factum, in gloriam cedens fol. 33. reperitur, facta de illo fugax laudis memoria, cui meritò adjungi debet, quod, ſicut fuit Magni noſtri P. Hieronymi à Piſtoja, Œcumenico in Concilio Tridentino Theologi &c., in Præfectura Pontificiæ Expeditionis Succeſſor, ita etiam cadaveris ejus ab Inſula Cretæ Caſertam uſque Commiſſarius Conductor. Patet hoc ex inſtrumento, æquè digno, ac neceſſariò, ut hîc ſubnectatur, cum de Hieronymo, quem principaliùs concernit, opportunior loquendi occaſio non reditura videatur.

In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti Amen. Anno milleſimo ſeptingenteſimo, ex quo Verbum factum eſt, Reverendus quondam P. F. Hieronymus de Piſtoja Ordinis Minorum Venerandæ Congregationis Fratrum Capucinorum Divini Verbi Præco clariſſimus, beatæ vitæ, feliciſque memoriæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Divina Miſeratione Pii Papa V. vicem gerens in ſpiritualibus Generalem in exercitu, tunc contra Turcas Sanctiſſimæ Fidei hoſtes expedito, poſt multas ac varias calamitates, plurimiſque pro Chriſto exantlatis laboribus tum in Divini Verbi continua prædicatione, tum & in militibus, tunc temporis peſte laborantibus propria opera ſubveniendis, in manibus ſuorum Sociorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Sacramentis omnibus prius devotè ſuſceptis, Fratres ſuos, omneſque alios adſtantes ad Chriſtianam Fidem fideliter ſervandam, fortiterque tuendam, chriſtiano ac paterno monens affectu, in Inſula Cretæ felicem accepit dormitionem. Cujus quidem Reverendi Patris præclara, magnaque merita, & dum viveret, & poſt ejus obitum, apertè propriaque experientia cognoſcens Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Julius Antonius Santorius de Civitate Caſertæ oriundus, Divinâ Clementiâ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Tit. S. Bartholomæi in Inſula, & ejuſdem Venerandæ Congregationis Protector, & Gubernator præclariſſimus, atque digniſſimus, ex ſua mera, piâque benignitate erga prædictum Beatum Patrem ex prædicta Inſula, ubi jam prius dormierat, in Italiam, & propriè in prædictam Civitatem Caſertæ ejus benedicta oſſa ſive Reliquias tranſportari curavit Auctoritate Apoſtolica anno Domini MDLXXXIII. per Reverendum P. Fr. Anſelmum de Petra Molaria prope Theanum ejuſdem Ordinis, ad hoc ab ipſo Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Commiſſarium Deputatum, & Delegatum, moto quidem ad hoc pium opus tum ex ſua benignitate, & devotione erga prædictum beatum Hieronymum, tum & ne tanti Reverendi beatique Patris non pauca merita ibi nullo ſciente, celarentur, ac ut, ſicut ipſe Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Cardinalis ejus vivâ præſentiâ, familiarique obſequio potitus ac lætatus fuit, ita Civitas Caſertæ ejus Patria potiretur ac lætaretur Reliquiis, meritis ac patrocinio illius.

Die igitur vigeſima ſeptima menſis Martii ejuſdem anni prædicta veneranda oſſa ex Veneranda Eccleſia Annuntiationis Fratrum Carmelitarum ejuſdem Civitatis Caſertæ, ad quam quidem Eccleſiam prius de Neapoli perducta fuerant per prædictum R. P. F. Anſelmum, ſolemni totius Cleri, omniumque Religionum ac Sæcularium Societatum proceſſione, Virorum ac Mulierum, & vicinarum Terrarum magnâ comitante catervâ, candelas accenſas ferentibus omnibus, ſumptibus ipſius Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis, per eundem P. Anſelmum Commiſſarium, nec non per alios plures, & fere quinquaginta Fratres Capucinos, eorum aliquorum humeris loculo devotè, & humiliter ſubmiſſis, pſalmos continuò cantantes, ad locum S. Franciſci ipſorum Capucinorum ſolemniter fuerunt translata, in hac plumbi capſula ex mandato ipſius Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Cardinalis poſt trium dierum continuarum vigiliarum, & Miſſarum ſolemnia celebrata, honorificè recondita fuerunt ad futuram rei memoriam, præſentibus ipſo R. P. Anſelmo Commiſſario, ac 2. Fratribus Sociis ejus: qui quidem ex Candiâ Reliquias ipſas tranſportarunt per mare paribus, & maris, & Turcarum periculis miraculosè evaſis, ut ipſe P. F. Anſelmus & Socii teſtati ſunt, per interceſſionem ipſius B. P. Hieronymi. In quorum prædictorum fidem &c. Datum in loco S. Franciſci de Caſerta die & anno prædictis.

Fr. Anſelmus Commiſſarius ùt ſupra.

Alia de P. Hieronymo vide tomo primo fol. 34. & 44. in notis.

RE-

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Conſtructio novæ Domûs in Terra Solophræ Ordinario loci remittitur.

INſtantias Univerſitatis loci, & Terræ Solophræ Sanctitas Sua arbitrio Ordinarii loci remittit, qui, prout de jure, & conſcientiâ, deſuper procedat. Ex Aula Pontificia 8. Jan. 1682.

Ex Arch. Generali Ordinis.

N O T A.

EXercuit Reverendiſſimus Archiepiſcopus Salernitanus jus ſuum prompto ſtudio, & ad præcavendas, quæ oriri poſſent, diſſenſiones nonnullos articulos dictavit, quos ſequens continet Diploma.

Marcus Antonius Columna Marſilius Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Salernitanus, Regius Conſiliarius &c. Dilectis Nobis in Chriſto Miniſtro Provinciali Fr. Hieronymo à Sorbo, ac Fratribus ejuſdem Provinciæ Ordinis Capucinorum S. Franciſci, nec non Univerſitati, & Hominibus Terræ Solophræ noſtræ Salernit. Diœc. Salutem in Domino ſempiternam.

Paſtoralis Officii cura Nos admonet, ut ad ea libenter intendamus, per quæ Religioſorum hominum Conventus, ac Domus, in quibus Regulares Perſonæ perpetuum Altiſſimo præſtant famulatum, cum Religionis propagatione erigantur, ac erectæ feliciter dirigantur, & in his ejuſdem Officii partes favorabiliter impartimur, prout Ordinis Regulâ, ac Perſonarum qualitate penſatâ conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Cum itaque nuper Dilecti Nobis in Chriſto Univerſitas, & Homines Terræ prædictæ Solophræ noſtræ Diœceſ. Zelo devotionis accenſi, unum prædicti Ordinis in Terra prædicta Conventum habere deſiderarent, ac aſſignaverint locum pro illo conſtruendo, & Eccleſia ædificanda, Tuque, Dilecte Nobis in Chriſto Provincialis, ut eorum devotioni ſatisfaceres, locum eundem pro Conventu inibi erigendo, & Eccleſia ædificanda acceptaveris, tam Tu, quàm Fratres, ac Univerſitas, & Homines prædicti Nobis humiliter ſupplicâſtis, ut Veſtro in hac parte deſiderio ſatisfacere, ac licentiam in præmiſſis concedere benignitate noſtra dignaremur.

Nos igitur, qui juſtis fidelium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, ob ſpecialem, quem gerimus ad Vos, & Veſtrum Ordinem devotionis affectum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Vobis in Terra prædicta unum Conventum Ordinis prædicti erigendi licentiam in loco, qui dicitur à S. Maria della Selva, *& in quo Deo laudes perſolvere tranquillo famulatu poſſitis, ſub Invocatione S. Mariæ de Sylvis, tenore præſentium concedimus, & elargimur.*

Per hanc autem noſtram conceſſionem, & licentiam nullum volumus præjudicium inferri noſtræ Menſæ Archiepiſcopali in Quarta tam Parochiali, quàm Canonica, & Epiſcopali quoad omnia, quæ ad præſens exiguntur ab Archipresbytero noſtro Terræ prædictæ Parochorum, & jura funeralia illæſa permaneant: imo ut omnis poſthac dubitandi auferatur occaſio, decernimus, ut corpora Defunctorum, quæ pro tempore ad Eccleſiam prædictam S. Mariæ de Sylvis afferenda erunt, prius ad Parochialem Eccleſiam afferantur, in qua celebretur officium, aut ſolvantur Parocho illa jura, quæ ſolvenda eſſent, ſi officium prædictum in Parochiali Eccleſia eſſet celebratum, in omnibus, & quoad omnia. Utque Prædicator, qui pro quadrageſima, aut alio tempore mittitur, etiamſi alterius ſit Ordinis, in eadem Eccleſia, nullâ Veſtrâ ſuper hoc requiſitâ licentia prædicare poſſit, & valeat; neque Vos in eadem, niſi Nobis permittentibus, prædicare poſſitis. Et inſuper volumus, & decernimus, ut in prædicta Eccleſia B. Mariæ de Sylvis remaneat Confraternitas Laicorum aliàs conceſſione noſtra inſtituta, cum oneribus, & honoribus annexis, ſalvumque ſit in ea jus viſitationis, correctionis, & omnimodæ noſtræ juriſdictionis.

Volumus autem, ut pro erectione Conventûs hujuſmodi Univerſitas, & Homines Terræ prædictæ in ſignum recognitionis quolibet anno in feſto translationis Corporis B. Apoſtoli, & Evangeliſtæ Matthæi facem unam pondere librarum duarum ceræ albæ laboratæ Eccleſiæ noſtræ ſolvere omnino teneantur. Et ita concedimus, elargimur, ſtatuimus, decernimus, & providemus, & reſervamus, perpetuis futuris temporibus obſervandum. Datum Salerni in noſtro Archiepiſcopali Palatio ſub anno à Nativ. Domini MDLXXXII. die verò VI Aprilis Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Gregorii Divina providentia Papæ XIII. Anno Decimo.

Marcus Antonius Archiepiſcopus Salern.

Gaſpar à Muſca Canc. Salern.

Autograph. in Archivo Provinciæ.

Modium terræ ad Portionarium Capellæ S. Julianæ Averſæ aliàs ſpectantem, Fratribus ibi pro Domûs & Eccleſiæ ampliatione, loco eleemoſynæ concedi, Epiſcopo Averſano committit.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo Averſano ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EA, quæ pro Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Regularium, decore, & venuſtate, ac Regularium locorum ampliatione providè facta fuiſſe dicuntur, libenter, cum à Nobis petitur, mandamus Apoſtolico munimine roborari. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Provincialis FF. Minorum Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Sancti Angeli, ac Electorum Communitatis, & Hominum Averſan. petitio continebat, quod aliàs in Territorio Rectoriæ S. Julianæ Averſan. una Domus Fratrum dicti Ordinis fabricata, & Capellania ipſius Rectoriæ ſub invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis cum onere illi deſerviendi, & in ea Divina Officia peragendi in Eccleſia dictæ Domûs incluſa fuit, & deinde, cum expediret ipſis Fratribus Eccleſiam, & Domum prædictas ampliari, & dilatari, & ad ampliationem, & dilatationem hujuſmodi faciendam neceſſarius eſſet modius terræ, menſuræ illarum partium, dictæ Rectoriæ, dilectus Filius Cæſar Strabone unus ex ipſius Capellæ Rectoribus Portionariis nuncupatis, quæ per plures Rectores Portionarios nuncupatos regi ſolita exiſtit, dictum modium terræ ratione portionis ſuæ legitimè ſpectantem, cujus fructus, redditus, & proventus quatuor ducatorum Regni Neapolitan. ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, ipſis Fratribus loco eleemoſynæ pro ampliatione hujuſmodi facienda, ſub Noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, in perpetuum dedit, & conceſſit, prout in publico deſuper confecto inſtrumento, & per dilectum Filium Joſephum Notarium publicum in Civitate Neapolitana commorantem rogato, plenius dicitur contineri. Quare pro parte Provincialis, & Rectorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatũ, quatenus premiſſa apprbare, & confirmare, aliàſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Regularium decorem & venuſtatem ſinceris exoptamus affectibus, ipſoſque Provincialem, & Rectores, eorumque ſingulos à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus donationem, & conceſſionem hujuſmodi Auctoritate Noſtra perpetuò approbes, & confirmes, omneſque, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenerint, in iiſdem dicta auctoritate ſuppleas, & nihilominus pro potiori cautela dictum modium Terræ ab eadem portione de dicti Cæſaris conſenſu eadem auctoritate etiam perpetuò diſmembres, atque ſepares, illumque ſic diſmembratum, & ſeparatum eidem Domui pro illius, ac dictæ Eccleſiæ ampliatione, ut præfertur, facienda, auctoritate prædicta concedas, & aſſignes. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo duodecimo Kalendas Septembris Pontificatus noſtri anno tertio.

Bulla formata in Cancellaria Epiſcopali Averſæ, de qua exemp. auth. in Arch. generali Ord.

NOTA.

PRima hujus loci Domus, juxta librum, Regeſtum Scripturarum Civitatis Averſanæ vocitatum, fol. 140. jam anno 1545. fuit fundata, & poſtmodum ad alium ſitum translata, quod in fundo dicti folii ita deſcribitur: *R. R. P. P. Capucinorum ſupplicatione pro parte inclytæ, & fideliſſimæ Civitatis Averſanæ porrecta SSmo Domino Papæ Pio V. anno* 1570., *Monaſterium olim fundatum, & publico peculio dictæ Civitatis in agro, ubi dicitur, Cerigliano, in Eccleſia jam diruta tituli S. Julianæ, & elapſo biennio huc fuit tranſlatum, ſimiliter publicis, ac fideliſſimæ Civitatis ſumptibus pro majore quiete R. R. Patrum, ubi aderat Eccleſia cum beneficio S. Julianę cum terreno modiorum quatuor, quod beneficium de conſenſu D. Joſephi Strabone Neapolitani illius Beneficiati, & prævio Brevi Apoſtolico ad inſtantiam præfatæ Civitatis annexum fuit dicto Sacro Monaſterio &c.*

Con-

Conceſſionem variarum Terrarum tam ad Menſam Archiepiſcopalem, quàm quamdam Præbendam Canonicalem Neapolì ſpectantium, & illegitimè pro conſtructione novæ Domûs in loco Turris Octavæ ad Fratres tranſlatarum, causâ ad ſe avocatâ validat; in recognitionem, ac loco reſponſionis &c. ſingulis annis in Feſto Translationis S. Januarii claves Eccleſiæ, & Monaſterii Archiepiſcopo pro tempore exiſtenti conſignari; inſignia Eccleſiæ Neapolitanæ in eadem Eccleſia pingi, figi, vel appendi; ac in caſu receſsûs Fratrum, aut præſentatione Clavium per biennium non factâ, Eccleſiam cum Monaſterio ad Menſam Archiepiſcopalem pleno jure redire, ſancit.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

GRegi Dominico Divinâ Clementiâ præſidentes, Eccleſiarum omnium indemnitatis, & Eccleſiaſticarum perſonarum, præſertim ſub ſuavi Religionis jugo Deo famulantium quietis decet Nos eſſe ſollicitos. Nuper ſiquidem accepimus, quod à multis annis Electi, & Deputati Univerſitatis, & Hominum loci Turris Octavæ nuncupat. Neapolitan. Diœceſ. cupientes in dicto loco Eccleſiam cum Monaſterio, ſeu Domo pro uſu & habitatione dilectorum Filiorum Fratrum Capucinorum conſtruere, à diverſis perſonis particularibus ejuſdem loci aliquot modios Terræ Vitatæ, & arboratæ, qui ab eiſdem particularibus ad laborandum jam pro ſe, eorumque Filiis & deſcendentibus legitimis & naturalibus, aut aliàs à Menſa Archiepiſcopali Neapolitanæ Eccleſiæ, earumdem Terrarum Domina, cum onere ſolvendi medietatem omnium fructuum recognoſcebantur, & tenebantur, pro certo pretio ſeu pretiis tunc conventis, & ſub certis finibus tunc expreſſis coemerunt: & licet in Inſtrumentis emptionum prædictarum, præter ſolutionem dictæ medietatis fructuum, conſenſus etiam Archiepiſcopi, tunc exiſtentis, de Jure & conſuetudine requiſitus, deſuper pro validitate dictarum Emptionum impetrandus expreſsè reſervatus fuiſſet, nihilominus Electi prædicti ante conſenſum hujuſmodi obtentum, laudemiis etiam eidem Menſæ Archiepiſcopali, prout de jure, & conſuetudine tenebantur, minimè perſolutis, eoſdem Terræ modios dictis Fratribus Capucinis ad alium uſum, ſatis diverſum ab eo, qui fuerat primum à dicta Menſa conceſſus, pro Eccleſia, Domibus, Hortis, & aliis Officinis, & membris ad eorum uſum neceſſariis conſtruendis ſub eadem medietatis fructuum reſponſione dictæ Menſæ perſolvendæ, eodem Archiepiſcopi conſenſu minimè obtento, ſed nec etiam forſan reſervato conceſſerunt. Cum autem facie loci contra primò dictarum conceſſionum tenorem immutatâ, inibi Eccleſia ſub invocatione Beatæ Mariæ Annunciatæ cum Domibus, & Hortis prædictis ædificata, inque eas dicti Fratres Capucini introducti fuiſſent, quondam Ferdinandus Bucca laicus Neapolitan. alium Terræ modium etiam vineatum, & arboratum, quod pariter à dicta Menſa cum eodem onere reſponſionis medietatis fructuum recognoſcebat, unà cum quibuſdam Domibus pro ampliatione dicti Monaſterii eiſdem Fratribus legavit, nec non etiam dilectus Filius Jo: Bernardinus Piſanus Canonicus Neapolitan. pro via vicinali ad eorumdem Fratrum commoditatem aperienda, quoddam Terræ petium ad Præbendam ſui Canonicatûs ſpectans, nullo Sedis Apoſtolicæ beneplacito interveniente, nec reſervato, de facto in perpetuum conceſſit, & donavit, ſeu donationi, & conceſſioni per eum, qui dictum petium ab eadem Præbenda Canonicali ad laborandum jam ſub ſimili reſponſione medietatis fructuum recognoſcebat, eiſdem Fratribus factæ conſenſit.

Cum autem, ſicut etiam accepimus, prædicti Fratres Capucini, qui inibi uſque in præſentem diem nullo, de quo appareat Archiepiſcoporum pro tempore conſenſu, præſertim ratione dominii, & proprietatis dictarum Terrarum accedente permanſerunt, & de præſenti exiſtunt, à pluribus annis dictorum fructuum medietatem Menſæ prædictæ minimè perſolviſſent, atque animadvertiſſent, dictas Terras, & loca prædictæ reſponſionis onere gravata contra ipſorum Conſtitutiones, & Regularia Inſtituta retinuiſſe, & de præſenti retinere, Venerabili Fratri noſtro Alphonſo S. R. E. Cardinali Geſualdo Epiſcopo Oſtien., & Archiepiſcopo Neapolitano pro condonatione, & gratuita dictorum fructuum remiſſione, tam pro decurſo tempore, quàm etiam futuro, donec eidem Eccleſiæ præſideret, Neapoli primùm, tum Romæ tempore Capituli Generalis eorum Congregationis noviſſimè celebrati ſupplicarunt; Alphonſus autem Cardinalis Archiepiſcopus prædictus, etſi pro ſua erga Regulares, dictique Ordinis Fratres liberalitate, ac in multis rebus ſpectata propenſione

ne fructus hujuſmodi condonare, & elargiri paratus eſſet; quia tamen Terræ hujuſmodi ad prædictam Menſam Eccleſiæ Neapolitanæ, & Præbendam Canonicalem reſpectivè pleno jure, ac ad earum integram proprietatem, plenariumque Dominium ſpectare, ac in Univerſitatem, & Homines prædictos primùm, & deinde in prædictos Fratres Capucinos malè, & nulliter, ac contra formam Juris, & Sacrorum Canonum tranſlatæ noſcebantur, volens plenius tam ſuæ, quàm eorumdem Fratrum conſcientiæ ſatiſfacere, eoſdem Fratres majori remedio indigere, & noſtra ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac opportuna deſuper interponenda proviſione opus eſſe benignè ſignificavit.

Verùm, dum ſuper præmiſſis à Nobis, & Sede Apoſtolica remedium opportunum expectabatur, dictæ Univerſitatis Homines ad Conſilium Regium Curiæ Neapolitanæ ſub falſo prætextu, quod eaſdem Terras, in quibus dicti Fratres Capucini, ut præfertur, degunt, ipſorum Capucinorum perſonis mediantibus poſſiderent, pro manutentione in poſſeſſionem, in non modicum prædictæ Eccleſiæ diſpendium, ac Juriſdictionis Eccleſiaſticæ præjudicium, recurſum habuerunt, & prædicti Fratres Capucini eiſdem Hominibus Turris Octavæ adhæſerunt, ſeque contra nullitatem dictarum conceſſionum tueri prætendebant, ſub eo prætextu, quod quidam Thomas de Donna, dictæ Turris Incola, reddituum ejuſdem Menſæ Archiepiſcopalis in dicto Loco Turris exiſtentium olim Conductor, ſub die primo Junii Anni proximè præteriti fidem faceret, ſe adhuc, dum dictorum reddituum Menſæ Archiepiſcopalis Conductor eſſet, tempore, quo dicta Eccleſia, & Domus fabricatæ, & Fratres ipſi in eas introducti fuerunt, ab eiſdem Fratribus, & dicti loci Hominibus requiſitus, ejuſdem Menſæ, & Archiepiſcopi tunc exiſtentis nomine, licet nulla ſufficienti ad hoc facultate ad ſimilium Univerſitatum, & Perſonarum Regularium favorem conſentiendi ſuffultus eſſet, neque id abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito facere potuiſſet, conſenſum dictis Emptionibus, & Conceſſionibus oretenus præſtitiſſe, & laudemia eiſdem Fratribus relaxâſſe, &, quatenus opus eſſet, ſe de novo eumdem Conſenſum dicto nomine ex nunc, prout ex tunc, ut olim Conductor, præſtare, & laudemia præmiſſa remittere & relaxare. Idem verò Alphonſus Cardinalis Archiepiſcopus non obſtantibus frivolis hujuſmodi prætenſionibus devolutionem dictarum Terrarum ob cauſas prædictas ad menſam prædictam factam eſſe declaravit, eamque acceptavit, atque ad nonnullos actus, etiam Judiciarios, contra dictos Fratres coram dilecto Filio Noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ Cauſarum Generali Auditore pro dictæ ſuæ Menſæ reintegratione, & indemnitate devênit.

Nos itaque habitâ de præmiſſis notitiâ negocium hoc nonnullis piis & eruditis Viris examinandum, & Nobis referendum commiſimus, juxta quorum relationem attendentes, Terras hujuſmodi ſub proprietate & pleno Dominio Menſæ Archiepiſcopalis, & Præbendæ Canonicalis prædictarum reſpectivè exiſtentes, & primodictis particularibus perſonis ſub onere reſponſionis, & medietatis omnium fructuum eiſdem Menſæ & Præbendæ reſpectivè faciendæ conceſſas, in Univerſitates & Collegia, aut Eccleſias, & pia loca, ſeu perſonas, in quibus devolutio & caducitas locum habere non poteſt, alienari & diſtrahi non potuiſſe, & propterea tam acquiſitiones per dictos dilectos Electos Univerſitatis nomine, quàm Conceſſiones eiſdem Fratribus Capucinis factas, præſertim nullâ dictæ Menſæ & Præbendæ datâ recompenſatione, ſed nec etiam laudemiis perſolutis, aut Conſenſu aliquo Archiepiſcoporum, & Sedis Apoſtolicæ, neque ante, neque poſt dictorum bonorum traditionem ſubſecuto, facie inſuper loci immutatâ, Vitibuſque & Arboribus evulſis, in non modicum dictæ Menſæ & Præbendæ præjudicium, quæ non ſolum prædicta medietatis fructuum reſponſione, ſed Terris etiam ipſis in perpetuum privatæ remanſerunt, nullas & invalidas fuiſſe & eſſe declaramus. Volentes tamen ſuper præmiſſis, omnem diuturnioris contentionis materiam tum amputare, tum dictorum FF. Capucinorum ſtatui & conſcientiæ ſecuritati, quantum cum Domino poſſumus, opportunè proſpicere, ac eos, ut divinis obſequiis ea, qua decet, quiete vacare valeant, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, piamque Alphonſi Cardinalis Archiepiſcopi erga dictos Fratres Capucinos voluntatem collaudantes, qui nedum emolumenta quæcumque ex dictis Terris proventa, & provenientia ſibi debita & debenda eiſdem Fratribus condonare ſemper obtulit, ſed etiam conceſſiones prædictas de dictis Terris ad eorumdem Fratrum uſum & commodum, per Nos Apoſtolicâ auctoritate, aliqua tamen recognitione dictæ Eccleſiæ ſuæ reſervatâ, revalidari ſæpius ſupplicavit; Terrarum prædictarum quantitates, qualitates, fines, menſurationes, nominationes, vocabula, ac reſponſionum hujuſmodi ſolutionum modos & tempora, nec non alias neceſſariò exprimendas circumſtantias, dictorumque Inſtrumentorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes; Motu proprio ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Cauſam & Cauſas quaſcumque ſuper præmiſſis motas & introductas à quocumque, ſeu quibuſcumque Judicibus ad Nos harum ſerie avocan-

cantes, illaſque penitus extinguentes, ac perpetuum deſuper ſilentium imponentes, conceſſiones, donationes, Legata, & alia relicta, tam à prædictis Electis, & Hominum dictæ Turris Univerſitate, quàm à dicto quondam Ferdinando, & Jo: Bernardino, ſeu aliis forſan perſonis, etiam Eccleſiaſticis de dictis Terris ad dictam Menſam & Præbendam, ut præfertur, reſpectivè ſpectantibus, ad dictorum Capucinorum, ſeu Eccleſiæ Annunciatæ prædictæ uſum, uſufructum, & commodum huc uſque factas, cum omnibus inde ſecutis, non obſtante, quod dictæ Menſæ Archiepiſcopalis, & Sedis Apoſtolicæ conſenſus, & beneplacitum, ſeu etiam aliæ ſolemnitates de Jure & conſuetudine, ut præfertur, requiſitæ in dictis Conceſſionibus, alienationibus, & acquiſitionibus minimè intervenerint, cum infraſcriptis tamen conditionibus, reſervationibus, & recognitionibus, & non aliàs, nec alio modo, validamus, approbamus, confirmamus, & quatenus opus ſit, eadem auctoritate de novo concedimus, & applicamus.

Volumus tamen, ut pro perpetua conſervatione & reſervatione Jurium, & præſertim dicti pleni Dominii & proprietatis in Terris prædictis dictæ Menſæ Archiepiſcopalis, & in illius ſignum & recognitionem, ac loco reſponſionis medietatis fructuum eidem Menſæ, ut præfertur, debitæ, iidem Fratres Capucini annis ſingulis in feſto Translationis S. Januarii dictæ Eccleſiæ, & Civitatis Patroni, quod prima die Dominica Menſis Maij celebratur, Claves dictæ Eccleſiæ, Monaſterii, ſeu Domorum & Hortorum Archiepiſcopo, pro tempore exiſtenti, præſentare, & conſignare, ſeque ad Eccleſiam ipſam cum Domibus & Hortis ad arbitrium & nutum dicti Archiepiſcopi dimittendam, ſeu, prout Archiepiſcopo eidem videbitur, retinendam, promptos & paratos exhibere, & offerre debeant & teneantur; nec non, ut idem Alphonſus Cardinalis Archiepiſcopus ad eorumdem Jurium conſervationem, ſignificationem, & demonſtrationem Dominii dictæ Eccleſiæ Neapolitanæ ejuſdem in eadem Eccleſia, domibus ſeu Monaſterio & Hortis Eccleſiæ Inſignia, etiam marmorea, in parietibus figere & collocare, aut etiam pingere, ſeu pingi & collocari facere, etiam dictorum Fratrum, & dicti loci Turris Hominum conſenſu non accedente, illiſque etiam contradicentibus, teneatur & debeat; & caſu, quo dicti Fratres Capucini nunc & pro tempore exiſtentes, à dictarum Clavium præſentatione & conſignatione, ut præfertur, facienda per biennium integrum ceſſaverint, aut etiam dictâ Eccleſiâ & Monaſterio, aut Domibus, ſeu earum Tenuta & poſſeſſione, aut detentione receſſerint, aut Eccleſiam ipſam & Monaſterium, ſeu Domos & Hortos prædictos, eorumve Tenutam & poſſeſſionem, ſeu detentionem, ſeu eorum aliquam partem, etiam ſponte, ſeu ex quacumque cauſa, & occaſione quandocumque & qualitercumque dimiſerint, aut eorum uſum, & Uſufructum, & commoditatem reliquerint, Eccleſia ipſa cum adjacentibus omnibus ſuis domibus, Monaſterio, & Hortis ac membris in toto vel in parte, ut præfertur, dimiſſa, & relicta, ad eamdem Menſam Archiepiſcopalem pleno jure Dominii & proprietatis, ut præfertur, redire, & cum ejuſdem Menſæ bonis reintegrari debeat, prout Nos ex nunc, prout & tunc cum dimiſſa & relicta in toto vel in parte, vel à Clavium conſignatione & præſentatione, ut ſupra dictum eſt, per biennium ceſſatum fuerit, ad eamdem Menſam reverti, & reverſa ac reintegrata eſſe volumus, decernimus, & declaramus, ita, ut Archiepiſcopus pro tempore de eis, uti de aliis dictæ Menſæ bonis liberè & licitè diſponere valeat, abſque aliquo dictorum Hominum Turris deſuper præſtando impedimento, eadem auctoritate decernimus, volumus & mandamus, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti & ſolemnitatum, etiam ſubſtantialium, conſenſuum, & aliorum omnium neceſſariorum & neceſſariò exprimendorum defectus, qui in præmiſſis & circa ea quomodolibet intervenerunt, ſupplemus, partibuſque ipſis, ac omnibus deſuper quomodolibet intereſſe prætendentibus ac habentibus reſpectivè perpetuum ſilentium imponimus. Et nihilominus eidem Alphonſo Cardinali Archiepiſcopo Neapolitano, ut per ſe vel per alium ſeu alios eoſdem Fratres, ac dictum Jo: Bernardinum, ac alios quoſcumque, qui bona prædicta alienârunt, ab omnibus pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, propterea incurſis, injunctâ eis pœnitentia ſalutari, ac datâ per dictum Jo: Bernardinum æquivalenti recompenſatione dictæ ſuæ Præbendæ in utroque foro abſolvere; eiſdem omnem inhabilitatis maculam abolere, & in priſtinum, & eum, in quo ante præmiſſa erant, ſtatum reſtituere, & plenariè reintegrare, & cum eiſdem ſuper irregularitate per eos contracta, quod dictis Cenſuris innodati Miſſas & alia divina Officia, non tamen in contemptum Clavium celebraverint, ita ut illa non obſtante, Clericali charactere, quo alias ritè inſigniti fuerint, illiuſque privilegiis uti, & in ſuſceptis Ordinibus, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, & obtenta beneficia retinere, reſpectivè poſſint & valeant, diſpenſare, illiſque fructus indebitè perceptos remittere, & omnia & ſingula deſuper neceſſaria & opportuna facere poſſit & valeat, earumdem præſentium tenore committimus & mandamus, ac ſuper hoc opportunam illi facultatem concedimus; Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos,

etiam

etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatii Noſtri Cauſarum Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, præſentes quoque literas de ſubreptionis, obreptionis, aut intentionis noſtræ defectu nullatenus impugnari poſſe, ſed ſemper validas & efficaces exiſtere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari debere decernimus. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, regula noſtra de jure quæſito non tollendo, ac fel. rec. Pauli II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, quæ incipit: *Ambitioſæ*: ac aliis Apoſtolicis, & in Synodalibus, & Provincialibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ, & aliarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus & formis ſpecialis mentio facienda foret, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XII. Februarii MDC. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Ex Reg. Secret. Brevium Apoſtolicorum.

N O T A.

CUm Mons Veſuvius, in cujus pede dictus Conventus exſurgit, hujus fabricam ſemel graviùs devaſtaſſet, appenſa ad Altare B. Virginis anathemata pro ejus reparatione vendi, à S. Congregatione conceſſum fuit, Epiſtolâ R. P. Provinciali ita inſcriptâ:

Adm Reverende in Chriſto Pater. Eminentiſſimi Domini Cardinales auditis iis, quæ S. Congregationi nomine P. Veſtræ circa damnum, ex Veſuvii incendio, fabricæ Domûs & Eccleſiæ Turris Octavæ Ordinis P. Veſtræ ſubortum, fuerunt expoſita, indulgent, ut mediante piâ Perſonâ vota ſeu Anathemata ad B.V. Mariæ imaginem, miraculis in prædicta Eccleſia coruſcantem appenſa vendi, & illorum pretium, quod ad 80. *ſcuta incirca aſcendere ſupponitur, in fabricæ memoratæ reparationem convertantur. Poterit itaque P. Veſtra ita exequi, cum vigore præſentium neceſſaria deſuper Ei concedatur facultas. Quibus &c. Romæ* 18. *Martii* 1632.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

Exmplar in Archivo Gen. Ord. Armario Provincia Neapolitana.

In ſubventionem Fabricæ veteris Domûs Cajetanæ licentiam in diebus Feſtis piſcandi concedi, & lucrum inde proveniens in dictam Fabricam converti, Epiſcopo ibi committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Cajetano.

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus & Fratres Ordinis Capucinorum Domûs B. Mariæ de Pietate, Civitatis Cajetan. quod cum pro Fabrica eorum novæ Eccleſiæ eleemoſynæ, quæ ad hunc effectum collatæ ſunt & in dies conferuntur, non ſufficiant pro ejuſdem Fabricæ ſubventione, maximopere expediret, ut aliquibus perſonis piſcandi diebus Feſtis ad effectum, ut lucrum inde proveniens in Fabricam prædictam converti poſſet, licentia concederetur. Propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper hoc opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Guardianum & Fratres ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut, ſi ita expedire judicaveris, quibuſcumque perſonis, lucrum inde proventurum in Fabricam prædictam erogare volentibus, ut diebus Feſtis de præcepto, (exceptis Nativitatis Domini Noſtri & Paſchatis Reſurrectionis, ac Pentecoſtes, & dummodo prius Miſſæ interfuerint) piſcari licitè, & abſque alicujus Cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu poſſint & valeant, ad triennium proximum licentiam auctoritate Noſtra concedas. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Junii MDCII. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

*Ex Regeſto Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Menſe & Anno prædictis fol.*305.

Ex

Ex Eccleſia Domûs Conceptionis B. V. Mariæ Immaculatæ, Civitatis Neapolitan. S. Reliquias extrahi prohibet, & prohibitionis copiam ad valvas Sacriſtiæ affigi mandat.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Conſervationi Sacrarum Sanctorum & Sanctarum Reliquiarum, quæ, ùt aſſeritur, in Eccleſia Domûs FF. MM. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Neapoli aſſervantur, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere, nec non Guardianum & Fratres dictæ Domûs ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti &c. & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, quâvis auctoritate fungens, ſub quovis prætextu, & ex quacunque cauſa, ratione, vel occaſione Reliquias præfatas, aut aliquam earum partem â dicta Eccleſia tranſportare, ſeu extrahere, aut aliis Eccleſiis, Monaſteriis aut Locis Piis commodare, ſive, ut exportentur, vel extrahantur, vel removeantur, permittere, aut conſentire audeat, etiamſi animum illas referendi habeat, ſub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ poenis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dictæ Domûs, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis Reliquiarii, ſeu Sacriſtiæ ejuſdem Eccleſiæ, aut in aliquo alio proſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſſit, affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die III. Auguſti MDCXVI. Pontificatûs noſtri Anno duodecimo.

I. Card. S. Suſannæ.

Ex Regeſt. Archivi Secret. Brevium Apoſtolicorum menſ. Auguſti 1616. fol. 147.

NOTA.

Nomina Sanctorum, quorum Reliquias Neapolitanum Sanctuarium complectitur, poſt ea, quæ de Chriſto, & B. Virgine ejus Matre ibi habentur, ordine Alphabetico hîc recenſere digna videtur actio: ad hunc autem ſunt redacta à me ex Documento Authentico, mihi tranſmiſſo.

De Veſte inconſutili Chriſti, de Ligno S. Crucis, & de Cinctura Bmæ Virginis Mariæ.

DE OSSIBUS, SANGUINE &c.

SS. Achillei Mart., Agathæ Virg., & Mart., Alexandri Papæ, & Mart.; Alexii Confeſſoris, Almachii Mart., Andreæ Apoſtoli, Aniceti Papæ, & Mart., Annæ Matris B. V. Mariæ, Antonii Abbatis, Antonii de Padua, Antonini Mart., Apolloniæ Virg., & Mart., Aſpreni Epiſcopi, & Conf. Auguſtini Epiſc., & Eccleſiæ Doctoris, Aureliæ Virg., & Mart.

SS. Barbaræ Virg., & Mart., Bartholomæi Apoſtoli, Baſilii Mart., Baſilidis Mart., Benedicti Abbatis, Bibiani Epiſc., Blaſii Epiſc., Bonaventuræ Epiſc., & Eccleſiæ Doctoris, Bonifacii Mart.

SS. Caii Papæ, & Mart., Calliſti Papæ, & Mart., Candidæ Virg., & Mart., Caſſiani Mart., Catharinæ Virg., & Mart., Catharinæ Senenſis Virg., Celſi Mart., Chriſtophori Mart., Chryſanthi, & Dariæ M. M., Claudii Mart., Clementis Papæ, & Mart., Clementis Mart., Cœleſtini Mart., Conceſſi Mart., Conſtantii Mart., Coſmæ Mart., Cyrini Mart.

SS. Damiani Mart., Deodati Mart., Deodati Abbatis, Dionyſii Epiſc. Mart., Dominici Conf., Donati Epiſc., & Mart., Donatæ Virg. Mart.

SS. Emerentianæ Virg. Mart., Eraſmi Epiſc. Mart., Ermologii Epiſc. Mart., Ermologii Mart., Eugenii Mart., Euphebii Mart., Euſebii Epiſc.

SS. Fabiani Papæ Mart., Fauſti Mart., Felicis in Pincis, Floræ Virg. Mart., Fortunati Epiſc., Franciſci Aſſiſiatis Conf., Franciſci de Paula Conf.

SS. Georgii Mart., Gregorii Papæ Conf.

SS. Helenæ Virg., Hieronymi Conf. Eccleſiæ Doctoris, Hilarii Epiſc., Hilarionis Abb., Hipolyti Mart., Honuphrii Eremitæ.

SS. Jacobi Apoſtoli, Januarii Epiſc. Mart., Ignatii Epiſc. Mart., Joannis Baptiſtæ Præcurſoris Domini, Joachim Mart., Joannis Eremitæ, Innocentium M. M., Julii Mart., Juliani Mart., Juſti Mart., Juſtinæ Virg. Mart., Juſtinæ Virg.

SS. Ladislai Mart., Laurentii Mart., Leonis Papæ Conf., Longini Mart., Luciæ Virg. Mart., Lucillæ Virg. Mart., Ludovici Epiſcopi.

SS. Macarii Mart., Macarii Abbatis, Marcelli Mart., Marcellini Mart., Marci Evangeliſtæ, Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, Margarithæ Virg. Mart., Marthæ Virg. Martini Papæ Mart., Matthæi Apoſtoli. & Evang., Mauri Abbatis, Mauritii Mart., Maximi Mart., Maximi Epiſc., Maximæ Virg. Mart., Modeſti Mart.

SS. Na-

SS. Nazarii Mart., Nemeſii Mart., Neonis Mart., Nicolai à Tolentino Conf., Nominandæ Virg., & Mart.

S. Olympii Martyris.

SS. Pamphili Mart., Pancratii Mart., Panthaleonis Mart., Paridis Epiſc., Pauli Apoſtoli, Pauli primi Eremitæ, Paulini Epiſc. Mart., Paulini Epiſc., Paulinæ Virg. Mart, Petri Apoſtoli, Petri Mart., Petri Conf., Philippi Apoſtoli, Philippi Mart., Placidi Mart., nec non Sociorum ejus, Pomponii Mart., Pontiani Papæ Mart., Proclii *Mart.*

SS. Remigii Epiſcopi, Romiti Confeſſoris.

Sanguis SS. Martyrum, SS. Saturninæ Virg. Mart., Sebaſtiani Mart., Serici Mart., Serviliani Mart., Severini Epiſcopi, Silveſtri Papæ Conf, Sixti Papæ Mart., Sixti Papæ Conf, Stephani Protomart., Stephani Papæ Mart., Stephani Papæ Conf., Suſannæ.

SS. Teclæ Virg. Mart., Timothei Mart., Tranquillini Mart., Triphomenæ Mart.

SS. Valentini Mart., Valerii Mart. Valeriæ Virg. Mart., Valeriani Mart., Victoris Papæ Mart. Victoris Mart., Victorini Mart., Vincentii Mart., Vincentiæ Virg. Mart., Virilis Mart., Viti Mart. Urbani Papæ Mart., Urſulæ Virg. Mart.

S. Zachariæ Prophetæ.

Num. 176.

Prohibet idem ad favorem Eccleſiæ Domûs Amalphitanæ.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi Sacrarum Sanctorum, & Sanctarum Reliquiarum, quæ, ut aſſeritur, in Eccleſia Domûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Civitatis Amalphitanæ aſſervantur, quantùm cum Domino poſſumus benignè conſulere volentes. *Reſiduum uti in Brevi antecedente.*

J. Card. S. Suſannæ.

Ex Regeſto & fol. præd.

NOTA.

TAm ipſas Sacras Reliquias, quàm Earum Evergeten nominant (duriore licèt carmine) duæ marmoreæ tabulæ, muro Eccleſiæ laterali utrique incruſtatæ, in quarum una ſequens legitur inſcriptio:

Petrus ab antiqua Capuanus origine, Amalphis
Clarus poſt Patriæ clarior ecce memor
Cardineus Quinti Martini tempore namque
Bizantum miſſus Nuntius, inde tulit
Reliquias Divûm, quas hic venerare Viator
Nomina quarum alio marmore cuncta leges
Patria poſt nati, & doni non immemor almi
Ornatas publico reddidit ære ſuo
Sub Comite inſigni Beneventi, qui pius atque
Parthenope Prorex, mox vocitata dedit.
Anno CIↃ IↃCVI.

In altera Tabula ſequentia habentur:

Præ omnibus hic devotiſſimè adoretur Sacroſanctæ Crucis Vitale Lignum:
Revereantur B. B. Jacobi Apoſtoli
Baſilii Magni
& Diomedis Mart. Capita
Veneranda
Catharinæ Virg. & Martyris
Maxilla
Philippi Apoſtoli manus
Coſmæ Mart. Brachium
& Zachariæ Prophetæ tria oſſa,
Recolantur Marcus Evangeliſta
Stephanus Protomartyr
Innocentes
Vitus Martyr. & Cajus
Roman. Martyr
Blaſius Epiſcopus & Martyr
Euſtachius Martyr
Piger Martyr
Porphyrius Martyr
Joannes Chryſoſtomus
Theodorus Confeſſor
Maria Magdalena
Urſulæ cruor
& Euphroſina Virgo
ia devotione venerentur

Tempore, quo Eccleſiæ celebre hoc donum factum eſt, erat hæc juris Regularium, quos Sancta Sedes poſtea ſuppreſſit, fuitque primum Nobis anno 1582. conceſſa. Eam cum Archiepiſcopus viſitare prætenderet, juſſus eſt à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium à tentamine deſiſtere per ſequentem Epiſtolam.

Illu-

Illuſtris, & Reverendiſſime Domine uti Frater.

Obſtupuêre Illuſtriſſimi Domini mei à P. Procuratore Generali Ordinis F. F. Capucinorum percipientes, quod Amplitudo Tua eorum Eccleſiam viſitare intendat, & in hunc finem Vicarius Amplit. Tuæ, clavem Sanctuarii, ſeu loci SS. Reliquiarum in illorum Eccleſia aſſervatarum ſibi conſignari ſæpius ab eorum Provinciale popoſcerit, cum, ut Amplit. Tua notum eſt, Regulares ſint exempti, & Epiſcopi eorum Eccleſias, quibus cura animarum annexa non eſt, viſitare nequeant. Hinc Illuſtriſſimi Domini mei Amplit. Tuæ à me ordinari juſſerunt (prout, & vigore præſentium facio) ut ab executione ſuæ intentionis (ſi unquam talem haberet, quod non creditur) deſiſtat &c. Romæ 27. Octobris 1592.

A. T.

Affectuoſiſſimus.

Card. Alexandrinus.

Idem molienti R. P. Priori Montis Caſſini in Eccleſia Fratrum Domûs S. Germani, fuit eodem themate ſcriptum, prout notatum reperitur in Regeſto Secretariæ S. Congr. menſis, & anni prædictorum fol.273.

Domum Virginum, Capucinellarum nuncupatarum, in Monaſterium Monialium Ordinis cum communicatione privilegiorum & ſub gubernio Ordinarii erigi mandat.

A tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitan., ſeu dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcri Apoſtolatûs miniſterio divinâ diſpenſatione præſidentes, ad ea, per quæ piarum Virginum ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulari cupientium votis conſulitur, libenter intendimus, ac in his Officii Noſtri partes favorabiliter interponimus, prout conſpicimus ſalubriter in Domino expedire. Sanè pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Virginum Capucinellarum nuncupat. Domûs Sancti Franciſci Aſſiſien. etiam nuncupatæ Neapolitan. Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſæ, quæ, ut aſſerunt, Habitu per Moniales Capucinas geſtari ſolito veſtiuntur, nullam tamen profeſſionem regularem emittunt, neque clauſuram ſervant, ſtudio perfectioris vitæ ductæ domum prædictam in Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum per Nos, ut infra, erigi ſummopere deſiderant, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſuper præmiſſis, ut infra, opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultûs augmentum, & Sacræ Religionis propagationem ſinceris deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum conſilio, Fraternitati tuæ, Frater Archiepiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie per præſentes committimus & mandamus, ut in prædicta Domo, ſi ſit, vel poſtquam fuerit ad formam Monaſterii reducta, & debita clauſura munita, unum Monaſterium Monialium Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum cum Eccleſia, Campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, cæteriſque officinis, & membris neceſſariis, pro una Prioriſſa, & competenti Monialium numero, quæ inibi juxta Regularia dicti Ordinis Inſtituta ſub illius Regulari Habitu Altiſſimo perpetuò famulentur, diviniſque laudibus inſiſtant, ac aliàs in omnibus, & per omnia adinſtar aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Ordinis, perpetuò ſine alicujus præjudicio, Auctoritate Noſtra Apoſtolica erigas, & inſtituas, illique ſic erecto & inſtituto pro ejus dote ac manutentione, ac illius Prioriſſæ & Monialium, aliarumque perſonarum ſuſtentatione, redditum annuum quadringentorum ſcutorum per eaſdem Virgines ex piorum eleemoſynis, ſeu alias legitimè jam acquiſitum, nec non omnia & ſingula tam mobilia, quàm immobilia bona quomodolibet nuncupata per quoſcumque Chriſtifideles ipſi Monaſterio donanda & aſſignanda, etiam ex nunc, prout ex tunc, poſtquam donata & aſſignata fuerint, ſimili auctoritate applices & appropries; nec non eidem Monaſterio, ac illius pro tempore exiſtentibus Prioriſſæ & Monialibus, Miniſtris & Perſonis, eorumque rebus & bonis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, facultatibus, prærogativis, gratiis, conceſſionibus, & indultis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus alia Monialium dicti Ordinis Monaſteria de jure, uſu, ſtatuto, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & æque principaliter, abſque ulla prorſus differentia, uti, frui, potiri, & gaudere poſſint & valeant, eadem auctoritate concedas, & indulgeas.

Prætera Monaſterium hujuſmodi, illiuſque

que Prioriſſam, Moniales, & perſonas quaſcumque, earumque bona, gubernio, regimini, adminiſtrationi, viſitationi, correctioni, ſuperioritati, & obedientiæ tuis & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Neapolitan. ſimiliter, & perpetuò ſubmittas, & ſubjicias, ſuper quibus omnibus plenam & liberam, & amplam facultatem, eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Monaſteriorum prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Aprilis MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Regeſto Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd.

Ex Sacriſtiis & Bibliothecis utriuſque Domûs Civitatis Sveſſæ Calices &c. aut reſpectivè libros extrahi prohibet.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

JUſtis & honeſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Fratrum Guardianorum, & Fratrum Domorum Regularium Sanctæ Mariæ Spiritus Sancti, & ejuſdem S. Mariæ Regina-Cœli nuncupat. Sveſſan. Dioec. Ordinis Capucinorum nuncupat. petitio continebat, quod Domus prædictæ nonnulla mobilia, tam ad uſum Sacriſtiæ, quàm Bibliothecæ habeant, & illorum mutuatione in dies non modicum detrimentum patiantur. Quare pro parte Guardianorum, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quod in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Guardianos & Fratres prædictos, ac Domorum prædictarum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne deinceps perpetuò futuris temporibus Cruces, Calices, Reliquias, Imagines, Vota, Veſtes, ſeu quævis alia paramenta, & ornamenta ad Sacriſtiam prædictarum Domorum pertinentia: nec non Libros cujuſcunque Profeſſionis, & quælibet alia monumenta, ſive impreſſa, ſive manuſcripta quocunque nomine nuncupata, & ad Bibliothecam prædictarum Domorum quomodolibet ſpectantia, ex eiſdem Domibus aliò tranſportari, aut quibuſvis perſonis commodari, ſeu mutuò dari, aut alio quoquo modo, aut ex quacunque cauſa, niſi de licentia Guardianorum prædictarum Domorum, pro tempore exiſtentium, mutuari poſſint & debeant, Apoſtolica auctoritate perpetuò ſtatuimus, & ordinamus.

Et inſuper omnibus & ſingulis Perſonis cujuſcunque ſtatûs, gradûs, & conditionis exiſtentibus, ne ſub quoruncunque Officiorum per eos obtentorum privationis, inhabilitatiſque ad illa, atque impoſterum obtinendorum, & excommunicationis (non tamen latæ ſententiæ) pœnis, à quibus non niſi facta reali reſtitutione rei ablatæ, & præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi queant, ornamenta, & alia quæcunque prædicta ex dictis Domibus, aut earum aliqua extrahere, aut aliò tranſportare, ſeu mutuò concedere, vel, ut extrahantur, tranſportentur, ſeu concedantur, conſentire audeant, vel præſumant, eadem auctoritate diſtrictiùs inhibemus: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictarum Domuum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentium exemplar ſeu tranſumptum authenticum in Sacriſtia & Bibliotheca ſimiliter prædictarum Domuum Regularium affigatur, & ibi affixum perpetuò remaneat, quodque præſentes Literæ ſemel quolibet menſe in pleno Capitulo publicè, clarè, & intelligibili voce legi debeant, ad hoc, ut illarum tenoris tam Sacriſtæ, quàm alii Fratres earumdem Domorum pro tempore exiſtentes plenam notitiam habeant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtræ Abſolutionis, Statuti, & Ordinis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurnm.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Bulla formata in Archivo Domûs Aracœli Civit. Sveſſæ, de quo exemplar auth. in Archiv. Generali Ord. Arm. Provincia Neapolitana.

N O-

N O T A.

IN beneficium unius ex prælibatis Conventibus, videlicet illius à Sancta Maria Reginâ Cœli nuncupati, fuit legati pii permutatio petita, & conceſſa, ut ſequitur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Provincialis F. F. Capucinorum Provinciæ Neapolitanæ Eminentiis Veſtris humiliter exponit, qualiter Fr. Alexander à Sveſſa Laicus Profeſſus Capucinus, in ſæculo Hyacinthus à Pippo nuncupatus in ſuo teſtamento Conventui novo Capucinorum Sveſſæ, à S. Maria Regina Cœli nuncupato legavit 100. *Ducatos monetæ Neapolitanæ, quatenus ex iis in Fratrum commodum petium terræ, ante dicti loci Eccleſiam ſitum emeretur. Cum autem locus maximè indigeat reparatione fabricæ horti interioris, præfatus Provincialis Eminentiis Veſtris humillimè ſupplicat pro facultate pecunias prædictas, ad majus commodum Fratrum, qui ob muri defectum fructibus horti gaudere nequeunt, applicandi. Quam &c.*

Die 27. *Januarii* 1632. *Sanctiſſimus Dominus Noſter ex Sententia S. Congr. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, attentis narratis benignè annuit, ut prædicta* 100. *Ducata monetæ Regni erogentur in neceſſariam fabricam in interiore viridario faciendam.*

R. *Card. Vbaldinus.*

A. Paulutius Secret.

Ex Regeſto Secretariæ Congregationis prædictæ.

D E C R E T O

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

In Decreto de nominibus, & deſiderio eorum, qui ad S. Ordines promoveri volunt, in Eccleſia à Parocho proponendis, ac de eorum natalibus & moribus inquirendis, nec Fratres noſtros Regni Neapolitani, nec alios Regulares comprehendi declaratur.

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini.

DOminationes Veſtræ Illuſtriſſimæ dignis quibuſdam reſpectibus adductæ, ſub Decimo Kalend. Julii 1623. de ſpeciali ordine felicis rec. Gregorii Papæ XV. præceperunt omnibus & ſingulis Regni Neapolitani Archiepiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque Inferioribus legitimam facultatem habentibus, ut, antequam ad primam Tonſuram, ſive ad Minores Ordines aliquem promoverent, Parocho, ſeu alteri, cui magis expedire videretur, committerent, ut nominibus, & deſiderio eorum, qui vellent promoveri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquireret, & Litteras teſtimoniales, ipſam Inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Committentem quamprimùm tranſmitteret; Idemque etiam obſervarent in Literis dimiſſoriis concedendis, exprimentes in eiſdem præfatas diligentias præceſſiſſe, eaſdemque Literas dimiſſoriales uni tantùm, & certo Ordinario ſibi magis bene viſo dirigerent.

Quæritur nunc, an præfato Decreto comprehendantur Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucini nuncupati in dicto Regno Neapolitano pro tempore de familia commorantes?

Sacra Congregatio Cardinalium negociis Regularium præpoſita cenſuit Decretum, ut ſupra editum, ad Capucinos, alioſve Regulares non pertinere. Romæ die 27. *Julii* 1626.

Laud. Card. S. Sixti.

P. Fagnanus Sec.

Ex Regeſto Secret. Cong. & anni præd.

N O T A.

Ordo Sacræ Congregationis, quem ante-poſitum Decretum allegat, fuit tenoris ſequentis:

SAcra Congregatio Cardinalium negotiis Juriſdictionalibus Regni Neapolitani Præpoſitorum juſtis, gravibuſque adducta cauſis, de Sanctiſſimi Domini Noſtri Gregorii XV. ſpeciali ordine, vivæ vocis oraculo deſuper habito, expreſsè præcipit, & mandat omnibus, & ſingulis ejuſdem Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & aliis inferioribus, legitimam facultatem habentibus, ut, antequam ad primam tonſuram,

ram, ſive ad minores Ordines aliquem promoveant, Parocho, ſeu alteri, cui magis expedire videbitur, committant, ut nominibus, & deſiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Committentem quamprimum tranſmittat, ad hoc, ut tam ex his, quàm ex aliis ex Sacri Concilii Tridentini præſcripto in cap. 7. ſeſſ. 23. de reform. adhibendis diligentiis ſibi conſtet, promovendos illis eſſe qualitatibus præditos, quæ per Sacros Canones, idemque Concilium requiruntur. Quod & obſervent in litteris dimiſſoriis concedendis, in quibus exprimatur præfatas diligentias præceſſiſſe. Dictæ autem litteræ dimiſſoriæ uni tantùm, & certo Ordinario ad electionem concedentis in poſterum dirigantur, & pluribus directæ ſint nullæ; Prædictaque vult inviolabiliter obſervari, donec aliud fuerit ordinatum. Si quis verò contra formam præſentis Decreti fuerit ad primam tonſuram, ſive ad minores Ordines promotus, ab executione collati, & à ſuſceptione Superioris Ordinis perpetuò ſuſpenſus ſit, & ulterius condignis pœnis puniatur, Ordinans verò, vel dimiſſorias concedens, ultra divinam ultionem, quam incurret, à collatione Ordinum per annum ſuſpenſus ſit eo ipſo. Præterea iiſdem Ordinariis enixè injungit, ut Decreta per Sacros Canones, Sacrumque Concilium Tridentinum, & Apoſtolicas Conſtitutiones quoad delationem Clericalis Habitûs, & tonſuræ, ſervitiumque Eccleſiæ præſtandum ita curent per hujuſmodi Clericos obſervari, & in eos, qui contrafecerint, ſtatutis per ea pœnis animadvertere, ut ipſi nequeant de damnabili circa hæc negligentia redargui. Romæ 10. Kal. Julii 1623.

Oct. Card. Bandinus.

Laur. Campegius Secret.

Libros à Joan. Baptiſta Centurione Bibliothecæ Domûs Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ relictos, & uſui Fratrum, ac Ordini non competentes permutari concedit, ac alios factâ commutatione extrahi &c. Apoſtolicis pœnis cavet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

JUſta petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque, ſicut Nobis exponi fecerunt dilecti filii Guardianus, & Fratres Domûs Regularis Conceptionis B. M. V. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Neapolitan. aliàs à quondam Joanne Baptiſta Centurione incola, dum vixit Neapolitan. teſtamentaria ſua nuncupatione ſeu diſpoſitione Bibliotheca ipſius variis, ac multis libris, & voluminibus referta, prædictæ Domui donata, & relicta fuerit, volente ipſo Teſtatore, quòd præfati Exponentes dilecto filio Antonio Clarelli Neapolitano libros, quos ipſe ſibi elegiſſet, concedere deberent ſub caducitatis, & devolutionis pæna, & aliàs, prout in inſtrumento, ſeu ſcripturis publicis deſuper confectis plenius contineri dicitur: in dicta verò bibliotheca, quamplures libri dicto Ordini minimè convenientes, & neceſſarii, ſeu pro aliis rebus, à dicto Ordine prorſus alienis ſcripta volumina comperiantur, unde dicti Exponentes illos, & illa tanquam prædictæ Domui inutiles, & inutilia cum aliis uſui, & commodo ejuſdem Domûs convenientibus, & inſerendis, de conſenſu dicti Antonii commutare decreverint, ſi eis ad id Noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur, & facultas. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, nec non Guardianum, & Domûs Regularis hujuſmodi ſingulas perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, porrectis Nobis pro eorum parte ſuper hoc ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, ut mediante Syndici Apoſtolici, ſeu alterius ad id legittimè deputandi perſonâ quoſcumque, & qualiacumque libros, & volumina, qui, & quæ prædictum Ordinem non decentes, & decentia, ſeu præfatæ Domui inconvenientes, & inutiles, ſeu inconvenientia, & inutilia eſſe, & fore comperti, & comperta fuerint, è dicta Bibliotheca extrahendi, illoſque, & illa ſic extractos, & extracta cum aliis portionabiliter, & pretio æquivalentibus, præfatæque Domui condecentibus, & utilibus libris, ſeu voluminibus cum quibuſvis perſonis, etiam Eccleſiaſticis, de conſenſu dicti Antonii commutandi, licentiam, & facultatem Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur: & inſuper factâ commutatione librorum hujuſmodi, pro illorum perpetua in dicta Domo conſervatione, tam Superioribus dictæ Domûs Regularis, quàm omnibus aliis, & ſingulis illius Religionis, & Novitiis, & nondum profeſſis, ne de cætero perpetuis futuris temporibus, præterquam de mandato, vel conſenſu Provincialis dicti Ordinis, vel Guardiani prædictæ Domus, pro tempore exiſten-

ſtentium tantùm,libros alios,aut ſcripturas ex Bibliotheca hujuſmodi, ſeu Archivo dictæ Domus Regularis ſub excommunicationis pæna incurrenda, à qua, præterquam in mortis articulo, niſi à ſummo Pontifice pro tempore exiſtente abſolvi queant, extrahere, amovere, aut alicui tradere, ſeu commodare, quàm prædicto Antonio audeant, ſeu præſumant, diſtrictiùs inibemus, ipſoſque libros, & alias quaſcunque ſcripturas in Bibliotheca hujuſmodi, ſeu Archivo dictæ Domus perpetuò conſervari debere; irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quocumque, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus voluntate dicti Teſtatoris, quatenus in aliquo obſtet, & Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs Regularis, & Ordinis hujuſmodi,etiam juramento,Confirmatione Apoſtolica, & quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, & Apoſtolica Auctoritate decernimus, quod præſentes, ſaltem ſemel in anno in dicta Domo publicentur, & illarum copia, ac exemplar authenticum ad hoc, ut ad omnium notitiam pervenire poſſint, in ipſius Bibliothecæ, ſeu Archivi porta remaneant affixa.

Datum in Arce Gandulfi Albanenſis Dioeceſis ſub Annulo Piſcat. die XI. Maii MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

F. Uſimbardus.

Exempl. in Arch. Generali Ordinis Armario Provincia Neapolitana.

Onus Legati Pii, à Fr. Bonaventura Ciampolillo, ante Religionis ingreſſum pro dotandis in Terra Zuncoli decem Puellis relicti, in favorem Fratris Germani, & hæredis, in paupertatem redacti remittit, & tres dotes duabus ejus Filiabus applicari indulget.

A tergo. *Dilecto Filio Petro Ludovico Ciampolillo Sveſſan. ſeu alterius Diœceſis.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio,Nos inducunt, ut Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Bonaventura Ciampolillus,frater tuusGermanus, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, quod ipſe, antequam in dicto Ordine profeſſionem Regularem emitteret, teſtamentum fecit, in eoque Te ſuum hæredem univerſalem inſtituit cum onere decem pauperes Puellas Terræ Zuncoli Sveſſan. Dioec. nubere volentes, cum interventu Archipresbyteri Parochialis, ſeu alterius Eccleſiæ dictæ Terræ dotandi, & earum ſingulis pro dote hujuſmodi triginta ducatos illarum partium dandi. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Tu ad extremam neceſſitatem redactus ſis, & duas Natas nubiles habeas, ſeptem autem pauperes Puellæ, juxta formam dicti teſtamenti dotatæ fuerint, dictus Bonaventura reliquas tres dotes, quæ pauperibus Puellis, juxta dictum teſtamentum, per Te dandæ eſſent, duabus Natis tuis prædictis per Te applicari poſſe, Tibique per Nos idcirco, ut infra, indulgeri ſummopere deſideret. Nos Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Bonaventuræ ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, quòd reliquas tres hujuſmodi dotes, quas tribus Puellis pauperibus dictæ Terræ nubere volentibus, juxta formam dicti teſtamenti, cum interventu dicti Archipresbyteri dare teneris,duabus Natis tuis prædictis, etiam abſque dicti Archipresbyteri interventu, vel conſenſu, in dotem, vel dotis ſubſidium aſſignare, & applicare liberè, & licitè poſſis, & valeas, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes Te, aut dictas Natas tuas, aut quoſvis alios deſuper à dicto Archipresbytero, ſeu quovis alio quomodolibet indebitè moleſtari nullatenus poſſe; Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios,& Delegatos,etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & deffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus dicto Teſtamento, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Januarii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Menſe & Anno prædictis fol. 83.

In

In Oratorio privato Domûs Villæ Joſephi Capelli, Fratribus ibi hoſpitantibus Miſſam celebrandi facultatem largitur, non obſtante clauſula de una Miſſa dumtaxat quotidie celebranda.

A tergo. *Dilecto Filio Joſepho Capello Neapolitano Juris Utriuſque Doctori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Aliàs Supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut in privato Domûs cujuſdam tuæ Villæ in Diœc. Neapolitan. ſitæ Oratorio ad hoc decenter muro extructo & ornato, ſeu extruendo & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitando & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura unam Miſſam pro unoquoque die, in tua ac Familiæ tuæ præſentia celebrari facere liberè & licitè poſſes & valeres, ſub certis modo & forma tunc expreſſis, Apoſtolica authoritate conceſſimus, & indulſimus, ac aliàs, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, fuſiùs continetur.

Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Dilecti Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ad eandem Villam occaſione itineris divertunt, ibique hoſpitantur, & propterea eiſdem Capucinis, etiam per Nos, ut infra, indulgeri ſummopere desideres. Nos eoſdem Fratres Capucinos in dicta Villa occaſione itineris pro tempore hoſpitantes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus Tuo nomine Nobis iterum ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eiſdem Fratribus Capucinis Sacerdotibus in eadem Villa pro tempore hoſpitantibus, ut præfertur, ut in eodem Oratorio Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare liberè & licitè poſſint, & valeant, ſervatâ aliàs in omnibus & per omnia dictarum litterarum formâ, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus & indulgemus: non obſtantibus omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXXI. Octobris MDCXXXIV. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

M. A. Maraldus.

Breve formatum in Arch. Domûs Neapolit.

N O T A.

Durant adhuc & Oratorium, & privilegium, locuſque Capuam reſpiciens, & duobus milliaribus incirca à Metropoli Neapolit. diſſitus *Secondigliano* Vernaculâ vocitatur linguâ, ubi Joſephus Capellus propenſum ſuum erga Ordinem noſtrum affectum Sequenti Monumento & Inſcriptione ſignavit:

D. O. M.

Præſens Sacellum in Veteri hoc Capucinorum Hoſpitio extructum, in quo ejusdem Ordinis tantummodo Sacerdotes, ſingulis quibuſque diebus Miſſas celebrare, reliqui verò (diebus minimè exceptis) unicum Sacrum ex perpetua conceſſione Sanctiſsimi D. N. Urbani PP. VIII. peragere queunt, Joſephus Capellus V. J. D. pietatis ac devotionis Studio in Seraphicam Capucinorum Religionem, cujus patrocinio ſicuti ſemper commendati fuêre Parentes, ita ſe ſuoſque commendans fieri, & inſcribi curavit Anno Domini MDCXXXIV.

Fr. Ber-

Fr. Bernardum à Neapoli, pro expeditiore prædicationis ſtudio ab Officiis Religionis eximit.

A tergo. *Dilecto Filio Bernardo de Neapoli Ord. Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, Sacrarum Literarum ſcientia, aliaque inſignia virtutum dona, quibus Te à Domino inſignitum eſſe accepimus, Nos inducunt, ut Te præcipuo paternæ charitatis affectu libenter complectamur. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti, quod Tu, qui, ut aſſeris, Ordinem Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum expreſsè profeſſus es, ut ſtudio prædicationis Verbi Dei, ad quod naturaliter inclinatus exiſtis; & in cujus exercitio Te cum Divini Cultûs incremento, & Ordinis tui prædicti decore verſaturum ſperas, attentiùs vacare poſſis, apud Ven. Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales negociis Regularium præpoſitos pro obtinenda à cujuſvis generis muneribus, officiis, dignitatibus, & præeminentiis dicti Ordinis exemptione inſtitiſti: qui quidem Venerabiles Fratres Noſtri exemptionem à Te petitam hujuſmodi Tibi concedendam eſſe cenſuerunt arbitrio Generalis Ordinis prædicti, qui dicta de cauſa pro ſua prudentia, & prout in Domino magis expedire arbitraretur, petitioni prædictæ ſatisfaciat, dictus autem Generalis attento eorundem Venerabilium Fratrum Decreto hujuſmodi petitioni Tuæ prædictæ annuit, prout in dicto Decreto ſub die 17. Julii, & aſſenſu dicti Generalis in vim Decreti hujuſmodi die 8. Auguſti anni 1637. reſpective emanatis, pleniùs dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Tu pro firmiori Decreti, & Aſſensûs prædictorum obſervantia, illa Apoſtolicæ noſtræ confirmationis munimine roborari ſummopere deſideres; Nos Te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine &c. inclinati, Decretum dictorum Venerabilium Fratrum noſtrorum, & aſſenſum dicti Generalis prædicta Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, ejuſque Superioribus, & aliis quibuſvis in contrarium &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum omnium tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Auguſti Anno MDCXXXVII. Pontificatus Noſtri Anno Decimoquiuto.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secretariæ Brevium Apoſtolicorum menſ. & anni præd. fol. 12.

N O T A.

Prælibatum P. Bernardum Nobiliſſimæ Philomarinæ Gentis germen, & Eminentiſſimi Cardinalis Aſcanii Archiepiſcopi Neapolitani &c., nec non P. noſtri Franciſci Mariæ, Provinciæ Neapolitanæ ternâ vice Provincialis, Examinatoris Synodalis, Sac. Inquiſitionis Conſultoris Decani &c. Fratrem Germanum fuiſſe reperio. Ingenito ſtudendi animo, comparavit ſibi doctrinam ſolidam, cui virtutem ſociali junxit fœdere. Officia Provinciæ ne prædicationis Zelum diſtraherent, per Breve ſuperius ab iis eximi petiit: gratiâ diu gaudere non potuit, cum mors illum & à miſeriis vitæ humanæ anno 1640. exemerit.

Ex M. S. Provinciæ.

Pro amplianda Domo Loci Montis Fuſcoli petium terræ, ad Confraternitatem SS. Roſarii ibi ſpectans alienari, & alio æquivalente compenſari concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Beneventano, ſeu dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, ac Archidiacono Eccleſiæ Beneventanæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Franciſcus Antonius Vico, Protector Fabricæ novi Conventûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum loci Montis Fuſcoli, quod ipſe pro ampliando dicto Conventu quodam terræ petio illi contiguo capacitatis trium Maggiorum circiter, menſuræ illarum partium, & ad Confraternitatem SS. Roſarii, in dicto loco canonicè erectam, legitimè ſpectante, valoris in proprietate quinquaginta circiter, annui verò redditus trium ducatorum monetę illarum partiũ, indiget, & ejus loco aliud terrę petium, à primodicto terræ petio non longe diſtans, eorumdem valoris in proprietate & redditus, Confraternitati prædictæ aſſignare intendit, ſi noſtra, & Apoſtolicæ Sedis licentia ei ſuffragetur, & facultas. Quare dictus Franciſcus Antonius, & dilecti filii Officiales, & Confratres dictæ Confraternitatis aſſerentes, permutationem prædictam, ſi fiat, in evidentem Conventûs, & Confraternitatis prædictorum ceſſuram eſſe utilitatem, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut deſuper opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus &c. volentes & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Archiepiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, ac Archidiacone, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi & poſtquam, vocatis qui fuerint evocandi, ac dictis terræ petiis, illorumque circumſtantiis univerſis prius coram vobis ſpecificatis, de permutatione prædicta, quodque illa ſi fiat, in evidentem Conventûs, & Confraternitatis prædictorum ceſſura ſit utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, Franciſco Antonio, ac Officialibus, & Confratribus prædictis permutationem prædictam, ut ſupra, faciendi licentiam, Auctoritate Noſtra Apoſtolica concedatis. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Confraternitatis hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die VIII. Aprilis MDCXLIII. Pontificatus noſtri Anno vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secret. Brevium Apoſt. menſe, & anno prædictis fol. 113.

N O T A.

INter Fratres noſtros hujus Conventûs, & RR. PP. Conventuales longior olim fuit circa proceſſionem, & Statuam S. Antonii in noſtro Habitu circumferendam diſſenſio, quam tandem ſequens Sacræ Congregationis diremit Decretum.

Beneventana.

Sacra Rituum Congregatio ad componendas controverſias ortas inter Fratres Min. Conventual. Ordinis S. Franciſci Terræ Montis Fuſculi Benevent. Diœc. ex una — & Fratres Capucinos ejuſdem loci ex altera — partibus ſuper jure faciendi ſolemnem Proceſſionem S. Antonii de Padua eodem die feſto ejuſdem, & deferendi illius ſimulacrum in eorum Habitu, utrâque parte hinc inde informante cenſuit, Proceſſionem eſſe faciendam per alteros in die Feſtivitatis, & per alteros in Dominica infra octavam; Et primos in poſſeſſione faciendi dictam Proceſſionem eſſe manutenendos, & ita declaravit, & ſervari mandavit hac die 17. *Junii* 1673.

F. Epiſcopus Portuen. Cardinalis Brancatius.

Bernard. Caſalius S. R. C. Secret.

Cit. Script. impreſ. in cauſa Neo-Caſtren.

Domum

Litteras ſuas, quibus concordiam PP. Servitas inter- & Moniales Neapolî circa hæreditatem Juſtinianæ de Sangro & Joannæ ejus Filiæ initam approbavit, confirmat, dictamque concordiam non obſtante expoſitionis alteratione executioni mandari, Archiepiſcopo ibi committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitano.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs à Nobis emanârunt in ſimili forma Brevis infraſcriptæ litteræ, Tibi directæ tenoris ſequentis, videlicet: *A tergo*: Venerabili Fratri Archiepiſcopo Neapolitan. *Intus verò*: Innocentius Papa X. Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium Monaſterii S. Franciſci Capucinarum nuncupatarum, ac dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Domûs Regularis Sanctæ Mariæ *Mater Dei* nuncupatæ Neapolitan. Nobis expoſitum fuit, quod aliàs quondam Juſtiniana de Sangro in ſuo ultimo, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento in eventum, in quem quondam Joanna ejus Nata & heres ſine liberis è vita migraret, Monaſterium prædictum in rebus & bonis ſibi à Deo collatis eidem Joannæ ſubſtituit; & inſuper etiam ſcuta quingenta quondã Zenobiæ Mammanæ ejuſdem Joannæ Natæ poſt illius obitum eidem Zenobiæ perſolvenda legavit; necnon etiam in ipſis ſcutis quingentis Monaſterium prædictum ſubſtituit: & quoniam eadem Joanna in morte ſua quondam Marium de Majo ejus ſecundum virum bonorum ſuorum uſufructuarium, dictam verò Domum Regularem proprietariam hæredes inſtituit, excitatis deſuper in Conſilio Neapolitano inter ipſas partes variis litibus, & controverſiis, pro illis terminandis, ultra concordiam, quam ipſæ Moniales cum eodem Mario injerunt, inter eaſdem Moniales, & Fratres Servitas prædictos concordatum fuit, quod ex bonis hæreditariis dictæ Joannæ ad ſummam mille & ducentorum ſexaginta duorum ſcutorum aſcendentibus ipſæ Moniales, & earum Monaſterium prædictum, tamquam ejuſdem Joannæ hæredes ſubſtitutæ, ſeptingenta ſexaginta duo, prædicti verò Fratres Servitæ, uti hæredes proprietarii dictæ Joannæ ratione dotium, aliorumque jurium ad ipſam Joannam ſuper hæreditate ejuſdem Juſtinianæ ſpectantium ſcuta quingenta reſpective cum eorum annuis redditibus habeant; & inſuper conventum fuit, quod, ſi contingat aliquas res & bona hæreditaria dictæ Joannæ, quæ ad ipſum Marium, & quondam Dianam Buonhomo ejus ſecundodictam uxorem, & heredem deveniſſent, recuperari, ex rebus & bonis recuperatis, adimpletis oneribus hæreditariis, reſiduum inter ipſas Moniales, & Fratres Servitas prædictos, ſupportatis in communi expenſis dividi debeat.

Cum autem firmiora ſint ea, quæ Sedis Apoſtolicæ munimine roborantur, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt Exponentes prædicti, ut concordiam hujuſmodi confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eaſdem Moniales & Fratres hujuſmodi ſpecial. favoribus, & gratiis proſequi volentes, & illorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati Tuæ per preſentes committimus, & mandamus, ut conſtito Tibi de narratis, concordiam hujuſmodi, ac deſuper confecta, ſi quæ ſint, ſeu conficienda Inſtrumenta, ſeu ſcripturas cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, licitis tamen & honeſtis, Auctoritate noſtra Apoſtolica confirmes & approbes, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, ac omnes & ſingulos tam juris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſuppleas. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis; aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. xx. Maii MDCLIII. Pontificatus noſtri Anno nono.

Cum autem, ſicut pro parte eorumdem Prioris, & Fratrum, ac Monialium Nobis denuo expoſitum fuit, in prædictis noſtris litteris ſeries dictæ Concordiæ nonnulla in parte aliter, quàm facta fuit, narretur, cum per eamdem Concordiam conventum fuerit, quod Moniales prædictæ eiſdem Priori & Fratribus ducatos trecentos monetæ Regni Neapolis ex ducatis mille trecentis & duodecim ſimilibus recuperandis è rebus & effectibus quondam Cæſaris Caraccioli, cum rata fructuum, tertiarum, aut redditus decurrendorum ad favorem, & commodum dictæ Domûs Regularis, prædictorum trecentorum ducatorum hujuſmodi cedere debeant, cum hoc, ut, ſi totum capitale dictorũ mille trecentorum, & duodecim ducatorum non recuperetur, quælibet ex ipſis partibus pro

pro rata ſua, jacturam earum rerum, quæ recuperari non poterunt, ac etiam fructuum, tertiarum, aut redditus hujuſmodi decurrendorum à die celebrati ſuper ipſa Concordia publici Inſtrumenti facere debeat, cum expreſſa etiam conditione, quod, ſi omnes & ſinguli fructus, aut tertiæ dicti Capitalis decurſi, & decurrendi uſque ad diem celebrationis Inſtrumenti hujuſmodi minimè recuperentur; iidem Prior & Fratres ex eis ducentos ducatos dumtaxat, ſi verò non omnes & ſinguli dicti fructus aut tertiæ dicti Capitalis prædictorum mille trecentorum & duodecim ducatorum hujuſmodi, ſed illorum tantùm pars recuperentur, ratam portionem recuperatorum habere debeant proportionabiliter ad dictos ducentos ducatos, ac ſi omnes & ſinguli fructus, & tertiæ decurſi & decurrendi præfati recuperentur, ut præfertur: nec non, quod deductis expenſis communiter faciendis, & oneribus hæreditatis dictæ Joannæ totum id, quod à dicto Mario, & ab aliis ab eo cauſam habentibus recuperabitur, nec non etiam quamcumque pecuniarum ſummam, aut quodvis aliud, quod recuperari contigerit à Domo Annunciationis B. M. Virginis Neapolit. in computum creditorum & actionum, ad ipſas Juſtinianam, & Joannam ſpectantium, ſeſe inter ſe æqualiter diviſuros, cum expreſſa pariter conditione, quod ipſe Prior & Fratres aliud quidquam ex quacumque cauſa ſibi competente ab ipſis Monialibus occaſione hæreditatum earumdem Juſtinianæ & Joannæ, aut aliorum vigore dictæ ſubſtitutionis, aut inſtitutionis ab eadem Joanna, ut præmittitur, factæ nullatenus prætendere poſſint. Nobis propterea iidem Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut conſtito Tibi, quod Concordia in præſentibus literis, ut ſupra narrata, utrique parti Exponentium prædictorum pro ſedandis inter ipſos litibus, & diſcordiis utilis ſit, & proficua, ad præinſertarum literarum executionem, ſervatâ aliàs illarum formâ procedas, perinde ac ſi ſupranarrata ſeries dictæ Concordiæ in illis diſtinctè expreſſa fuiſſet. Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ in eiſdem præinſertis literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumq; Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris x. Januarii MDCLIV. Pontificatus noſtri Anno x.

G. Gualterius.

Ex Reg. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 715.

Domum & Hortum libertati Domûs Fratrum Surrenti officientem emi; à cenſu annuo, Capitulo Eccleſiæ Surrentinæ debito, præſtatione juſti pretii eximi; ac pretium in emptionem bonorum ſtabilium fructiferorum ad favorem Menſæ Capitularis converti, concedit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Surrentino.

ALEXANDER PAPA VII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Conventûs Surrentini Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. quod, cum ipſi quamdam domunculam, & hortum adjacentem, qui à Dilecto Filio Lazaro de Angelis poſſidebantur, & dicti Conventûs libertati officiebant, eidem Conventui incorporaverint, domuncula verò & hortus hujuſmodi annuo cenſu vigintiquatuor caroleorum monetæ Regni Neapoletan. dilectis Filiis Capitulo & Canonicis iſtius Eccleſiæ Surrentinæ debito gravati reperiantur; quidam Benefactor dicti Ordinis domunculam & hortos prædictos ab annuo cenſu hujuſmodi mediante præſtatione juſti pretii, quod in emptionem tot bonorum ſtabilium ſecurorum & fructiferorum ad favorem Menſæ Capitularis eorumdem Capituli, & Canonicorum converti debeat, liberare plurimùm deſiderat. Nobis propterea tam Exponentes, quàm Capitulum & Canonici prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Exponentes, ac Capitulum & Canonicos ſpecialibus &c. volen. & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenùs conſtito Tibi de narratis, memoratis Capitulo & Canonicis, ut ipſi domum & hortum prædictos à dicto cenſu annuo mediante juſto illius pretio eis, ut præfertur, præſtando in perpetuum liberare, & eximere, ipſumque pretium in emptionem tot bonorum ſtabilium ſecurorum, & fructiferorum ad favorem dictæ Menſæ Capitularis, & non in alios uſus integrè convertere, & erogare liberè, & licitè poſſint & valeant, licentiam & facultatem, authoritate noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtantibus fel. record. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus

bus Eccleſiæ non alienandis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non, quatenus opus ſit, dictæ Eccleſiæ Surrentinæ, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut liberatio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem pretium ipſum penes Montem Pietatis, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi & erogandi. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcat. die XXVI. Februarii MDCLXVII. Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

S. Corinthien.

Ex Regeſt. Secret. Brevium Apoſtolicorum Menſe & Anno præd. fol.25.

DECRETO

Sacrorum Rituum Congregationis.

Decretum de non exponenda Statua, ſeu Simulachro S. Antonii Patavini in Habitu Capucino pro —& in ſola Metropolitana Civitatis Neapolis intelligi debere declaratur.

Romana, ſeu Neapolitana.

Cum Sacror. Rituum Congregatio die 29. Novembris 1667. declaraverit, Statuam, & Simulachrum S. Antonii de Padua eſſe exponendam in Sacrario, & Eccleſia Metropolitana Neapolit. in Habitu Conventualium, & nullo modo in Habitu Capucinorum in eadem Eccleſia, prout in dicto Decreto &c. Et quod poſtea Fratres Conventuales iſtud Typis mandaverint Romæ, Venetiarum, Brixiæ, Mediolani, & Novariæ cum hujuſmodi Intitulatione *Decretum Sac. Congregationis ſuper Simulacrum Divi Antonii Patavini, ne ipſum ullo modo in Habitu Capucinorum exponatur, ſed tantummodo in Habitu Minorum S. Franciſci Conventualium*; Et proinde exponentibus Capucinis varia exinde oriri diſcrimina, cum à nonnullis interpretetur non in ſola Metropolitana Neapolitana, ſed ubique locorum. Eadem Sacra Congregatio ad illa removenda, & ad majorem cautelam, & ſatisfactionem declaravit emanaſſe, & intelligi pro — & in ſola Metropolitana Civitatis Neapolis. Hac die 21. Julii 1668.

Ex Reg. Secret. Cong. menſ. & anni præd. f.63.

NOTA

Et, quæ fuſè in hac cauſa acta fuère, vide Tom. I fol. 115.

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular.

Erectio Hoſpitii in loco Puteoli conceditur.

In Cauſa Puteolana Hoſpitii vertente inter PP. Capucinos ex una — & PP. Ordinis Prædicatorum altera — Partibus.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, Partibus citatis, referente Eminentiſſimo Baſſadonio, cenſuit prædictis Patribus Capucinis concedendum eſſe hujuſmodi Hoſpitium, ſervatâ tamen formâ Hoſpitii, & non aliàs, prout præſentis Decreti tenore benignè conceſſit &c.

Romæ 13. *Maii* 1678.

NOTA.

Hoſpitium prædictum Clauſuræ formali ſubiici, petitum, & conceſſum eſt per ſequentia.

Beatiſſime Pater.

Ad pedes Sanctitatis Veſtræ proſtratus Provincialis Capucin. Provinciæ Neapolitanæ humiliter exponit, quod, cum Conventus Puteolanus tempore æſtivo ob locum bituminoſum, Solfatara *nuncupatum, cui dictus Conventus adjacet, inhabitari nequeat, Hoſpitium in loco ſalubriore fabricare conſultum ductum, & etiam executioni datum fuerit. In hoc per plures æſtatis menſes omnes dicti Conventûs Fratres numero* 16. *morantur, diu noctuque in choro officiantes, & regularem diſciplinam ad normam aliorum Conventuum obſervantes, ſolùmque ob oppoſitionem Patrum Ordinis Prædicatorum in parvo Conventu numero quatuor haud procul degentium oppoſitionem, deeſt Eccleſia publica. Cum autem prædictum Hoſpitium in loco amœno ad oras maris ſituatum reperiatur, crebrius Nobilitas Neapolitana unius, & alterius ſexûs, & ad hujus exemplum etiam Perſonæ civiles, & ordinariæ ad id libero ingreſſu confluunt, ſeſe recreantes, & aliquoties de prandio, & cœna inibi ſumptis non contenti, ad cantus, & ſaltus pro-*

cedentes, eo Fratrum incommodo, & periculo, quod hujuſmodi libertas conjunctum habet. Seria quidem, & iterata, Mulieres ibi non admittendi à Superioribus facta ſunt monita; qualitas autem Perſonarum concurrentium diſrupit poſita repagula, dumque Hæ Fratrum præceptis ſe non teneri allegabant, frivolo hoc prætextu Fratres modicam animi ſui firmitatem excusârunt, vel convenientiam diſſimulandi exceſſus cooperuerunt. Quapropter Sanctitati Veſtræ ſupplicatur, quatenus Mulieribus ingreſſum in dictum Hoſpitium ſub ea excommunicationis pœna, quæ violantibus clauſuram Conventuum Regularium impoſita eſt, prohibere dignetur &c.

Sacra Congregatio Eminentiſs., ac Reverendiſs. S. R. E. *Card. Negot, & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, approbante Sanctiſſimo Domino Noſtro, præfatum Hoſpitium, præſentis Decreti vigore ſubiicit Clauſuræ formali, ac propterea Mulieres in ipſum ingredientes incurrere excommunicationem, aliaſque pœnas à Sacris Canonibus præſcriptas declarat* 11. *Maii* 1703.

G. Cardinalis Carpineus.

Ferd. Archiepiſcopus Nicænus Secret.

Poſtquam anno 1706. ad inſtantias Electorum Civitatis, Hoſpitii reparatio, & clauſuræ conſtructio ſub 19. Novembris fuiſſet conceſſa, fuit & poſtmodum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in illius Eccleſia aſſervare indultum, Decreto, ſequenti libello ſupplici ſubjuncto.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Guardianus Capucinorum Conventûs Puteoli Provinciæ Neapolitanæ, humillimus EE. VV. Servus, eâ, qua decet, reverentiâ exponit, quod tempore æſtivo ob aeris inſalubritatem Conventum deſerere, & cum Familia, ad 20. *Fratres circiter ſe extendente, ad Hoſpitium ad littus maris ſitum deſcendere debeat.*

In hoc quidem reperitur pro celebrandis Miſſis Eccleſia; cum tamen in illa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervandi (prout caſus neceſſitatis, ratione infirmitatum &c. requirere videntur) facultate, & ſolatio necdum fruatur, Orator ad EE. VV. Zelum, & pietatem recurrit, ſupplicando, ut dictam Sanctiſſimi in dicta Eccleſia, à Dormitoriis duobus ſeparata &c. aſſervandi facultatem impertiri dignentur. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſs., ac Reverendiſs. S. R. E. Card. Negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis narratis, referente Eminentiſſimo Colloredo, petitam facultatem Oratori benignè conceſſit. Romæ 27. *April.* 1708.

G. Cardinalis Carpineus.

Ferd. Archiepiſcopus Nicænus Secret.

Ortâ controverſiâ, an Mulieres ingredientes Hoſpitium tempore, quo Fratres in eo non degunt, pœnis violantium clauſuram ſubiacerent, affirmativè deciſum fuit, ùt ad libellum ſupplicem ſequitur:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Inter alios Civitatis Puteolanæ Conventus reperitur & ille Capucinorum, haud procul à loco, Solfatara *vocato diſſitus: hi autem, cum approximante æſtivo calore aër ſulphure affectus iis noceret, in Hoſpitio, ad lidum maris conſtructo, per* 5. *menſes habitare ſolent. Et quamvis in hujus atrio ad eorum inſtantias, marmori inciſum videatur Decretum, quo Clauſura declaratur, nihilominus tempore, quo in Conventu, vel Hoſpitio reſpectivè non morantur, Mulieribus ingreſſum permittunt, Clauſuram tunc non eſſe prætendentes. Econtra Epiſcopus, illius Vicarius Generalis, & dictæ Civitatis Confeſſarii locum Clauſuræ eſſe tenent, etiamſi Fratres ibi non habitent, ex ratione, quod finis Pontificiarum Conſtitutionum non ceſſet, & conjectariò Mulieres, quæ ibi ingreſſæ ſunt, in cenſuram incidiſſe judicant, & Sacramenta illis denegant. Eapropter EE. VV. dignentur declarare, an in dicto Conventu, vel Hoſpitio tempore, quo Patres ibi non degunt, vigeat Clauſura?*

Sacra Congregatio Eminentiſs., ac Reverendiſs. S. R. E. Card. Negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, auditis Epiſcopo Puteolano, atque P. Procuratore Generali Ordinis, referente Eminentiſs. D. Cardinali Petra Ponente decrevit, ac declaravit -- Clauſuram eſſe tam in Hoſpitio, quam Conventu, etiamſi ibi non habitent ad tempus Capucini: & propterea eadem Sac. Congregatio benignè commiſit ipſi Epiſcopo Puteolano, ut veris exiſtentibus narratis Mulieres, quæ præfatum Hoſpitium ingreſſæ ſunt, impoſita prius illis aliqua ſalutari pœnitentia, à cenſuris pro ſuo arbitrio, & conſcientia ad cautelam abſolvat. Die 5. *Septembris* 1732.

Extract. cum aliis Decretis ſupra memoratis, ex Regeſtis Secret. Congreg. menſ. & annorum reſpectivè prædictorum.

DECRETO

Sacrorum Rituum Congregationis.

Proceſſionem cum Statua S. Antonii in Habitu Capucino Dominicâ infra Octavam in Civitate Theanenſi fieri poſſe ſancitur.

THEANEN.

SAcrorum Rituum Congregatio ſuper controverſia orta inter Fratres Min. Obſer Reform. Ordinis S. Franciſci Civitatis Theanen. ex una — & Fratres Capucinos ejuſdem Civitatis parte ex altera circa proceſſionem S. Antonii Patavini inhærendo, Decretis, aliàs ad favorem Capucinorum emanatis, & ſignanter in Romana, ſeu Neapolitana ſub die 21. Julii 1668. & Beneventana 17. Junii 1673. cenſuit, Proceſſionem S. Antonii eſſe faciendam per dictos Fratres Min. Obſerv. Reform. in die Feſtivitatis S. Antonii cum delatione Statuæ ejuſdem Sancti in eorum Habitu, Et per Fratres Capucinos in Dominica infra Octavam pariter cum delatione Simulachri S. Antonii in Habitu Capucinorum, & ita declaravit Hac die 22. Maii 1683.

N. Card. Ludoviſius.

Bern. Caſalius S. R. C. Secret.

Ex Reg. Secret. S. Congreg. fol. 37.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Quartam Canonicam ex pio Legato Fratribus Nucerinæ Paganorum cum onere Miſſarum relicto, Epiſcopo non deberi, declaratur.

Nucerina Paganorum Quartæ Canonicæ.

VIam Univerſæ Carnis ingreſſus Cajetanus de Turre anno 1711. inſtituto ex aſſe hærede Dominico Antonio de Turre, præ cæteris piè diſpoſitis, legavit PP. Capucinis ſummam ducatorum centum, infra ſexennium pro rata ſolvendam, cum onere tot Miſſarum manualium ad rationem granorum duodecim cum alterius dimidio pro qualibet. Quoniam verò ex hujuſmodi Legato ſibi debere Quartam Canonicam Epiſcopus aſſerere cœpit, prælibatus Dominicus Antonius ſupplex confugium habuit ad hanc Sac. Congregationem pro declaratione; numquid ad hujuſmodi præſtationem adſtringi poſſit? Remiſſis itaque de more precibus Epiſcopo pro informatione, idem ipſe redditis literis, pluribus pro ſua cauſa perorat, contendens potiſſimum ex aſſerta immemorabili conſuetudine Quartam Canonicam ex piis Legatis Menſæ Epiſcopali deberi; quam aliquando PP. ipſi Capucini perſolverunt, exindeque præſumendum eſſe contendit, in erectione Conventûs hujuſmodi legi ſeſe ſubjeciſſe, ut latius ex relatione, in Summario exarandâ. At, ex parte prælaudatorum Patrum adductis eorum aſſertis privilegiis, & exemptionibus, quodque, ut prætenditur, ſpeciale ſit, ex legatis Miſſarum Quartam Canonicam non eſſe detrahendam, inſtauratur modò acris controverſia, ab EE. VV. ex utrinque adducendis, ſapienter definienda ſub dubio: *An ſit præſtanda Quarta Canonica in caſu &c.* Die 13. Januarii 1714. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum reſpondit Negativè, & hujuſmodi Cauſam ampliùs non proponi mandavit.

B. Card. Panciaticus Præfectus.

V. Archiep. Dam. Secret.

Ex Reg. ſeu Lib. 64. *Archivi Secret. Congreg. præd. fol.* 20. *de quo exemp. in Arch. gen. Ord. Armario* Provincia Neapolit.

NOTA.

PAucis abhinc annis Conventui enunciato fuit & conceſſum Hoſpitium, ſub conditionibus, quas ſequens concludit Sacræ Congregationis Decretum:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regular. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi NuceriæPaganorum, eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus expedire cenſuerit in Domino, & nullum præjudicium Beneficiis, & Capellis contiguis inferatur, petitam facultatem pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut Dominium loci non ſit apud Fratres, ſed Sedi Apoſtolicæ reſervetur, & forma ſimplicis Hoſpitii non excedatur.

Romæ die 8. *Maii* 1733.

F. Card. Barberinus Præf.

Joſ. Arch. Corinth. Secret.

DECRE-

DECRETO

Sacr. Congregat. Epiſc. & Regular.

Novam Domum Civitatis Magdalonii inſtante Excellentiſſimo Duce erigi conceditur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis & conſult. Epiſcop. & Regul. præpoſita, attentis relationibus Epiſcopi Caſertani, ac P. Procuratoris Generalis prædicti Ordinis, referente Eminentiſſimo Caſono, committendum cenſuit, prout præſentis Detreti tenore benignè committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, & attento conſenſu aliorum Regularium, Parochi, & Univerſitatis, ac, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam novi Conventûs cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Clauſtris, Dormitorio, Refectorio, Hortis, aliiſque Officinis neceſſariis verè, realiter, & cum effectu fuiſſe abſoluta, nec non ſacris, prophaniſque ſuppellectilibus pro uſu,& habitatione Religioſorum ſufficienter inſtructa; quodque Civium pietas, & ad eleemoſynarum largitionem propenſio ad eoſdem Religioſos alendos ſufficere poſſit, petitam nedum Conventûs, & Religioſorum, verùm etiam onerum, ſi quæ ſint, ex Veteri ad novam Eccleſiam, & Conventum reſpectivè translationem, pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratori impertiatur,ſervatâ quoad reliqua diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum circa hujuſmodi translationes editarum. Cum facultate etiam poſt abſolutam novam Fabricam, ſubſequutamque translationem,primodictam Eccleſiam cum Conventu prophanandi,eamque demoliri faciendi,dummodò tamen ſitus, rudera, & cementa, quæ exinde ſupererunt, in uſus immundos, & indecentes, tametſi prophanos, nullatenus convertantur, erectâ ibi Cruce ad formam Sacri Concilii Trid. cap.7. ſeſſ.21. de Reform. & ſiquæ Corpora Defunctorum ibidem ſepulta fuerint, ad novam Eccleſiam itidem transferantur. Romæ 15. Februarii 1715.

I.D. Card.Paraccianus Præf.

Ex Regeſt. Secret. Congreg. Menſ. & Anni prædict.

DECRETO

Sacr. Congregat. Epiſcop. & Regul.

Novam Domum Cajetæ, relicto priore B. Mariæ de Pietate titulo,& aſſumpto illo S.Antonii Patavini reædificari, & in quæſtuatione ſolitum ſervari jubetur.

IN Cauſa Cajetana juris reædificandi Conventum ſub novo titulo S. Antonii Patavini, vertente inter PP. Capucinos ex una, & PP.Obſervantes ejuſdem Civitatis ex altera partibus propoſita fuerunt infraſcripta dubia:

I. An nova reædificatio Eccleſiæ, & Conventûs Capucinorum Cajetæ ſit facienda ſub antiquo titulo B. Mariæ de Pietate, vel potius liceat illum reædificare ſub titulo S. Antonii Patavini in caſu?

II. An liceat PP. Capucinis quæſtuare in Civitate, & Diœceſi Cajetana ſub invocatione D. Antonii, vel potius dicta quæſtuatio ſub tali nomine ſit prohibenda in caſu?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſcop. & Regul. præpoſita, attentis, ac prævio maturo examine perpenſis juribus omnibus,ab utraque parte deductisReferente Eminentiſſimo Corſino Ponente benignè reſcripſit.

Ad I. negativè quoad primam partem, & affirmativè quoad ſecundam.

Ad II. ſervari ſolitum.

Romæ 26. Junii 1716.

I. D. Card. Paraccianus.

Exempl. in Arch. gen. Ord. Armario Provincia Neapolitana: *citatque illud De Lucia fol. 26.*

Facultatem, à Sacra Congregatione Concilii celebrandi Miſſas in Oratorio Terræ Fractarum pro Capucinis itinerantibus conceſſam, literis Apoſtolicis roborat.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Cajetano.*

CLEMENS PAPA XI.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Miniſter Provincialis, Provinciæ Neapolit. Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum in Terra Fractarum nuncupata, iſtius

iſtius Diœceſis Cajetanæ, quoddam Hoſpitium ex piorum largitorum eleemoſynis pro excipiendis Religioſis itinerantibus, & quæſtuantibus ædificatum reperiatur: Hoſpitium verò hujuſmodi octo milliaribus à Conventu proximiori Pontis Corvi diſtet; ideoque prædictus Miniſter Provincialis, ne prædicti Religioſi occaſione quæſtuationis alibi commorari cogantur, pro ſpirituali eorum conſolatione, & commoditate facultatem celebrandi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in Oratorio, ſub invocatione Sancti Felicis in eodem Hoſpitio erecto, & decenter ornato, per Nos concedi plurimùm deſideret, Nos igitur ipſum modernum Miniſtrum Provincialem, ac Religioſos prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, & ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Miniſtri Provincialis nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum conſilio, & attenta relatione ſua ſuper præmiſſis ad eoſdem Cardinales tranſmiſſa, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, eiſdem Religioſis in dicto Hoſpitio, præmiſſa de cauſa commorantibus, petitam facultatem celebrandi Miſſam in prædicto Oratorio, dummodo illud decenter ornatum, Sacriſque Supellectilibus inſtructum reperiatur, auctoritate Noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia gratìs impertiaris, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſima quarta Auguſti, milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſexto Pontificatus Noſtri Anno decimo ſexto.

F. Card. Oliverius.

Ex Archivo Secret. Brev. Apoſtol. Menſ. & Anno præd.

DECRETO

Sacræ Congregationis Concilii.

Tranſactio Syndicum inter — & hæredes Catharinæ Cornoldi circa Legatum pium, Conventui Beneventano relictum facta rejicitur, & D. Archiepiſcopo de jure deſuper procedere committitur.

BENEVENTANA.

Syndicus Conventûs PP. Capucinorum Beneventi exponit humiliter piam Teſtatricem Catharinam Cornoldi in ſuo, ſub quo deceſſit, Teſtamento condito anno 1683. titulo eleemoſynæ reliquiſſe PP. Capucinis ducatos decem, quolibet anno per ſuos hæredes perſolvendos, ſub hypotheca omnium ſuorum bonorum ad hoc, ut orarent pro anima ejus Teſtatricis.

Ab eo tempore uſque ad annum 1712. Legatum punctualiter perſolutum fuit ab hæredibus Teſtatricis, ſed, quia à dicto anno 1712. Fratres de Margiacca moderni hæredes ſolutionem facere recuſârunt, ſub allegata deficientia redditTuum hæreditariorum, perutile proinde exiſtimavit Orator cum dictis Fratribus ad tranſactionem devenire, reducendo Legatum de ducatis decem ad ſolos ducatos 5. pro cujus confirmatione modò ſupplicatur.

Emus Ordinarius factum hoc referendo, acriter tranſactionem impugnat, ac aſſertam deficientiam Bonorum non ſubſiſtere teſtatur, ut in ſua relatione, in qua ulterius aſſerit, Debitores ſeſe muniviſſe Inhibitione Auditoris Cameræ, ad hoc, ut ſe eximerent à ſua juriſdictione.

Die 23. Julii 1718. Sacra Congregatio Concilii, auditâ relatione Eminentiſſimi Domini Cardinalis Urſini, Archiepiſcopi Beneventani ſupradictam inſtantiam rejecit, ac cenſuit, committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè commiſit eidem Archiepiſcopo, ut deſuper procedat de jure, non obſtante inhibitione Auditoris Cameræ.

P. A. Card. Corradinus Pro-Præf.

P. de Lambertinis Secret.

Ex Regeſto ſeu Lib.68. Secret. Congreg. prædictæ fol.314.

NOTA.

Quæſivit Pars ſuccumbens & contraria varias rimas, & adminicula, ut, quæ contra eam ſancita jam fuerant. vel adhuc ſanciri poterant, eluderet; inde evecto ad Vaticanum Solium S. M. Benedicto XIII. cui adhuc Archiepiſcopo Beneventi Sac. Congregatio litteralem teſtamenti executionem commiſerat, immediato ad illum recurſu novum contra tergiverſantes Hæredes petitum, & obtentum eſt remedium, Libello Supplici, & Reſcripto Pontificio ſequentibus:

Bea-

Beatiſſime Pater.

Antonius Mariella, dictus P. P. Capucinorum Civitatis Beneventanæ Syndicus Apoſtolicus, S. Veſtræ humiliter exponit, qualiter anno 1683. *Catharina Cornoldi titulo Legati pii PP. Capucinis annuos Ducatos* 10. *reliquit, quatenus Deum pro ejus anima exorarent, prout ex teſtamento à Petro Paulo ab Auria dictæ Civitatis Notario ſcripto conſtat. Fuit memorata ſumma à Margarita Cornoldi Hærede, & uſufructuaria dictæ Catharinæ ſoluta, quamdiu viveret. Cum autem hæreditas ad Angelam Rubino, Joſephi & Nicolai Margiacca Matrem tranſiiſſet, illa æque, ac hi per plurium annorum decurſum prædicto annuo Legato ſatisfacere renuerunt, ſub prætextu, quod Capucini illius eſſent incapaces, non obſtante, quod per Sanct. Veſtræ Decretum tempore, quo Archiepiſcopatum prædictæ Civitatis teneret, anno* 1710. *Legatum in emptionem Solearum pro dictis Patribus debuerit applicari, & ad inſtantias Fiſci prædictæ Curiæ, memorati Fratres Margiacca per expedita plura mandata fuerint obligati ad ſatisfaciendum annuo Legato uſque ad annum* 1719. *quo cauſam in Tribunali Reverendæ Fabricæ introduci curârunt, prætendentes, ſe habere attentatorum purgationem ad effectum, ut ſibi ſumma exacta cum damno & emolumento reſtitueretur. Stante hac prætenſione manſit in prædicto Tribunali cauſa indeciſa, & Conventus per quinque annorum ſpatium ſolutione Legati privatus.*

Quapropter Orator ad Sanctitatis Veſtræ pedes proſtratus ſupplicat, quatenus mandare dignetur, ut ſumma jam decurſa ſolvatur in emptionem Solearum impendenda, confirmando applicationem in hac cauſa jam factam, ut deinceps omnis alia Lis ſub prætextu incapacitatis maneat excluſa. Quam &c.

Die 11. *Decembris* 1724.

Ex Audientia Sanctiſſimi.

Sanctitas Sua inhærendo applicationi jam factæ anno 1710. *auctoritate ſua ordinaria, tempore, quo in Civitate Beneventana reſidebat uti Archiepiſcopus, illam approbavit, & confirmavit, &, quatenus opus ſit, Auctoritate Apoſtolica denuo applicat Legatum, de quo agitur, annuorum ducatorum decem anno* 1683. *à Catharina Cornoldi relictum ad commodum, & beneficium PP. Capucinorum Civitatis Beneventi, & mandat exigi annualitates, tam decurſas, quàm decurrendas ejuſdem Legati per Procuratorem Fiſcalem Curiæ Beneventanæ, ad effectum erogandi in emptionem Coraminum pro Sandaliis eorumdem Fratrum Capucinorum, omni meliori modo &c.*

Proſper Archiepiſcopus Cæſarien. Auditor.

Exempl. Auth. in Arch. generali Ord. Arm. Provincia Neapolit.

D E C R E T O

S. Congregationis Concilii.

A jure nominandi Puellas ad Dotem &c. Guardianus Civitatis S. Germani excluditur.

Nullius, ſeu Montis Caſini diſtributionis Subſidiorum Dotalium.

ANtonius Tregua in teſtamento condito de anno *1665.* mandavit, ut omnia credita, ac etiam pecunia numerata, quæ de tempore ſui obitûs reperirentur, inveſtirentur in Capitalibus fructiferis, iſtorumque fructus erogarentur in tot ſubſidia Dotalia, ad rationem Ducatorum 50. pro quolibet, diſtribuenda à P. Guardiano Capucinorum Civitatis S. Germani, ſecundo die feſto Paſchatis Reſurrectionis favore Puellarum commorantium in eadem Civitate, ac duobus Oppidis adjacentibus, excluſis exteris, præferri tamen ſemper voluit Puellas, quæ ſibi conſanguinitate, vel affinitate attinerent proximiores in gradu.

Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium ſub die 28. Septembris 1696. ad ſupplicationem Ordinarii Caſinenſis, ac inhærendo ejus antiquis Decretis declaravit, PP. Capucinos eſſe incapaces hoc munere diſtribuendi dotes, illudque ſpectare ad prædictum Ordinarium. In vim hujus Decreti conſuevit Curia Caſinenſis eaſdem dotes diſtribuere præviâ affixione edictorum, exindeque conſideratis requiſitis Puellarum concurrentium.

Sub prætextu tamen, quod Ordinarii Caſinenſes, eorumque Miniſtri abuſi fuerint, & abutantur hujuſmodi facultate, diſtribuendo nempe dotes Puellis extraneis in excluſionem Conſanguineorum, & Affinium Teſtatoris, plures ex iſtis recurſum habuerunt ad S.Congregationem pro opportuno remedio impoſterùm, & pro reſtitutione ſubſidiorum dotalium uſque adhuc diſtributorum contra expreſſam mentem ejuſdem Teſtatoris: audito Ordinario, cujus relatio dabitur impreſſa, ac ſubſcriptis tribus ſequentibus dubiis, ea proponuntur, partibus ſua jura deducentibus, ab EE. VV. ſapientiſſimè de more decidenda:

I. *An ſubſidia Dotalia præſtanda ſint Conſan-*

ſanguineis Teſtatoris recurrentibus privativè quoad Perſonas extraneas; & quatenus affirmativè?

II. *Quomodo, & à quo impoſterum ſint diſtribuenda cæteris Conſanguineis?*

III. *An ſit locus reſtitutioni ſubſidiorum Dotalium, per Ordinarios Caſinenſes diſtributorum Perſonis extraneis contra expreſſam mentem Teſtatoris?*

Ad Primum affirmativè, comprehenſis etiam affinibus ad formam teſtamenti.

Ad Secundum, diſtribuenda eſſe ab Officialibus Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti hæredis, prævio edicto, Conſanguineis, & affinibus ſervatâ gradûs prærogativâ, & in caſu æqualitatis gradûs per extractionem, iis verò deficientibus diſtribuenda modo, quo ſupra, aliis extraneis, ſervatâ formâ teſtamenti.

Ad Tertium dilata, & coadjuventur probationes

Contra reſolutionem ſecundi dubii reclamante Ordinario Caſſinenſi, & productis novis juribus circa dubium Tertium, Cauſa fuit in S. Congregatione repropoſita 14. Jan. 1730. prout ſequitur.

Nullius, *ſeu Montis Caſini &c.* In Congregatione diei 24. Septembris præteriti.... tria dubia propoſita, & reſoluta fuerunt....... Ordinarius Caſinenſis reclamans adverſus reſolutionem ſecundi dubii in ea parte, qua diſtributio ſubſidiorum dotalium demandata fuit Officialibus Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti hæredis, contendit ſibi decernendam eſſe præfatam diſtributionem, prout hactenus diſtribuere conſuevit, ſub motivo, quod poſitâ incapacitate P. Guardiani Capucinorum, cui ſpeciatim commiſſa fuerat à Teſtatore præfata diſtributio ſubſidiorum, eadem devolvenda ſit ad legitimum Executorem, qualis in cauſis piis eſt Epiſcopus, vel Prælatus habens quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, excluſo penitus hærede ſcripto, quem ſemper excluſum præſumitur voluiſſe Teſtator, eo ipſo, quod alium certum deſtinavit Executorem, iſtiuſque induſtriam elegit, juxta opinionem *Jacobi à Canibus in tract. de Executor. ultim. volunt. impreſs. inter tract. magn. tom.* 11. §. *Quæ tertio. Carpii de Executor. cap.* 22. *num.* 21. *& ſequent. lib. primo*, *& Paſſerini in cap. Religioſus* §. *Sanè num.* 51. *de teſtam. in* 6. ut ex his, aliiſque juribus ejus nomine circumferendis. Ad propoſitum caſum adaptari poteſt reſolutio in Tudertina Monachationis propoſita diebus 3. & 17. Dec. mox præteriti. Etenim juxta illius facti contingentiam Teſtatrix Hæredem uſufructuariam inſtituit Claram Beatricem ejus filiam, Monialem in Monaſterio S. Mariæ Majoris, Civitatis Tuderti, proprietarium verò idem Monaſterium cum onere Monachandi Puellam Nobilem, & pauperem ejuſdem Civitatis, nominandam à prædicta Clara ejus Filia ante ſui obitum, cumque nulla nominatio in ſcriptis ab iſta exarata fuiſſet, orta fuit dubitatio, an jus nominandi Puellam ſpectaret ad Epiſcopum, vel potius ad Monaſterium, hæredem proprietarium. Et S. Congregatio ſub die 17. Decembris reſpondit: *Jus nominandi ſpectare ad Monaſterium*, *& Monaſterium deveniat ad electionem Puellæ ad formam teſtamenti*.

Dignabuntur itaque EE. VV. eorum ſapientiſſimum oraculum proferre, tum ſuper dubio reſoluto, ac etiam ſuper tertio, tunc non reſoluto, ſuper quo hodie exhibentur nova jura ex parte Puellarum, videlicet,

I. *An*, *& quomodo ſit ſtandum*, *vel recedendum à deciſis quoad ſecundum dubium?*

II. *An ſit locus reſtitutioni ſubſidiorum Dotalium per Ordinarios Caſſinenſes diſtributorum Perſonis extraneis contra expreſſam mentem Teſtatoris in caſu?*

Et 28. Januarii 1730. fuit reſolutum:

Ad primum in deciſis, ut Ordinarius, ſeu ab eo deputatus aſſiſtat, & omnia faciat loco P. Guardiani Capucinorum, ſervata forma teſtamenti, & fiant gratis.

Ad Secundum, ad Eminent. Præfectum, juxta mentem.

C. Cardinalis Origbus Præf.

A. de Abbatibus Secret.

Ex Sacræ Congregat. præd. Regeſto, *ſeu Lib. Decret.* 79. *f.* 477. *& lib.* 80. *Item in theſauro Deciſ. tom.* 4. *fol.* 350. *& tom.* 5. *f.* 2. *&* 8.

N O T A.

JAm anno *1696.* cauſa prædicti Teſtamenti in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium moroſiùs fuerat agitata, & in hac à Reverendiſſimo D. Abbate Montis Caſſinenſis 3. puncta contra Nos pro reſolutione expoſita, porrecto, qui ſequitur, libello ſupplici.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Abbas Montis Caſſini Ordinarius Civitatis Sancti Germani devotus Orator EE. VV. exponit, quod Antonius Tregua dictæ Civitatis in Teſtamento, ſub quo deceſſit, præ cæteris ordinavit - - Hæres meus faciat PP. Capucinis charitatem cum oleo, iiſque aliis eleemoſynis ſubveniat tempore, quo eas popoſcerint, expendatque, quidquid pro receptione fabricæ tam Eccleſiæ, quàm Conventûs occurret, & hoc pro mea particulari devotione.

Et inferius, Ordino, ut Matrimonium Puellarum quâcunque feriâ ſecundâ Paſchatis Reſurrectionis à P. Guardiano pro tempore fiat; dictuſque Guardianus faciat ſchedas, & quidem quamlibet Ducatorum 50. &c. affigat edicta &c.

Hinc quæritur Primò. An P. Guardianus dicti Conventûs valeat nomina Puellarum ſcribere, & poſtea in ſortem extrahere, ac edicta affigere, ſeu potius prædicta ad Ordinarium ſpectent?

Secundò. An dicti Religioſi ſint capaces dicti legati in perpetuum modo, & formâ, prout Teſtator præſcribit.

Tertiò. Et quatenus affirmativè, an dictis Patribus liceat rès, ut ſupra, legatas petere propria Auctoritate pro ſumma, & ſummis ſibi bene viſis, dando in ſcriptis Hæredi eas ſolvendi ordinem?

Sacra Congregatio ut ſolita cautela deſuper procederet, Definitorii Generalis arbitrium, & votum, antequam reſolveret, experiri voluit, quod & datum eſt, ut ſequitur:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Procurator, & Definitores Generales Capucinorum reverenter dicunt Eminentiis Veſtris, qualiter Antonius Tregua Civitatis Sancti Germani in ſuo ultimo Teſtamento inſtituit hæredem univerſalem Cappellam Ven. Sacramenti Corporis Domini, ejuſdem Civitatis, & ſpecialiter eidem ordinavit, ut reductis ejus denariis aureis, & argenteis, nec non aliis exigibilibus, ſibi debitis, in cumulum, hunc poneret ad telonium, quatenus ex annuo redditu conſtitueret dotem qualibet die ſecunda Paſchæ tot Virginibus ejuſdem Civitatis, & duorum pagorum ejus, prælatis propinquis ipſius Teſtatoris de gradu in gradum ſecundùm Conſanguinitatem, & affinitatem, quot ex eo, aſſignatis cuilibet 50. Ducatis dotari poſſent. Et pariter, ut Guardianus Capucinorum dictæ Civitatis pro tempore, ſcriberet in diſtinctis ſchedulis nomina tot Virginum dictarum, quot de annuo dicto redditu poſſent recipere dotem 50. Ducatorum, & totidem aliarum, miſſiſque ſchedulis in urna, eas ſorte extraheret, & cuique extractarum dos Ducatorum 50. à dictæ Capellæ Gubernatoribus daretur.

Item Teſtator prædictus legavit dictæ Capellæ quædam bona ſtabilia fructifera cum onere tribuendi Capucinis dictæ Civitatis oleum illis neceſſarium, & alias eleemoſynas tempore, quo illas poſtularent, & expendendi pecuniam neceſſariam pro reparatione fabricæ.

Cum autem exorta eſſet controverſia circa executionem, præſcriptam Guardiano prædicto à Teſtatore, inter Oeconomum Tribunalis Neapoli Rev. Fabricæ, & dictam Capellam, idem Tribunal ſub die 9. Aprilis 1696. adjudicato ſibi jure cognoſcendi propinquitatem Puellarum ad Teſtatorem decrevit, & declaravit, quod electio Puellarum prædictarum fiat per Guardianum prædictum præviâ buſſulatione in die à Teſtatore deſignata, & in loco ſolito, & illæ Puellæ, quibus ſors obtingeret, deſcribantur in libris adminiſtrationis dictæ piæ diſpoſitionis in præſentia dicti Guardiani, & cum ejus ſubſcriptione.

Licèt enim F.F. Minores non poſſint eſſe executores univerſales ultimarum voluntatum, cum hujuſmodi executio involvat aliquos actus repugnantes eorum ſtatui, & Profeſſioni, nihil tamen prohibet, quin ſint Executores particulares in ordine ad aliquem actum, qui dicto ſtatui, & Profeſſioni nullatenus repugnat, cujuſmodi eſt electio Puellarum ſortilega diviſoria (quidquid ſit de electione, & nominatione arbitraria) à Teſtatore Guardiano Conventûs Capucin. Civitatis Sancti Germani præſcripta. Cum autem notificatio buſſulationis futuræ per affixionem folii, quod non eſt edictum, in loco publico ſit actus prævius, & prærequiſitus, & ordinatus ad dictam executionem, nullius juri, aut dicti Guardiani obligationi repugnans, vel præjudicans, videtur dictus Teſtator ipſum implicitè Guardiano præſcripſiſſe, & Tribunal antedictum eidem conceſſiſſe, decreviſſe, & declarâſſe.

Quod attinet ad eleemoſynas Capucinis erogandas, eas non eſſe omnino ipſis arbitrarias, ſed limitatas, ſecundùm eorum neceſſitatem, nec non ſummam proventuum bonorum à Teſtatore gravatorum, patet ex ipſis Teſtatoris verbis. Inde ſupradicti Procurator, & Definitores Generales dicunt, ut notum eſt Eminentiis Veſtris, Sac. Congregationem Ven. Fabricæ pluries declarâſſe, Capucinos poſſe petere, & recipere legata, etiam in perpetuum, ſi non ex jure, & in judicio, certè ex gratia, & charitate hæredum, vel Executorum, ſive per modum eleemoſynæ; ſicut etiam modo prædicto poſſunt ſolutionem rerum neceſſariarum petere in ſcriptis, ſicque ex praxi Religionis ſupponitur uſque modo feciſſe Capucinos Civitatis Sancti Germani. Et hæc ſunt, quæ in executionem Mandatorum EE. VV. Procurator, & Definitores Generales Capucinorum dicere poſſunt &c.

Fr. Joannes Baptiſta à Sabbio Procurator Generalis Cap.
Fr. Joſephus à Zuritta Definitor Generalis.
Fr. Auguſtinus à Tiſana Definitor Generalis.

Ex Regeſto ſecundo Memorial. Proc. Generalis fol. 637.

Solido huic Œconomicæ legis, & praxeos teſtimonio deciſio conſona futura videbatur, ita autem in Sacro Cœtu diſceptatum, & æquivocatum eſt, ut prodierit è diametro contraria, & ſequens:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium Negot., & Conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attentis narratis cenſuit danda eſſe Decreta, & ſignanter infraſcripta nempe.

Ad primum Spoleti -- Sacra Congregatio &c. audita relatione Epiſcopi Spoletani, cenſuit Capucinos eſſe incapaces, & jus nominandi ſpectare ad Epiſcopum.

Ad ſecundum, & tertium reſpondit negativè, & inſuper cenſuit danda eſſe Decreta aliàs edita, nempe Fratres Capucinos Sancti Franciſci non eſſe capaces poſſidendi bona ſtabilia, nec propterea poſſe recipere.

Ex præjudicio, quod ex hac ſecunda Deciſione Conventui Fratrum Civitatis Sancti Germani obtingere advertebat illius amicus Spiritualis, pro parte eorum ad Tribunal Reverendæ Fabricæ Sancti Petri de Alma Urbe, Neapolì inſtitutum, cui ad caſus, & cauſas, in quibus pia legata juxta Teſtamentarias diſpoſitiones executioni non mandantur, manus apponere incumbit, recurſum ſumpſit, reportato, quod ſequitur, Mandato:

Tribunalis Reverendæ Fabricæ Sancti Petri de Urbe in præſenti Regno Apoſtolica, & Regia Auctoritate Executor. Omnibus Portariis quarumvis aliarum Civitatum in forma ſignificamus, qualiter pro parte D. Oeconomi Reverendæ Fabricæ Apoſtolicæ præſentata ſupradicta comparitio, & inſtatum pro debita, & opportuna proviſione, tenore præſentium Vobis, ut ſupra jam dictis committimus, & mandamus, quatenus receptis præſentibus, comparitionem prædictam, & omnia, & ſingula in ea contenta intimetis, & notificetis Magnificis Gubernatoribus, & Officialibus Venerabilis Capellæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti Civitatis Sancti Germani, ejſque mandetis, & injungatis ſub pœna Ducatorum quingentorum ipſi fabricæ applicandorum, & in juris ſubſidium excommunicationis, quatenus infra dies octo poſt &c. ſolvere habeant, & debeant, Syndico Apoſtolico Religionis Capucinorum Ducatos 45., ex hæreditate dicti Teſtatoris pro illis erogandos in cauſas in dicta comparitione enarratas pro neceſſitate dicti Venerabilis Conventûs pro executione piæ diſpoſitionis dicti quondam Antonii. Alioquin &c. Datum Neapolì hac die 28. menſis Januarii 1697.

Laurentius Archiepiſcopus Cæſareæ.

His ita in favorem Fratrum Neapolì actis, Officiales Ven. Capellæ Romæ vim enunciati Mandati per Monitorium ab Auditore Cameræ, tunc Carolo à Marinis ſub 16. Februar. 1697. relaxatum enervare contenderunt, dum econtra P. Procurator Generalis illud firmari, & primam Sacræ Congregationis de hujuſmodi Legatis reſolutionem juxta Reverendæ Fabricæ Decreta modificari, & Monitorium factum infirmari, causâ repropoſitâ, & attentiore bilance ponderatâ, ſub die 21. Novembr. ejuſdem anni 1698. inſtitit.

Succeſſit votis optatus effectus, dum Sacra Congregatio generaliter reſcripſit: *non poſſe impediri hæredes, quin ſolvant, & Patres, quin recipiant, ſervatâ formâ Decretorum Fabricæ, atque S. M. Urbani VIII. prohibitione R. P. D. Auditoris Cameræ non obſtante.*

Quibus ita, & contrariè ad primam deciſionem quoad legata pia perpetua in normam à Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ſtabilitis, reſuſcitatum eſt in Sacra Congregatione Concilii principalius hujus Notæ punctum de nominatione Puellarum ad dotem, à qua P. Guardianus Civitatis Sancti Germani vigore Decreti Congregationis Epiſcoporum, & Regularium fuit excluſus, eidemque Reverendiſſimus Dominus Abbas Caſſinenſis, ſeu Ordinarius loci ſubſtitutus. Anſam novi hujus recurſûs præbuêre Reverendiſſimi Abbatis Miniſtri, qui facultate ſuâ abutentes contra apicem Teſtamenti ad dotem Puellas nominârunt extraneas, & ideo anno 1729. denuo in ſtatera examinis fuit appenſum dubium, *quomodo, & à quo* impoſterum dotes Conſanguineis exteris forent diſtribuendæ? Quæſtio hæc plenam aperuit P. Guardiano viam partes judicii intrandi, & opportuno gravamine quærendi jus nominationis, ſibi à Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium ablatum. At (neſcio, an timore offenſæ, vel amore pacis ductus) friguit, & otio ſuo ſibi, & Ordini præjudicavit, cum Sacer Senatus Officiales Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti Diſpenſatores dotium nominando, tum Reverendiſſimum D. Abbatem, tum ipſum unitim excluſerit. Excluſum ſe R. D. Abbas ægrè tulit, & ideo 1730. novum tentavit recurſum. Evicit quoque Decretum, quo, ut vel ipſe, vel ejus Deputatus dotium diſpenſationi aſſiſtat, & omnia faciat loco P. Guardiani Capucinorum ſervatâ formâ Teſtamenti fuit ſancitum: Inde noviter otioſus, noviter fuit excluſus P. Guardianus: Effectus congenius indifferentiæ, quâ Fratres aliquoties ea, quæ licita ipſis ſunt, ſub ſpecioſo pacis prætextu negligunt, & quâ, dum juri ſuo cedunt, Ordini toti præjudicant, nocivamque ſternunt viam, ut ab exemplo caſûs, ſeu deciſionis particularis inferatur neceſſitas conſequentiæ Generalis. Accidit hoc cum hac ipſa cauſa Civitatis Sancti Germani, quæ in ſubſequis, & ſimilibus nominandi cauſis, Comaclenſi videlicet, & Papienſi, ſeu exemplum contra Nos fuit adductum, & parem quoque forſan coegiſſet ſententiam, niſi hæc ultima exactiore Sacræ Rotæ judicio fuiſſet diſcuſſa, & ab hac jus nominandi Puellas, Alumnos &c. noſtro ſtatui nullatenus repugnare, & econtra Nobis in caſu competere, in Regulam fuiſſet ſancitum. Inde, ne quis viſo hujus cauſæ Civitatis Sancti Germani exemplo abripiatur in devia, conſultò fuſior hæc Nota fuit adjuncta, utque lectori contraria magis eluceſcant, eum ad cauſam Papien. tom. 1. fol. 187., & ad Notam Spoletanæ tom. 2. fol. 145. remitto.

Privilegium liberandæ Animæ Altari Capellæ Pietatis in Eccleſia Domûs Capuanæ à Gregorio Papa XIII. aliàs conceſſum, ad Altare majus transfert.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

DUdum fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter, ut Eccleſia Domûs Spiritus Sancti Capuan. Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Populi frequentiâ, ac piorum hominum ibi confluentium celebris, nec ſimili euſque privilegio decorata, & in ea Altare Capellæ Pietatis, quod in illa Eccleſia non erat majus, hoc ſpeciali dono illuſtraretur, auctoritate ſibi à Domino tradita conceſſit, ut quoties ab aliquo Sacerdote, dictæ Domûs duntaxat, Miſſa celebraretur pro Anima cujuſcunque fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrâſſet, ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequeretur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberaretur, prout in ipſis Gregorii Prædeceſſoris deſuper Anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIV. Idibus Auguſti, Pontificatus ſui anno tertio decimo expeditis litteris plenius continetur.

Cum autem, ſicut Dilectus Filius modernus Guardianus dictæ Domûs Nobis nuper exponi fecit, ipſa Capella Pietatis de præſenti reædificanda ſit, ac propterea ipſe Guardianus privilegium conceſſionis per Nos, ut infra, transferri ſummopere deſideret, Nos ejus ſupplicationibus, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, privilegium pro liberandis Animabus in Purgatorio exiſtentibus dicto Altari Capellæ Pietatis per eundem Gregorium Prædeceſſorem conceſſum, ùt præfertur, ad Altare majus prædictæ Eccleſiæ, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium (ſervatâ tamen in reliquis earum conceſſionis formâ) perpetuò transferimus, & tranſlatum eſſe declaramus: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xv. Decembris MDCCXXX. Pontificatus Noſtri Anno I.

Card. Oliverius.

Breve format. in Arch. Conventûs, de quo exempl. Auth. in Archivo Generali Ord. Armario Provincia Neapolitana.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

In Eccleſiis Fratrum Cadavera ſepeliri poſſe confirmatur, & ideo Cadaver Irenæ de Simoni Eccleſiæ Fratrum Terræ Itri reſtitui mandatur.

IN Cauſa Cajetana juris ſepeliendi, vertente inter PP. Capucinos Terræ Itri ex una, & Reverendiſſimum Archidiaconum, & Clerum Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli ejuſdem Terræ ex altera Partibus, propoſita fuerunt infraſcripta dubia.

I. An PP. Capucinis liceat ſepelire Cadavera illorum, qui in eorum Eccleſia ſepulturam eligunt, & quatenus affirmativè?

II. An Cadaver Irenæ de Simoni ſit reſtituendum, unà cum emolumentis funerum in caſu &c. ad quæ:

S.Congr. &c. attentis, ac prævio maturo examine perpenſis juribus omnibus ab utraque Parte productis, Referente Eminentiſſimo Cardinali Carafa Ponente benignè reſcripſit: Ad primum affirmativè, præviâ tamen electione Sepulturæ, & licentia in ſcriptis P. Generalis, ſeu Commiſſarii Generalis. Ad ſecundum affirmativè ſine præjudicio quartæ funeralis, ſed non eſſe diſhumandum Cadaver. Romæ 27. Junii 1732.

F. Card. Barberinus.

Ex Regeſto Secretariæ Congregat. menſ. & anni præd.

Pro conſolidanda Provinciæ Pace nonnullos articulos circa electionem Superiorum Provinciæ, & locorum confirmat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Supremæ Apoſtolicæ charitatis, providentiæque noſtræ erga omnes Chriſtifideles, atque eos potiſſimum, qui à fluctibus ſæculi erepti, ad tranquillum Religionis portum confugerunt, adhibenda à Nobis cura maximopere poſtulat, atque exigit, ut omnis Pontificiæ Benignitatis auctoritatiſque operam, conſiliumque in hoc ſtudioſiſſimè collocemus, ut diſſidiis, partiumque ſtudiis procul amotis, atque eliminatis, ubi opus eſſe conſtiterit, omnia inter Viros, præſertim Religioſos in pace fiant, & omnia ad Divinum cultum adaugendum, regularemque diſciplinam confirmandam componantur, conſtabilianturque.

Nuper ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Miniſtri Provincialis, & Definitorum Provinciæ Neapolitanæ Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ, expoſitô, quod, cum plures ex eadem Provincia exortæ reperiantur diſſenſiones circa electionem Provincialis, aliorumque Officialium, attentô, quod eadem Provincia in duas partes ſciſſa reperitur, nuncupata una Neapolitanorum, altera Sanſeveriniſtarum. Subinde verò dilectus filius Joſephus Maria Manaſſei ab Interamna Miniſter Generalis dicti Ordinis in ultima ejuſdem Provinciæ viſitatione, occaſione celebrationis illius Capituli Provincialis, & electionis Miniſtri Provincialis, aliorumque Superiorum factâ, quandam alternativam inter partes prædictas diſponere curaverat, quâ mediante concordia & pax inter partes efflorere cœperunt; ac proinde Exponentes prædicti alternativam prædictam confirmari, illiuſque obſervantiam futuris temporibus demandari ab eadem Congregatione plurimùm deſiderabant, emanavit ad eorum ſupplicationem ab eadem dicta Congregatione Cardinalium Decretum, tenoris ſequentis, videlicet:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſult. Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo Spinola Ponente, auditis P. Miniſtro Generali, ac Definitorio Generali, ac re maturè perpenſâ prædictam alternativam à P. Generali, ut ſupra, diſpoſitam benignè approbavit, & confirmavit, eamque per decem ſaltem trienniorum ſpatium, quæ incepta cenſeantur ab ultima præfata electione, inviolabiliter obſervari mandavit ſequentibus cum conditionibus, videlicet, Primò, quod eadem alternativa ſervetur tantummodo in electionibus Provincialis, Definitorum, & Guardianorum, ita, ut cæteræ electiones, ac proviſiones à Provinciale & Definitoribus pro tempore, juxta eorum prudentiam, charitatem, juſtitiam, & notitiam Religioſorum habiliorum ad alia munia fiant, ac dirigantur. Secundò, quod illa pars, quæ de triennio in triennium Provincialem obtinebit, unum tantùm Definitorem, ac viginti Guardianos habeat, altera verò pars tres Definitores, & undeviginti Guardianos obtineat. At Definitor illius partis, quæ Provincialem habuerit, non debeat eſſe ſemper primus Definitor, ſed eum teneat locum, in quo fuerit electus. Tertiò, quod in caſu obitûs, ſeu renunciationis, ſeu remotionis Provincialis, Provincia uſque ad novam electionem à primo Definitore, tanquam Vicario Provinciali gubernetur, cujuſcunque ex ambabus partibus exiſtat: ſed in electione intermedia Provincialis ex illa parte, cujus erat defunctus, vel amotus, aut renuntians, eligatur. Romæ XXVI. *Auguſti* MDCCXLV. = C. Cardinalis de Hieronimis. = *J. Maria Archiepiſcopus Damaſcenus Secret.* = Locus ✠ Sigilli.

Cum autem dicti Exponentes Nobis ſubindè exponi fecerunt, ipſi Decretum præinſertum, quo firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm cupiant, Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibusvis excommunicationis... & abſolutas fore cenſentes, ſupplicanibus eorum nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere: ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere: ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Provinciæ, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apo-

Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die x. Septembris MDCCXLV. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA LUCANIÆ.

PRimitias hujus Provinciæ, celebris Minoritici Ordinis Chroniſta Wadingus Fr. Tullio à Potentia, qui de Sacris RR. PP. Conventualium tentoriis ad noſtra divertit tabernacula, in actis anni MDXXXIII. attribuit; cum enim Evangelico ſermone Apulum circumiret, & erudiret populum, hic varia Fratribus conſtruxit Cœnobia, quæ pededentim coaluère in Provinciam per Apuliam Peucetiam, Lucaniam, & Salentinam Regionem ſub Divi Hieronymi nomine diffuſam, & eapropter anno 1560. in Barienſem Hydruntinæ commixtam ex una — & in Lucanam ex altera — partibus diviſam.

Tenet Margaritham pretioſam, unam videlicet ex tribus Crucibus, à Venerabili Matre Sor. Ludovica ab Aſcenſione, Clariſſa, Monaſterii Loci Carionis in Hiſpania Abbatiſſa confectis, & ab ejus S. Angelo Cuſtode juxta piam traditionem in Cœlum pro benedictione à Deo recipienda delatis. Unam ex reportatis Ludovica Fr. Cherubino ab Ebulo, hujus Provinciæ Miniſtro, & pari cum Ludovica Sanctæ Vitæ opinione celebri in donum dedit. Hanc jam Miniſter Provincialis pro tempore, ſibi cum Sigillo Provinciæ in publico Capitulo conſignatam, per Provinciam ſecum deſert, ut, quam virtutem accepit ex alto, per contactum Coronis, Roſariis &c. communicet in Terris, hinc & turmatim ad loca, quæ ille accedit, populus pro hujuſmodi contactûs gratia convolat.

Cultu tamen & memoria dignior eſt SS. Reliquiarum theſaurus, quem Altare Majus Eccleſiæ Oppidi Vetri tribus concluſum clavibus, quarum unam Dux Loci, aliam Magiſtratus, & Tertiam Conventus conſervat, authenticâ ſide exhibet, & in quo innumeri populi accurſu coluntur

Præter duas Spinas de Corona Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Sacroſancti Sanguinis Guttas, duo S. Crucis fruſta, particulas de Tunica, Veſte, & Purpura Chriſti, particulas de Velo & Cinctura B. Virginis Mariæ, *SS. Adonis Mart. Caput, & integrum Femur, Æmiliæ Virg. & Mart. Pes, particulæ de Oſſibus Agathæ Virg. & Mart., Amatoris Epiſc. & Mart. integra Scapula, Anteris Mart. Caput, Antonii Patavini Cranium, Apollonii Mart. Caput & Femur, Beatricis Virg. & Mart. Caput, Blaſii Epiſc. & Mart. Oſſa, Dominici Mart. Femur, particulæ de Oſſibus Donati Epiſc. & Mart., Dorotheæ V. M., Edizii Corpus integrum, Oſſa Felicis Mart., Felicis V. & M. ex Societate S. Urſulæ Brachium, Gerardi M. Brachium, Honorati Mar. Pes, Hyacinthi Mart. Caput & Femur, Januarii Mart. Femur, de Corde S. Joannis Baptiſtæ, Martini Epiſc. & M. Spina Dorſi, de SS. Martyribus* de Trevi *Caput, Scapula, Brachium, & Femur, unius de SS. Martyribus Turonenſibus Caput, Maximi M. Spina Dorſi, Petri Apoſtoli Dens molaris, de Oſſibus Petri Mart., Pontiani Papæ & Mart. Caput, Roſa-*

næ

næ Virg. & Mart. Brachium, Tarſillæ Virg. & Mart. Scapula, & Pes, Theodoræ V. M. Brachium, Victoris Mart. Femur, de Oſſibus S. Viti Mart., & Urſulæ Virg. & Mart. Inter quas Sanctorum Reliquias ſunt ſexdecim, de quibus Officium Divinum ſub ritu Duplicis Majoris celebrari Archiepiſcopalis conceſſit Curia.

Eccleſiam prædictam dum Fr. Franciſcus à Vetro, ex Nobili Franchorum Genere bina vice Provinciæ Miniſter, Sacris hiſce Spoliis ita exornavit, Bibliothecas pariter Comentariis in Oſeam Prophetam in tres Tomos diviſis, & titulo Salvatoris myſtici inſignitis adauxit, fœtu digniſſimo doctrinæ, quæ virtuti juncta plures hujus Provinciæ Viros commendat. Quibus & jure Fr. Maximus à Muro, qui pari prudentia & nativam Provinciam gubernavit, exteras viſitavit, ac in Definitorio Generali res Ordinis curavit, annumerari debet.

Numerat Conventus Fratrum XLII.
Hoſpitia XI.

Fr. Bernardinum à Balbano inſtante Cardinale Meſſanenſi ad prædicandum Meſſinam ſe conferre jubet.

A tergo: *Dilecto filio noſtro Joanni Andreæ tituli Sanctæ Barbaræ Presbytero Cardinali Meſſanenſi nuncupato.*

JULIUS PAPA III.

Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſub Datum videlicet VIII. Januarii Pontificatus noſtri Anno tertio, cum dilectus filius Bernardinus Balbanus Ordinis Capucinorum Sacrarumque Litterarum Profeſſor anno tunc decurſo in Eccleſia tua Meſſanenſi Evangelicas Lectiones cum frequentiſſimo Populi concurſu, & incredibili ſatisfactione, ſaluberrimoque Animarum ſuarum profectu non minus doctè, quàm piè expoſuiſſet, & ob id Populus ille cum etiam de cetero Prædicatorem habere ſummopere deſideraret, Nos ad Tui ſupplicationem præfato Bernardino, ut Superioris ſui licentia petitâ, licet non obtentâ, dictum prædicationis officium, etiam Anno præſenti in dicta Eccleſia abſque alicujus conſcientiæ ſcruplo continuare, & proſequi liberè, & licitè valeret, per alias noſtras, etiam in forma Brevis literas licentiam, & facultatem conceſſimus, prout in illis pleniùs continetur. Cum autem, ſicut Nobis nuper expoſuiſti, literæ prædictæ ex eo, quod dictus Bernardinus, priuſquam ſibi exhiberentur, prædicandi in Eccleſia Agrigentin. Anno præſenti onus ſuſceperat, effectum ſortitæ non fuerint, præfatuſq; Meſſanen. Populus in eodem deſiderio ipſius Bernardini Evangelicas expoſitiones audiendi adhuc perſiſtat, & apud Te ſuper hoc per eorum litteras vehementer inſtet; Nos igitur, qui Animarum profectum intimis deſideramus affectibus, ſpirituali dicti Meſſanenſis Populi ſatisfactioni, & conſolationi paternè conſulere volentes, tuis etiam in hac parte ſupplicationibus inclinati, præfato Bernardino, ut Anno proximè futuro MDLIV. dictâ ſui Superioris licentiâ petitâ, licet non obtentâ, ut præfertur, in ipſa tua Eccleſia Meſſanenſi abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo verbum Dominicum prędicare liberè, & licitè poſſit, & valeat, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, plenam, & liberam Auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam, & facultatem de novo concedimus, & impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XXV. Maji MDCLIII. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Ex Archivo Vaticano.

NOTA.

SCriptores Ordinis variè in P. Bernardini præfati effunduntur laudes, ex quibus dum nucleum extraho, illum, Apoſtolicum Evangelii Miniſtrum, eruditum Aſceſeos Scriptorem, & donis cœleſtibus inſignem Religioſum fuiſſe reperio. Concionator celebriores Apuliæ Calabriæ, Salentinorum, & Siciliæ Civitates peragravit, naſcentemque Aletii Sectam, fabro Stanneario auctore, in ipſo ſuo ortu ſoffocavit, & voce virtutis velut alter P. Bernardinus, cujus nomen geſſit, & expreſſit plures in fæce iniquitatis gurgitantes, ad limpidos pœnitentiæ fontes perduxit, candidâ Columbâ, quæ circa illius caput volitare pluries viſa eſt, os & ſapientiam dante. Dominicæ paſſionis myſteria ſicut compatiente affectu ſemper coluit, ita de iis erudite

ditè ſcripſit, & poſteris (præter ſpeculum Orationis, tractatum de prædeſtinatione, & libero hominis arbitrio) Meditationes de vita Chriſti, & B Virginis Mariæ, opus de Myſteriis flagellationis Chriſti: de novem Sanguinis Chriſti effuſionibus: de ſeptem regulis bene vivendi reliquit. Stadium Religioſæ perfectionis eo cucurrit Zelo, ut repleverit illum Dominus ſpiritu prophetiæ, quo in concionis curſu Matris ſuæ obitum populo patefecit; Conventui, cui præerat, panem recentem de cœlo dederit, animamque illius viſibili fulgore ad ſuæ Divinitatis tabernaculum vocaverit, vivam inter homines illius memoriam æternante Aleti Mulierum Converſarum, quod in reparandæ virtutis auxilium P. Bernardinus conſtrui curavit, Collegio.

Ex Boverio tom. 2. fol. mihi 496. Wadingo de Script. Ord. fol. mihi 55. Bibliotheca Script. Capuc. fol. mihi 80.

D E C R E T O

Sacr. Rituum Congregat.

Laudum Eminent. Card. Madrutii de præcedentia Fratrum Vineolæ confirmatur.

Cum orta fuerit controverſia in Terra Vineolæ Potentinæ Diœceſis, inter Fratres Capucinos, & Fratres Minores de Obſervantia ſuper præcedentia in Proceſſionibus, cauſa fuit commiſſa bon. mem. Cardinali Madrutio de conſenſu Procuratorum Generalium utriuſque Ordinis, per ſequens Sac. Congregationis Reſcriptum:

BASILICATÆ.

Miniſter Provincialis Minorum Obſervantium Provinciæ Baſilicatæ expoſuit, in Terra Vignolæ Capucinos tanquam antiquiores in loco prætendere præcedentiam à dictis Minoribus Conventualibus vigore Brevis Gregorii XIII., quibus id ægrè ferentibus ex conceſſione Leonis X mandantis Fratres Minores Obſervantes digniorem locum inter omnes alios Fratres Sancti Franciſci obtinere debere; Et negari non poſſit, quin Capucini ſint ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci, ad tollendas contentiones, ſupplicavit declarari, quid ſervandum; Et Sac. Congregatio remiſit ad Illuſtriſſimum Madrutium. Die 29. Januarii 1628.

Fulvius à Fulviis Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſ. & Ann. prædict. fol. 43.

Qui (Cardinalis) ſententiavit ad favorem Capucinorum declarans illis deberi præcedentiam, & digniorem locum, in hunc, qui ſequitur, modum.

In cauſa, & cauſis coram Nobis ex compromiſſo vertentibus inter Fratres Minores Sancti Franciſci de Obſervantia, ſeu R. P. Vincentium Romanum, ejuſdem Ordinis Commiſſarium de Curia nuncupatum ex unà —, & Fratres Minores Capucinos, ſeu R. Patrem Franciſcum Genuenſem ejuſdem Religionis Capucinorum Procuratorem, & Commiſſarium Generalem partes, ex altera, ſuper præcedentia, & jure præcedendi, inter partes prædictas controverſo in Proceſſionibus, ad quas in loco, ſeu Terra Vineolæ Potentinæ Diœceſis convenire debent, tam dicti Fratres de Obſervantia, quàm Fratres Capucini, & prout latius continetur in Inſtrumento Compromiſſi per dictas partes, in Nos amicabiliter facti, rogato per acta Sancti Floridi Notarii &c. ad quod in omnibus, & per omnia volumus haberi rationem.

Partibus prædictis pluries auditis, & maturè conſideratis omnibus, tam in jure, quàm in facto per eos hinc inde deductis, viſiſque omnibus videndis &c.

CHRISTI NOMINE INVOCATO per hoc noſtrum Laudum declaramus, pronunciamus, in omnibus & ſingulis Proceſſionibus, quas pro tempore fieri contigerit in dicto Loco, ſeu Terra Vineolæ, & ad quas convenient prædicti Fratres de Obſervantia, & Fratres Capucini, præcedentiam & digniorem locum debitum fuiſſe, & deberi Fratribus Capucinis, tanquam in dicta Terra antiquioribus, & prius receptis ipſis Fratribus de Obſervantia, quos propterea condemnamus, ut in poſterum perpetuis futuris temporibus permittere, & pati teneantur, ut Fratres Capucini in dicto Loco Vineolæ pro tempore exiſtentes, in dictis Proceſſionibus, ut ſupra, digniori loco incedant, & ſine ulla controverſia præcedant Fratribus de Obſervantia, in eodem loco pariter pro tempore exiſtentibus. Mandantes inſuper ipſis Fratribus de Obſervantia, ac dicto Commiſſario de Curia, & quibuſcumque illius, in eodem Officio futuris ſucceſſoribus, ne in poſterum dictos Capucinos ſuper prædictis judicialiter, vel extrajudicialiter, vel per ſe, vel per alium, quovis modo moleſtare præſumant, ſuper quibus iiſdem perpetuum ſilentium imponimus, & ita laudamus, & declaramus, & pro-

pronuntiamus, non ſolùm prædicto, ſed omni meliori modo. Datum die 24. Octobris 1628.

Frater Vincentius Romanus Romanæ Curiæ Commiſſarius Generalis aſſentior.
Frater Deodatus Bononienſis Socius Adm. R.P. Procuratoris Generalis, Capucinus.

Ita pronuntiavi de Conſenſu Partium.

C. Card. Madrutius.

Locus ✠ Sigilli.

Patritius Donatus Auditor.

Ego Fr. Lucas de Roma Diffinitor Minor. Obſerv. Rom. Provinciæ vidi Scripturas differentiæ PP. Capucinorum, & PP. de Obſervantia, & dijudicavi eſſe explendum, ut eſt decretum.
Ego Fr. Lucas à Roma manu propria.

Ego Fr. Theodoſius Romanus Provinciæ Romanæ Pater Controverſias inter PP. Capucinos, & Patres de Obſervantia ortas, maturè conſideravi, &, ut decretum eſt, judicavi. In quorum fidem mea manu ſubſcripſi. Die 22. Octobris 1628.
Ita eſt ego Fr. Theodoſius ſupra dictus.

Modò Procurator Generalis Capucinorum humiliter ſupplicavit Illuſtriſſimis DD. VV. ut dignentur confirmare Laudum Illuſtriſſimi Domini Cardinalis ſupradicti.

Illuſtriſſimo Cæſarino referente Laudum ſive Concordiam initam inter Capucinos, & Minores Obſervantes circa præcedentiam in Proceſſionibus Loci Vineolæ Potentinæ Diœc. coram bon. me. Card. Madrutio, Sacr. Rituum Congregatio approbavit, & confirmavit die 18. *Auguſti* 1629.

Fulvius de Fulviis Secret.

N O T A.

Longo tempore non fruebantur Fratres noſtri, Laudi hujus effectu, quin anno 1639. novâ quærelâ pro hujus manutentione ſupplicare debuerint, in illorum favorem Sac. Congregatione Rituum reſpondente, ut ſequitur:

Potentina.

Capucini Terræ Vineolæ, aſſerentes ſe eſſe in poſſeſſione præcedendi in publicis Proceſſionibus Fratres S. Franciſci de Obſervantia ejuſdem Terræ juxta Laudum aliàs datum per bon. me. Cardinalem Madrutium, ſupplicârunt manuteneri, & Sacra Congregatio reſpondit, quod utantur jure ſuo hoc die 7. *Maii* 1639.

Julius Cincius Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. Menſ. & Anni præd. fol. 105.

Oportuit crambem recoquere, & tertio recurſu pro confirmatione juris inſiſtere: ita luculentum hoc reperit Sacra Congregatio, ut noviter decreverit . . . . .

Potentina.

Relatâ ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Coſtaguto in S. Rit. Congregatione controverſiâ inter PP. Capucinos ex una, & PP. Obſervantes Conventûs S. Michaelis Archangeli loci Vineolæ Diœc. Potentinæ ex altera Partibus ſuper jure præcedendi, Eadem Sacra Congregatio viſis, & auditis juribus utriuſque partis tam in ſcriptis, quàm in voce deductis, præcedentiam PP. Capucinis competere cenſuit. Et ita decrevit, & ſervari mandavit die 7. *Maii* 1695.

A. Card. Cybo Præfectus.

B. Inghiramue Secret.

Ex Reg. Secretariæ Congreg. Menſ. & Anni præd. fol. 282.

Pro

Pro perficienda nonnullarum Domuum clauſura, ſitum alienari, Archiepiſcopo Salernitano committit.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Salernitano.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Miniſter Provincialis Provinciæ Baſilicatæ, Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum multæ domus, ſeu regularia loca ejuſdem Ordinis muris cingere, ac in hujuſmodi opere pro clauſuræ perfectione aliquam ſitûs quantitatem alienare, ſive cum alio commutare neceſſe ſit, Miniſter Provincialis prædictus ſibi per Nos deſuper, ut infra, opportunè provideri, ſummopere deſiderat: Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ejus votis hujuſmodi annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Miniſtrum Provincialem hujuſmodi ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ, eidem Miniſtro Provinciali, ut ad effectum præmiſſum, eam ſitûs quantitatem, quam propterea neceſſariam fore judicaveris, alienare, ſive cum alio ſitu commutare liberè, & licitè valeat, auctoritate noſtra Apoſtolica arbitrio tuo concedendi facultatem, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VIII. Januarii MDCXXX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Menſ. & Anni prædictorum fol. 361.

EPISTOLA

Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regular.

Eremitas in locis Abbatiæ S. Angeli in Vultu degentes, aut Religionem approbatam ingredi, aut Habitum Eremiticum ab iis deponi, Archiepiſcopo Nazarethenſi committitur.

A tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Nazareth.*

Illuſtris, & Reverendiſſime Domine, uti Frater.

EMinentiſſimi Domini Cardinales auditâ relatione Amplitudinis Tuæ ſub 26. Martii proximè elapſi circa undecim Eremitas, in locis Abbatiæ S. Angeli in Vultu in territorio Melphienſi degentes, & auditis iis, quæ Sac. Congregationi ab Epiſcopo Melphienſi, & ejuſdem Civitatis Magiſtratu circa deſiderium, quod tenent, ut iiſdem Eremitis in prædictis locis commorari indulgeatur, ſcripta fuerunt, Amplit. Tuæ committendum ſtatuerunt, prout faciunt, ut iiſdem Eremitis brevem præfigat terminum ingrediendi Religionem approbatam, in qua benevolos invenient receptores. Sique hoc, non exequantur, opportunis remediis ad Habitum Eremiticum deponendum, & ad receſſum à memoratis locis conſtringat. Procuret itaque Amplit. Tua, ut totum executioni mandetur juxta mentem EE. Patrum, qui harum vigore omnem neceſſariam tribuunt auctoritatem, & Deus Eam ſemper conſervet. Romæ 2. Junii 1634.

Amplit. Tuæ

Affectuoſiſſimus uti Frater

M. Card. Ginnettus.

A. Torniellus.

Ex Regeſt. Secretariæ Congreg. Menſis, & Anni prædictorum.

Fratres in Conventu Marſici novi variis Dœmonum illuſionibus vexatos, poſt peracta præſcriptæ pietatis opera ab omni cenſura &c. Auctoritate Papali abſolvi, eoſque & Conventum, delatâ per hunc S. Cruce benedici, Epiſcopo Loci vel ejus Vicario Generali committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Marſicano ſeu Dilecto Filio Vicario ejus in Spiritualibus Generali.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nuper Nobis fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domûs Regularis Fratrum Ordinis S. Franciſci Minorum Capucinorum nuncupatorum Terræ de Marſico novo Marſicanenſis Diœceſis, quod Novitii, & alii Fratres, etiam Profeſſi dictæ Domûs Regularis variis Dœmonum illuſionibus cum magna omnium perturbatione vexantur. Quare ob aliquas excommunicationis ſententias à ſe, vel ab aliis dictæ Domûs Regularis Fratribus antea ignoranter incurſas, id ſibi evenire dubitantes, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Guardianum, & Fratres prædictos, ac alios in dicta Domo Regulari degentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ſi, & poſtquam Guardianus, & Fratres, ac alii præfati tribus diebus unius hebdomadæ à Te illis ſtatuendæ jejunaverint, & expleto jejunio hujuſmodi, prævia Sacramentali Confeſſione ſequenti Dominica Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & iis, quibus de jure tenentur, ſi qui ſint, ſatisfecerint, ipſos, & eorum quoslibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, etiam in Literis die Cœnæ Domini legi ſolitis, contentis, per eos ignoranter incurſis tantùm, ſine tamen alicujus præjudicio, in utroque foro authoritate Noſtra Apoſtolica, hac vice duntaxat abſolvas, ac Domum Regularem, ac Guardianum, & Fratres, ac alios prædictos ex parte Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, & Noſtra benedicas, ſeu benedici cures, ac Dœmonibus prædictis in virtute S. Crucis, quam per dictam Domum Regularem deferes, jubeas, ne amplius Fratres, & alios præfatos vexent, & à dicta Domo Regulari ſubitò fugiant. Præterea eiſdem, qui, ut præfertur, jejunaverint, & confeſſi, ac contriti Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino, Authoritate Noſtra prædicta ea vice duntaxat elargiaris; ac Confeſſario, ex approbatis ab eorum Superioribus, per eos, qui ob ætatem, vel infirmitatem, aut aliud legitimum impedimentum, ut præfertur, jejunare non poterunt, eligendo, facultatem commutandi illis onus jejunii hujuſmodi in alia pietatis opera, quæ adimplere valeant, impartiaris; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Aprilis MDCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum menſ. & anno prædictis.

EPI-

EPISTOLA

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Hoſpitium à RR. PP. Obſervantibus in Terra *Caſtel - grande* nuncupata, non attenta Litis pendentia erectum, claudi, & partium inſtantias S. Congregationi tranſmitti, ad inſtantias Fratrum Conventûs Muri, Epiſcopo committitur.

Illuſtris & Admodum Reverende Domine uti Frater.

CUm PP. Capucini ibidem expoſuerint, quod non obſtante Lite pendente, & in hac S. Congregatione introducta, Minores Obſervantes defacto Hoſpitium in Terra Caſtelli-grandis erexerint, EE. Domini mei ſtatuerunt, ut Amplitudo Tua omni modo Hoſpitium prædictum claudi diſponat, nec quid innovari ſinat, inſtantiaſque partium EE. Patribus tranſmittat. Quod dum ſignifico, Deus &c. Romæ 15. Julii 1650.

Amplit. Tuæ

M. Card. Ginettus.

L. Archiep. Patracen. Secret.

Ex Regeſto Secret. Sac. Congreg. menſ. & anni præd.

NOTA.

EXecutio Ordinis S. Congregationis cum diutius fuiſſet protracta, fuit illa Vicario Generali Epiſcopi inculcata replicatis, & ſequentibus litteris:

Ordinatum jam fuit Epiſcopo à Sacra Congregatione, ne fundationem novi Conventûs à PP. Obſervantibus Reformatis in Terra Caſtel - Grande *dicta intentatam, ullo modo permittat, & econtra Hoſpitium eorum jam apertum claudi mandet, inſtantiis illorum ad Sacram Congregationem remiſſis. Jam verò, cum PP. Capucini novo recurſu exponant, quod prædictum Sac. Congregationis mandatum non fuerit executioni datum, ex eo, quod PP. Reformati in incepta erectione perſiſtant, Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Tibi ſcribi mihi commiſerunt, ut dictum Mandatum exequaris, de quo dum &c. Romæ* 27. *Januarii* 1651.

Ex Regeſto Secretariæ Sac. Congreg. menſ. & anni præd.

DECRETO

S. Congreg. Rituum.

Manutentionem præcedentiæ in loco Ferrandinæ Fratribus deberi, contra RR. PP. Reformatos declaratur.

MATHERANENSIS.

PRopoſito ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale de Judice in Sacra Rituum Congregatione dubio, ſuper controverſia præcedendi inter PP. Reformatos de Ferrandina Matheranen. Diœceſis ex una, & PP. Capucinos ejuſdem loci, ex altera partibus excitatâ, nempe, an Patribus Capucinis debeatur manutentio præcedentiæ? ſin minus, cui debeatur, præcedentia in caſu?

Eadem S. Rituum Congregatio, viſis, & auditis juribus ab utraque parte informante, tam in ſcriptis, quàm in voce deductis, & præſertim relatione Rmi Archiepiſcopi Matheranen., cui pro informatione ſcriptum fuit, cenſuit manutenendos eſſe Patres Capucinos, & ita decrevit ac ſervari mandavit die 7. *Maji* 1695.

A. Card. Cybo

B. Inghiramus S.R.E. Secret.

Ex Reg. Secr. Congreg. menſ., & anni prædict. fol. 280.

NOTA.

FUit autem 1737. ſuſcitata nova lis, ex eo, quod Vicarius Generalis Matheranen. edidiſſet Decretum, quo PP. Reformatos in jure putatitio celebrandi feſtum S. Patris 4. Octobris, & quidem privativè quoad Capucinos, firmavit, & rationes illorum in petitorio reſervavit. Agnoſcentes autem Patres noſtri caducitatem talis Decreti, Diſpoſitioni legali, & pluribus aliis Sac. Congregat. Decretis contrarii, ad Sacram Congregationem appellârunt, quæ decidit, ut ſequitur:

Mathe-

Matheranenſis.

Inter PP. Capucinos Oppidi Ferrandinæ ex una – & PP. Minores Reformatos ejuſdem Oppidi Diœc. Matheranen. ex altera – partibus ſuper celebratione feſti S. Franciſci de Aſſiſio die 4. *Octobris ortis controverſiis, illiſque ad Sac. Congregationem delatis, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Belluga infraſcriptum dubium inter Partes concordatum declarandum propoſuit:*

An Patres Capucini Oppidi Ferrandinæ poſſint celebrare feſtum Sancti Franciſci de Aſſiſio die 4. *Octobris cum oratione panegyrica da manè in caſu &c.*

Et Sacra eadem Congregatio reſcribendum cenſuit – ad eundem Eminentiſſimum Ponentem juxta mentem, quæ eſt, ut feſtum ab utriſque celebretur, & quoad panegyricum ſervetur alternativa, ita ut eodem Sancti Franciſci feſto, primò anno Patres Capucini habeant Panegyricum manè, & PP. Reformati de ſero, & ſecundo anno econtra PP. Reformati de manè, & PP. Capucini de ſero, & ſic alternatim perpetuò ſervetur. Romæ die 20. *Septembris* 1738.

Card. Zondadari Pro-Præfectus.

T. Cervini Secret.

Ex Regeſto Secretariæ Congreg. menſ., & anni præd. fol. 489.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Fratres circa erectionem Hoſpitii in Terra *delli Bonati* nuncupata moleſtari prohibetur.

IN Cauſa Policaſtrenſi vertente inter Patrem Provincialem Provinciæ Baſilicatæ Ordinis Capucinorum ex una, & Patres Minimos Conventûs Terræ, vulgò *delli Bonati*, ejuſdem Diœceſis partibus ex altera de, & ſuper Erectione Hoſpitii prope Mare ejuſdem Terræ per PP. Capucinos terminandâ.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Policaſtrenſis, partibuſque ipſis auditis, referente Eminentiſſimo S. Clementis, cenſuit, ac decrevit in caſu, de quo agitur, dictos PP. Capucinos non eſſe moleſtandos. Romæ 18. *Novembris* 1701.

Card. Carpineus.

Ex reg. autog. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

SENTENTIA

Judicis Ordinarii Reverendę Fabricę Sancti Petri.

In cauſa Salernitana pii Legati à quondam Fabritio Pinto Fratribus noſtris ejuſdem Civitatis in perpetuum relicti, RR. PP. Thereſiani Diſcalceati Hæredes, Decretum S. Congreg. Rev. Fabricæ univerſaliter in hujuſmodi materia editum exequi, & Fratribus dictum Legatum ſolvere jubentur.

Chriſti Nomine invocato &c.

IN cauſa, & cauſis &c. inter Rev. Fabricam S. Petri actricem ex una, ac RR. PP. Diſcalceatos S. Thereſiæ Civitatis Salerni hæredes teſtamentarios quondam Fabritii Pinto reos conventos &c. de — & ſuper executione Decreti Rev. Fabricæ emanati die 14. Februarii 1633. ac Decretorum Sac. Congreg. Concilii die 12. Junii 1704. ac Sac. Congregat. Reverendæ Fabricæ reſpectivè emanatorum ſub diebus 20. Julii 1707. & 9. Februarii 1708. ſuper obſervatione ejuſdem Decreti Rev. Fabricæ &c. rebuſque &c. dicimus, & ſententiamus firmis remanentibus Mandato, ſeu Mandatis executivis pro executione Decretorum reſpectivè relaxatis, ac illorum obſervatione, PP. Thereſianos reos conventos ad executionem præfatorum Decretorum teneri, & obligatos

eſſe ſolvere annuum Legatum per viam eleemoſynæ relictum per dictum Fabritium Pinto in ultimo, ſub quo deceſſit, teſtamento rogato &c. RR. PP. Capucinis, RR. PP. S. Laurentii, RR. PP. S. Nicolai, Religioſis D. Franciſci dictis de Obſervantia, & Strictioris Obſervantiæ reſpectivè ejuſdem Civitatis in omnibus, & per omnia ad formam Decreti Rev. Fabricæ S. Petri, & non aliàs, aliter, nec alio modo. Adeoque redditionem rationis de bonis hæreditariis dicti quondam Fabritii Pinto, ac de fructibus illius hæreditatis, uti inſufficientem, injuſtam, & inhabilem, non obſtitiſſe, neque obſtare ad effectum impediendi executionem dicti Mandati, ſeu Mandatorum per Nos relaxatorum, victoſque victrici, etiam in expenſis condemnamus &c.

Publicata 12. Auguſti 1709.

F. Sinibaldus de Auguſtinis Not.

Autog. in Arch. Provinciæ.

N O T A.

Cauſam hanc non ſine ſtrepitu, & expenſis per integros annos in diverſis Romanæ Curiæ Tribunalibus agitaram, & ventilatam, fusè & integrè deſcriptam invenies in noſtro Jure Deciſo Marcellini de Lucia fol. 138. Decretum autem generale Congregationis Reverendæ Fabricæ in materia piorum Legatorum editum, & ab hæredibus teſtamentariis obſervandum, exhibet Tomus Bullarii ſecundus fol. 248.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.

Fratribus facultas redeundi ad derelictum prius Conventum Senyſii datur.

Eminen. ac Revmi Domini.

Provincialis, & Religioſi Capucini Provinciæ Lucaniæ EE. VV. reverenter exponunt, quod annis præteritis ob victûs penuriam, aeris inſalubritatem, aliaque digna motiva Conventum, ſeu Domum Senyſii Dioec. Anglonen. derelinquere fuerunt coacti. Cum autem impræſentiarùm hæ cauſæ ceſſaverint, & Oratoribus Conventum apertum tenere ex eo interſit, quod in longa diſtantia, diverſorium occaſione itineris in illis partibus non habeant; EE. VV. humiliter ſupplicant pro facultate redeundi ad habitationem in prædicto Conventu, prout ab incolis ob ſpiritualia eorum commoda (cum alii Regulares in illa vicinia non inveniantur) enixè quoque petitur. Quam &c.

Sacra Congregatio Emorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinal. negot. & conſult. Epiſcop. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Anglonen. referente Eminentiſſimo Caſono, benignè commiſit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, petitam facultatem redeundi in poſſeſſionem enunciati Conventûs, à non multo tempore derelicti ad formam à Conſtitutionibus Ordinis præſcriptam pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur. Romæ 4. Decembris 1716.

F. Card. de Abdua.

V. Arch. Damaſc. S. C. Secret.

Ex Regeſt. Secret. Congregat. Menſ. & Anni prædict.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.

A Menſa Epiſcopali Tricaricenſi, Infirmariæ Fratrum ibidem annuatim 15. ducatos ſolvi, & reſponſiones non ſolutas reſarciri debere, ſtatuitur.

In Cauſa Tricaricen., ſeu Ordinis S. Franciſci Capucinorum Annualitatis ducatorum quindecim ſolvendorum quolibet anno pro uſu Infirmariæ, propoſita fuerunt infraſcripta dubia:

An Menſa Epiſcopalis Tricaricen. teneatur ſolvere ducatos quindecim quolibet anno Infirmariæ PP. Capucinorum ejuſdem Civitatis in caſu, quo agitur, & quatenus affirmativè?

An eadem Menſa, ſive ejus OEconomus perſolvere teneatur reſponſiones decurſas, & non ſolutas ab anno 1690. uſque ad currentem diem in caſu?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſis relationibus Eminentiſſimi Archiepiſcopi Beneventani, ac Vicarii Capitularis Tricaricen. Partibus auditis & informantibus, Referente Eminentiſſimo Corſino

Cortino ad utrumque reſpondit Affirmativè. Romæ 13. Auguſti 1717.

F. Card. de Abdua.

V. Arch. Damaſc. Secret.

Ex Regeſt. Secret. Congreg. Menſ. & Anni prædict.

SENTENTIA APOSTOLICA.

RR. PP. Obſervantes Terræ Tramutulæ, Decreta Sac. Congregationis Epiſcop. & Regul. in cauſa, & jure quæſtuationis in dicta Terra Tramutulæ &c. ac loco *la Bonatore* nuncupato ad favorem Fratrum noſtrorum Civitatis Marſici emanata exequi jubentur.

Proſper Columna, Prothonotarius Apoſtolicus, Utriuſque Signaturæ SSmi Domini Noſtri Papæ Referendarius, Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, ab eodem SSmo Do*mino Noſtro Papa ſpecialiter electus, & deputatus.*

UNiverſi, & ſinguli hoc præſens publicum ſententiæ Inſtrumentum viſuri, lecturi, pariter audituri noverint, qualiter vertente lite, & Cauſa inter RR. PP. Capucinos Civitatis Marſici ex una, & RR.PP. Minores Obſervantes dictos de Tramutola partibus ex altera, ſub infraſcripta die, noſtram tulimus definitivam ſententiam, tenoris ſequentis, videlicèt:

CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de Iuris Peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in Cauſa, & Cauſis, quæ coram Nobis, primo, & in prima, ſeu alia veriori verſæ fuerunt, & vertuntur, Inſtantia inter RR.PP. Capucinos Civitatis Marſicæ Conventûs Actores ex una, & RR. PP. Minores Obſervantes Conventûs S. Mariæ *del Carmine* dictos de Terra Tramutulæ Reos conventos partibus ex altera, de, & ſuper obſervatione, & excutione Decretorum, & Reſolutionum Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium emanatarum, ad favorem dictorum Patrum Capucinorum, ad relationem Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Prioli, & Fabroni, ſub die 22. Auguſti 1721., & undecima Martii 1723. ſeu &c. ſuper libero jure quæſtuandi tam in Terra Tramutulæ, quàm in ejus Territorio, ac in Territorio Marſicano, ac in Terris poſſeſſis, & cultis per Cives Tramutulanos, & jure quæſtuandi Linum, Canapem, aliaſque res in loco dicto *la Bonatore*, ac ſuper purgatione attentatorum, nulliter, injuſtè, & indebitè per dictos PP. Obſervantes contra formam, & in ſpretum dictarum Reſolutionum Sacræ Congregationis commiſſorum; Nobis per R.P. Dominum Auditorem Sanctiſſimi, cum Decreto ſub die 25. Septembris 1722. emanato demandata, rebuſque aliis in actis Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latius deductis. Dicimus, declaramus, pronunciamus, & definitivè ſententiamus, niſi infra viginti dies, computandos à die intimationis hujus noſtræ ſententiæ faciendæ R. P. Guardiano, aut alteri Superiori locali dicti Conventûs Obſervantiæ, realiter & cum effectu iidem PP. Obſervantes paruerint eiſdem Reſolutionibus Sacræ Congregationis, noſtro Monitorio pro illarum obſervatione expedito, & præſenti noſtræ ſententiæ, ac legitimè renunciaverint omnibus, & ſingulis actibus, nulliter, injuſtè, violenter, & attentatè geſtis, tempore, quo PP. Capucinorum Quæſtores, ad abſolvendas in præfato loco dicto *la Bonatore* quæſtuationes Lini, & Canapis acceſſerunt, adverſus eoſdem Quæſtores; ex nunc, prout tunc in excommunicationem, aliaſque cenſuras, & pœnas in eodem noſtro Monitorio contentas, & comminatas, ob illorum non paritionem damnabiliter incurriſſe, & incidiſſe, ipſoſque ſic excommunicatos, & declaratos publicè denunciandos, & ab omnibus Chriſtifidelibus rectius evitandos, literaſque declaratorias deſuper neceſſarias, & opportunas decernendas, & relaxandas fore, & eſſe, prout decernimus, & relaxamus, & evitari mandamus, Victoſque Victoribus, in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de jure, in poſterum reſervamus; & ita dicimus, declaramus, pronunciamus, & definitivè ſententiamus, non ſolum hoc, ſed omni &c. Ita pronunciavi: Ego Proſper Columna Auditor Cameræ. Quamquidem præinſertam ſententiam, omniaque, & ſingula in ea contenta, & expreſſa quæcumque illa Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis, ac veſtrûm cuilibet in ſolidum, tenore præſentium, intimamus, inſinuamus, ſignificamus, & ad veſtram notitiam deducimus, deducique volumus, & mandamus per præſentes; ne de præmiſſis ullo unquam tempore ignorantiam aliquam præſumere poſſitis, ſeu allegare valeatis. Taliter &c. Dat. Romæ ex Palatio M.C. Innocentianæ in Monte Citatorio hac die 31. Maii 1723. D. Paparotius A. C. N.

Autograph. in Arch. Provinciæ.

DE-

D E C R E T O.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Nova methodus Gubernii Provincialis approbatur &c.

CUM Frater Maximilianus à Wanghena per utramque Siciliam Commiſſarius, & Viſitator Generalis Provinciam Lucaniæ viſitaret, juſſus eſt Decreto S. Congregationis prædictæ ſub 15. Aprilis 1734. emanato, eidem S. Congregationi proponere medium ipſi bene viſum pro formando meliore Gubernii Provincialis ſyſtemate, qui menti, & ſacro Mandato obtemperans, abſoluta jam viſitatione Provinciæ, auditiſque in voce, & in ſcriptis omnibus, & ſingulis, tam Salernitani, quàm Materenſis Præſidiatûs Patribus Provinciæ actualibus, & habitualibus, conſideratiſque, ac maturè perpenſis omnibus de jure, & ratione conſiderandis, & perpendendis, ſolum Deum, Religionis decorem, commune Provinciæ bonum, ſuamque conſcientiam, ac Religioſorum ſibi ſubditorum ſalutem præ oculis habens, ad pacem Religioſam firmandam medium idoneum, imò ſolum, & unicum exiſtimavit, ut ſacer Conſeſſus ſequentia puncta auctoritate ſua confirmet, ac inviolabiliter obſervanda decernat.

I. Cum ad tenorem regulæ noſtræ Seraphicæ, in Conſtitutionibus, & ordinationibus generalibus Ordinis optimè proviſum, & in tota Religione perpetuo uſu, & conſuetudine receptum ſit, ut quælibet Provincia, ſalva reali unitate, & abſque ulla, ſive materiali, ſive formali diviſione in plures cuſtodias diſtinguatur, quarum cuilibet in comitiis Provincialibus de idoneo Cuſtode provideri ſolet, qui in loco ſuo Cuſtodiali reſidentiam faciens, & in Fratres ſuæ Cuſtodiæ ordinariam juriſdictionem exercens, majorem vel minorem, prout uſus Provinciarum tulit, vel à Miniſtris Provincialibus ampliari, aut reſtringi conſuevit, in iis caſibus ſua auctoritate providere debet, in quibus Miniſter Provincialis, vel ob vaſtitatem Provinciæ, vel ob viſitationis curſum præſtò adeſſe, & opportunum remedium ferre non poteſt, ideo Commiſſarius, & Viſitator Generalis bonum, & opportunum cenſet, ut hæc ipſa Provincia ſalvâ unitate, & excluſâ omni tam materiali, quàm formali diviſione in tres Cuſtodias diſtinguatur, videlicet in *Salernitanam*, *Potentianam*, *&* *Saponarenſem*, aſſignando cuilibet 14. Conventus, nimirum

Cuſtodiæ Salernitanæ Conventus, vulgò *Salerno*, *Caſtiglione*, *S. Cypriano*, *Giſſoni*, *Monte Corvino*, *Evoli*, *Campagna*, *S. Menna*, *Muro*, *Picerno*, *Sicignano*, *Vietro*, *Polla*, *e Sala*.

Cuſtodiæ Potentianæ Conventus, vulgò: *Potenza* S. Carlo, *Potenza* S. Antonio, *Vignola*, *Abriola*, *Marſico*, *Seniſi*, *Turſi*, *Monte Albano*, *Ferrandina*, *Grottole*, *Iricarico*, *Monticchio*.

Cuſtodiæ Saponarenſi Conventus, vulgò, *Saponara*, *Vallo*, *Centola*, *Camarota*, *Monte Sano*, *Perdifumo*, *Lago negro* S. Maria, *Lago negro* S. Franceſco, *Caſtelluccia*, *Ottati*, *Piaggine*, *Lauria*, *Maratea*, *Caſtel Saraceno*, cum benigno mandato, ut quilibet ex Cuſtodibus, de quibus in Capitulis Provincialibus proviſio fieri conſuevit, in loco ſuæ Cuſtodiæ, nimirum Salerni, Potentiæ, & Saponaræ, vel ſaltem intra ſuam Cuſtodiam reſidere, ſuumque officium, juxta Conſtitutiones, & Ordinationes generales Ordinis fideliter exercere teneatur, uti ſupra.

II. Quamvis à Spiritu FF. Minorum, in paupertate, & humilitate fundato multùm aliena eſſe deberet illa diſceptatio, *quis eorum videatur eſſe major?* indeque electiones Alternativæ in Seraphica noſtra Religione, nec introduci, nec tolerari oporteret, eò quod juxta antiquos Canones, *qui præſtantior ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior eſt, ille eligatur. In cap. licet ergo* 15. ipſumque Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. efficaciter inde nos deterreat, dicendo: *Electores alienis peccatis communicantes mortaliter peccant, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, præfici diligenter curaverint*: quia tamen dolendâ nimis experientiâ conſtat, hanc Lucaniæ Provinciam ob varias cauſas ita commotam fuiſſe, ut Emi Patres malo opportunum remedium ferre cupientes ſapientiſſimè jam conceſſerint, ut poſitâ materiali diviſione in duas partes, Miniſter Provincialis alternativè ex una partium cum duobus Deffinitoribus ex utraque parte impoſterum eligatur,

Ideo, ſi prædicta Cuſtodiarum diſtinctio benignam approbationem meretur, Commiſſarius, & Viſitator Generalis in eo ſenſu foret, quod electio Miniſtri Provincialis alternativè de triennio in triennium ex una Cuſtodia fieret, ex qualibet verò aliarum Cuſtodiarum duo Diffinitores eligi deberent, ita, ut cuilibet Cuſtodiæ ſucceſſivè eadem ſors obtingat, neque una ſuper alteram ullo unquam tempore elevare ſe poſſit. Quæ gratia Religioſis hujus Provinciæ eò faciliùs poſſet concedi, cum inter illos non ſit, nec facilè eſſe poſſit magna & notabilis meritorum diverſitas, ita, ut quælibet Cuſtodia Viros alteri æquales naturaliter parturiat. Et quamvis noſtra Religio contra prætendentes ejuſmodi Alternativam apud S. Sedem Apoſtolicam, meritò ſemper ſe oppoſuerit, ea tamen in nonnullis principalioribus Italiæ Provinciis jam à pluribus annis viget in uſu,

uſu, & obſervantia inviolabili, ex ſola mutua, & privata Fratrum amicabili conventione; quæ tamen ratione juramenti de digniore eligendo, conſcientias Fratrum minùs ſecuras reddit, quàm ſi eadem Alternativa Decreto Apoſtolico firmata fuerit....

III. Cum Fratres Minores tanquam Peregrini, & advenæ in hoc mundo viventes ex præcepto S. Regulæ nec locum, nec aliquam rem ſibi appropriare poſſint, indeque ad omnem juris prætenſionem inhabiles, tam in habitatione locorum, quàm in ipſis rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis nihil habeant, niſi merum, & ſimplicem uſum revocabilem, ſequitur omnino, quod omnes, & ſinguli Conventus quoad talem uſum deberent eſſe & declarari, omnibus, & ſingulis Fratribus in hac Provincia Profeſſis pro ſemper, & ſemper communes, quia tali, & non alio animo omnes, & ſinguli ad S. Ordinem recepti, & in hac Provincia ad S. Profeſſionem admiſſi fuerunt, ut proinde Religioſi Præſidiatûs Materenſis per diviſionem, ſive materialem, ſive formalem, tali uſu privandi ſe multùm aggravandos.... non immeritò conquerantur; quia verò.... Idem Commiſſarius, & Viſitator Generalis EE. Veſtris repræſentare debet, unum ex fortioribus motivis, à nonnullis ad evincendam diviſionem, ſive materialem, ſive formalem in medium prolatis illud eſſe, quod hujus Provinciæ Religioſi, licèt ejuſdem Patris, & Matris Filii, & in modica hujus Regni parte uni eidemque Principi ſubjecta mutuò convivere vix queant, inde, quantumvis ejuſmodi aſſertio inter Viros Religioſos, & Seraphici Patris Filios, nullo modo tolleranda ſit, ſed potiùs caſtiganda tamquam legi divinæ, naturali, ac humanæ repugnans, prout in S. Viſitatione, ubi nonniſi à paucis audita fuit, omni poſſibili Spiritûs fervore correpta, & exprobata fuit. Nihilominus etiam huic prætenſo malo remedium aliquod dari poſſe videtur, ſi nimirum 14. Guardianis ex qualibet Cuſtodia eligendis Religioſi ex eadem Cuſtodia oriundi pro Familia aſſignentur, hiſque in ſua Cuſtodia ſex, vel octo Conventus ad incolatum permaneant, reliquis inter alias duas Cuſtodias æqualiter diſtributis. Ex quo eveniet, ut Fratres in qualibet Cuſtodia mixtim ſimul, & non commixtim convivėrent, donec ſenſim meliora ſapere, animoſque ſuos ad religioſam concordiam componere diſcant, exceptis tamen Studentibus, Novitiis, & Clericis, qui ob bonum Provinciæ commune potiùs commixtim poni, educari, & inſtrui deberent, quatenus ſimul ſe convivere debere, & diviſionis ſtimulos.... deperdere addiſcant.

IV. Cum circa incolatum Conventûs Salernitani inter iſtos Religioſos non minor ſit controverſia, & zelotypia, quàm circa ipſum Provincialatum, eò quod omnes fere totius Provinciæ Conventus ejuſdem ſubſidio indigeant, & tempore nundinarum, quæ Salerni quotannis celebrari ſolent, tam de ſacra ſupellectile, quàm de cibis eſurialibus ſibi ſoleant providere; jamque in Conſtitutionibus Ordinis proviſum ſit, ut pro Conventibus locorum Principaliorum, ubi bene viſum fuerit, ad removendam omnem ſuſpicionem, & ſiniſtrum judicium, collocentur Guardiani per ſcrutinium ſecretum, ideo ad conſervandam pacem conſultum videtur, ut eadem ipſa Alternativa, quæ fit intra Cuſtodias circa Provincialatum, fiat inter ipſas pariter circa Conventum Salernitanum, & Cuſtos Salernitanus de triennio in triennium ſemper aſſumatur ex illa Cuſtodia, quæ in Capitulo præcedenti Provincialatum tenuit, ita tamen, ut in Cuſtodes eligi non debeant, niſi RR. PP. actuales, vel habituales Provinciæ.

V. Cum in veſtitione Fratrum non ſervetur æqualitas.... videtur conſultum, & neceſſarium, ut elemoſynarum, ac pannorum applicatio, cura, & diſtributio non ſit penes ſolum Miniſtrum Provincialem, ſed penes hunc & penes PP. Cuſtodes ſimul & conjunctim, prout idipſum etiam in aliis Provinciis uſu venit, & ipſa S. Regula Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus ſimul ejuſmodi curam attribuat.

VI. Cum in tota Provincia nulla ſint Collegia publica, ne quidem pro ſtudiis humanioribus, excepto ſolo loco Salernitano, indeque Juvenes ad S. Habitum pro Clericis aſſumantur, ac ſucceſſivè ad Sacerdotium, ad Prælaturas &c. promoveantur, ſtudio ſufficienti haud inſtructi, ideo inevitabiliter neceſſarium videtur, ut Fratres Clerici inſtruantur in Litteris humanioribus, & in qualibet Cuſtodia unum ſaltem Theologiæ moralis ſtudium inſtituatur; ac inſuper, ut Fratres omnes, & ſinguli ad audiendas Fratrum Confeſſiones, vel deputatati, vel deputandi in qualibet viſitatione Miniſtri Provincialis parati ſint ad ſubeundum examen ſuper ſufficientia doctrinæ ad rectam, licitam, & ſecuram Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem requiſitæ.

VII. Cum in hac Provincia paſſim Novitii ad Ordinem recipiantur, nullâ habitâ attentione natalium, morum, & ſtudiorum, indeque maximum Provinciæ, & Regularis obſervantiæ detrimentum enaſcatur, ideo ad conſervandam etiam inter Cuſtodias æqualitatem, omnino conſultum, & neceſſarium videtur, ut aſpirantes ad Ordinem ſe perſonaliter præſentent, vel tempore Capituli Provincialis, vel in conſuetis Patrum Congregationibus, ibique à Patribus ſimul congregatis ſtudioſa diſquiſitio fiat de illorum natalibus, moribus,

ſtu-

ſtudiis, aliiſque qualitatibus requiſitis; ac tum demum receptio fiat de communi Patrum conſenſu, prout uſus pariter in multis aliis Provinciis laudabiliter obtinuit.

VIII. Cum unum ex majoribus ſciſſionis incitamentis eſſe dignoſcatur, quod RR. Patres tam actuales, quàm habituales, etiamſi Guardiani in actu non exiſtant, certos ſibi Conventus, quaſi in perpetuas Abbatias pro ſtabili reſidentia arrogent, ſimulque regimen Œconomicum ibidem prætendant &c. multiplicatio verò eorumdem Patrum ut plurimùm factiones adaugeat, & puritati Obſervantiæ Regularis notabile detrimentum cauſet, ideo ordinandum eſſe videtur, ut ejuſmodi abuſus omnino tollantur, & impoſterum in Miniſtros Provinciales, aut Definitores non eligantur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum annum laudabiliter in Religione compleverint, prout idipſum jam olim à P. Bernardo à Portu Mauritio Miniſtro Generali p. m. in viſitatione hujus Provinciæ ordinatum fuiſſe perhibetur.

Hæc ſunt, Eminentiſſimi Patres potiora media, quæ ad pacificandam hanc Provinciam Commiſſario & Viſitatori Generali idonea & opportuna eſſe videntur, quæque idem ipſe rectiſſimo & ſapientiſſimo S. Congregationis judicio vel approbanda, vel corrigenda, vel reprobanda totâ animi humilitate & indifferentia ſubmittit; aliis quibuſdam minoris momenti exigentiis in ſuis ordinationibus, quantùm Dominus ex alto conceſſerit, proviſurus, unà humillimè ſupplicando, ut prædictum Syſtema, ubi correctum, emendatum, & approbatum fuerit, Apoſtolica Auctoritate firmare, ejuſque perpetuam obſervantiam ſub gravibus pœnis &c. Religioſis præſentibus & futuris efficaciter demandare dignentur... Salvo ſemper &c.

Ex noſtro Conventu Campaniæ prope Ebulum die 29. April. 1734.

Fr. Maximilianus Commiſſarius, & Viſitator Generalis &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſcoporum & Regularium præpoſita, referente Eminentiſſimo Domino Cardinale Porzia Ponente cenſuit, ſupplicandum eſſe Sanctiſſimo pro approbatione Methodi pro gubernio Provinciæ Lucaniæ propoſitæ à Patre Viſitatore, & Commiſſario Generali utriuſque Siciliæ: nec non commendatæ à P. Miniſtro Generali, nihil in contrarium obſtante Decreto hujus Sacræ Congregationis ſub die 12. *Decemb.* 1732. *emanato Romæ* 7. *Maii* 1734.

Ex audientia Sanctiſſimi habita ab infraſcripto D. Secretario ſub die 8. *menſis Maii* 1734. *Sanctitas ſua ſupradictam Methodum benignè approbavit, & in poſterum omnino ſervari mandavit.*

Card. Franciſcus Barberinus Præf.

I. Archiep. Corinth. Secret.

Ex Reg. Secret. Congregat. menſ. & anni præd.



PROVINCIA RHEGIENSIS IN CALABRIA.

V*IX fama de noſtra Reformatione, Apoſtolicâ Auctoritate confirmata, in partibus Calabriæ perſonuerat, PP. Bernardinus à Rhegio, & Antonius à Randolis, quibus cum decem vel duodecim aliis Fratribus, RR. PP. Obſervantium cœtum linquere, & vitam ſolitariam juxta Minorum Regulam ducere, Apoſtolico Diplomate jam conceſſum fuerat, eidem, Romæ præſentes aggregari, à P. Ludovico à Foro Sempronio, tunc Vicario Generali ſupplicârunt. Reddidit hic & illos voti ſui compotes, & per publicum inſtrumentum in Annal. Bov. tom. 1. fol. 134. legendum* eos Calabriam accedere, ibique unà cum aliis ſe tam in Habitu, quàm reliquis actibus, ad Obſervantiam puritatis Regulæ FF. Minorum pertinentibus, Capucinorum Familiæ conformare, unumque ex eiſdem Provincialem Vicarium canonicè eligere juſſit. *In quorum executionem jam anno 1532. juxta hiſtoriam Ordinis, à P. Joanne à Terra nova compilatam, & Actis Sanctorum, quæ Bollandica appellamus tom.* IV. *menſ. Maij edit. Venetæ fol. mihi 285. col. 1. inſertam, Filogaſii in Monaſterio Patrum S. Dominici Fr. Ludovicus à Regio Provincialis electus eſt. Ex quo dum Coloniam Calabriæ tunc formiter in Provinciam erectam fuiſſe Scriptores Ordinis concludunt, illi quoque in qualitate Provinciæ primatum inter Provincias deberi conſectariò infertur, videturque æquitati conſona illa digreſſio, ac modeſta querela, quâ hæc Provincia in Calabriæ Sanctæ Tomo 2. fol. mihi 409. ſe pluribus Provinciis in Tabula Provinciarum Capitulari poſtponi disertè conqueritur, præſertim cum triplex titulus, quo Provinciis præcedentia, vel ex prioritate Conventuum, vel ex Prioritate erectæ Provinciæ, vel ex palmari de Religione merito diviſim adjudicari ſolet, collectivè huic ſuffragari videatur Provinciæ.*

Præter unionem, quâ exorientis Reformationis rationes inſigniter adjuvit, dedit & ei Viros divites in virtute, & quorum labores ac pietates generalis gubernii eos effecerunt digniſſimos. Fr. Sylveſter Hypponias, ſeu à Monte Leonis jam Anno 1593. Miniſter Generalis fuit renuntiatus, pluraque Decreta Ordini minus proficua abrogavit, & alia hujus decori aptiora, zelo ſubſtituit felici, in hoc poſt mortem infelix, quod geſta ejus prolixiore notâ poſteritati non fuerint commendata.

Fr. Bo-

Fr. Bonaventura à Rhegio, quem alii Provinciæ Picenæ Alumnum, alii autem illius Vicarium Provincialem duntaxat, & juxta me rectiùs volunt, jacta in Minorum Conventualium agro virtutis ſemina ad conſpicuum maturavit florem, Civitates Maceratenſem & Firmanam perniciosâ factione convulſas, tranquillæ pacis olivâ beavit, vim veneni ab hæretico clam ei propinati divinâ virtute contudit, futura ſpiritu prophetico prædixit, expletoque Procuræ Generalis munere Senogalliæ in tranſitu placidè in Domino quievit, cadavere, quod poſt ſextum obitûs annum adhuc integrum & incorruptum repertum eſt, ſub devota Cleri Sæcularis & Regularis proceſſione Scapetianum translato.

P. Jacobo à Suberato, magnæ Græciæ oppido, nativa prudentia, & regimen Provinciæ, & locum in conſeſſu Definitorii Generalis contulit, virtus ad extaſes ſublimavit, & ſignorum gloria ejus memoriam perennavit.

Aluit & hæc Provincia fœcundo ſemper ubere Filios virtute illuſtres, quorum amplum contextum exhibet Calabria Sancta, à F. Joanne à Cropano ſcriptim relicta, & noviſſimè de otii pulvere & tenebris ad lucem publici typi à F. Hilarione à Feroletto deducta, & quorum coronam concludit Servus Dei Fr. Antonius ab Olivado, Miſſionarius Apoſtolicus, cujus virtutem & prodigia Curia Epiſcopalis Squillacenſis Canonico proceſſu pro S. Altaris honore jamjam diſcuſſit.

Longiorem ſeriem illorum, qui Rempublicam Litterariam Libris illuſtrârunt, prætergredior, Lectoremque ad Scriptorum Ordinis Bibliothecam deſuper remitto.

Inſigniunt & hanc Provinciam potentes hujus ſeculi, qui fallacem fortunæ avitæ pompam Capucinæ paupertatis cucullo commutârunt. Inter hos enitet Fr. Bonaventura à Catanzario ex Marchionibus Cryptæ Aureæ de Ajerbis, ex Aragoniæ Sanguine, qui poſt majora Provinciæ Officia in Hiſpania, Gallia, & Italia Commiſſarii Generalis munus prudenti zelo exercuit, ſuique conſilii ac ſancti faſtidii (præter alios ex Gagliardorum, Angeleriorum, Poerorum &c. genere) ſequacem habuit Fr. Franciſcum Antonium à Monte-Leone, ex illuſtri Mottulæ Progenie, & Marchionibus Amati, & Baronibus Cucurrini &c. qui abdicato Vicariatu Generali, quo Metropolitanæ Eccleſiæ Rhegienſi præerat, Religioni noſtræ nomen, & varia typis opera dedit.

Fuit in ſuo primordio Provincia hæc, Calabra dicta, cum ulteriorem, citerioremque complecteretur Calabriam: in duas anno 1584. *ſciſſa fuit Provincias, quarum una citerioris — & altera ulterioris — Calabriæ nomina ſortitæ fuêre: illam jam Conſentinam, hanc verò Rhegienſem appellamus, quæ in duas Cuſtodias diviſa*

Nominat Conventus XXXV.
Hoſpitia II.

Vete-

Veterem Domum in Civitate Squillacenſi relinqui, ſitumque illius, & Eccleſiæ alienari indulget.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Squillacen. ſeu dilecto Filio ejus Vicario Generali.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Provincialis, & Fratres Ordinis Minorum Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Rhegien. in Calabria, quod, cum Domus, quam habitabant in iſta Civitate Squillacen. ſita eſſet in loco inſalubri, coacti fuerunt illam relinquere, & aliam Domum in loco ſalubrioris aeris ædificare cœperunt, ſed quia pecunias non habent, quibus poſſint ceptam fabricam perfici facere, cupiunt antiquam Domum, & Eccleſiam diruere, & cæmenta exinde ad novam fabricam tranſportari, ſitum verò Eccleſiæ, & Domus diruendæ alienari facere, ac pretium exinde recipiendum ſimul cum dictis cæmentis in novam fabricam convertere licitè poſſe. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut opportunam ad hoc licentiam ipſis concedere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorum ſupplicationibus inclinati, ac illos ſpecialibus &c. volen. & à quibuſvis &c. cenſentes, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut ſtantibus præmiſſis prædictam Eccleſiam paramentis, & Altaribus, necnon omni ſacra ſupellectile in ea exiſtentibus ad novam Eccleſiam hujuſmodi translatis, ac monumentis, & oſſibus mortuorum unà cum ſuperficie terræ alibi collocatis, erectaque inibi Cruce prophanes, & ad prophanos, non tamen ſordidos uſus reducas, & eiſdem Provinciali, & Fratribus Domum, & Eccleſiam antiquas dirui, & illarum cæmenta ad novam Domum, & Eccleſiam tranſportari, ſitum verò Domûs, & Eccleſiæ diruendæ per interpoſitas perſonas vendi, & alienari, ac pretium inde redigendum unà cum dictis cæmentis in dictam fabricam novæ Domûs, & Eccleſiæ converti faciendi, licentiam, & facultatem, Auctoritate Noſtra concedas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis Capucinorum etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIII. Auguſti MDCII. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Ex Regeſto authographo Secretariæ Brevium Apoſtolicorum menſe, & anno præd.

Altare Capellæ Conceptionis B.V. Mariæ in Eccleſia Domûs Caſtri Veteris, inſtante Julia Caraffa, Principiſſa Roccellæ, in perpetuum privilegiat.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus Indulgentiarum muneribus decoramus, ut Fidelium Defunctorum Animæ, Domini N. J. C., ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ, à Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem, per Dei miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam B. Mariæ de Prima luce Monaſterii Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, prope, & extra muros Terræ Caſtriveteris in Calabria Hyeracen. Diœceſis, ſimili hucuſque privilegio, ut accepimus, minimè decoratam, & in ea ſitam Cappellam Conceptioni ejuſdem B.M.V. dicatam, quæ à dilecta in Chriſto Filia nobili Muliere Julia Aragoniæ Caraffa, Principiſſa Roccellæ fuit ædificata, hoc ſpeciali dono illuſtrare, Auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ſupplicationibus ejuſdem Juliæ nomine ſuper hoc humiliter porrectis inclinati; Ut quandocunque Sacerdos aliquis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictam Capellam celebrabit, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ, per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur; ita, ut ejuſdem Domini N.J.C., ac B.V. Mariæ, Sanctorumque meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorii pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus; In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die XIV. Decembris MDCVII. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Scipio Cobellutius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Caſta-

Caſtanetum à Joanne Feriolo de Colaro cum perpetuo Miſſarum onere relictum vendi, & pretium in reſtaurationem novæ Domûs, & paramentorum converti concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rhegien., ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus generali.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut accepimus, aliàs de anno 1611. quondam Johannes Feriolus de Colaro in ſuo ultimo, quod condidit, & ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, quoddam Caſtanetum, valoris in proprietate triginta ducatorum, vel circiter, monetæ illarum partium Domui Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Rhegien. cum onere decem Miſſas... ſingulis annis in perpetuum celebrandi reliquerit, prædicta autem Domus reſtauratione, & ornamentis, & paramentis neceſſariis indigeat; Nos pro noſtro paſtoralis officii debito ejuſdem Domûs neceſſitatibus, quantùm cum Domino poſſumus, ſubvenire cupientes, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut Procuratoribus, ſeu Adminiſtratoribus dictæ Domûs prædictum Caſtanetum uni, vel pluribus perſonis plus offerentibus vendendi, & alienandi, pretiumque ex inde proveniens in reſtaurationem dictæ Domûs, ſive ornamentorum, aut paramentorum emptionem convertendi licentiam, auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, cum hoc tamen, quod Fratres dictæ Domûs quinquaginta Miſſas ſemel tantùm celebrare teneantur, & per celebrationem quinquaginta Miſſarum hujuſmodi voluntati ejuſdem Johannis ſatisfaciant, & ſatisfacere cenſeantur. Non obſtantibus voluntate prædictâ, quam in, & quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, nec non fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum, Die 1. Februarii MDCXIII. Anno octavo.

Scipio Cobellutius.

Ex Regeſto Secret. Brevium Apoſt. fol. 55.

Annibali Bottaro, in Conventu Seminaræ artem medicinæ, non obſtante ſuſcepto S. Presbyteratûs Ordine exercendi, uti prius, facultatem elargitur.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro Annibali Bottaro.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NOmine dilecti Filii Guardiani Domûs S. Mariæ Viſitationis nuncupatæ Seminaræ Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Miletenſis Diœc. Nobis nuper expoſitum fuit, quod ipſe, quò meliùs Fratrum ejuſdem Domûs adverſa valetudine laborantium neceſſitatibus conſultum ſit, Te artem medicinæ, in qua, ut aſſerit, Doctor exiſtis, ad uſum, & commodum eorundem Fratrum, prout hactenus magno Charitatis affectu feciſti, de cætero quoque, etiamſi in Sacro Presbyteratus Ordine ad præſens conſtitutus reperiaris, exercere poſſe, ſummopere deſiderat; quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Tibi de opportuna ad hoc licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Te in hujuſmodi pio opere confovere, ac ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, ut, licet in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutus ſis, ut præfertur, nihilominus medicinæ artem hujuſmodi, juxta tamen illius præcepta, ac erga Fratres prædictos duntaxat, exercere, nec non medicamenta, & alia neceſſaria, citra tamen membrorum inciſionem, & aduſtionem, præſtare liberè, & licitè abſque ullo cenſurarum, & pænarum Eccleſiaſticarum, aut irregularitatis incurſu poſſis, & valeas, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac, quatenus opus ſit, Domûs, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica

lica

lica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXIX. Aprilis MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

V. Theatin.

Exemplar in Archivo Ordinis Armario Provincia Rhegienſis.

EPISTOLA.

S. Congreg. Concilii.

Quartam funeralem à Fratribus Domûs Cathacenſis non ſolvendam eſſe, Archiepiſcopo ibi reſcribitur.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

CUM S. Congregatio Illuſtriſſimorum Patrum Decretis Concilii Tridentini interpretandis præpoſitorum, aliàs declaraverit Decreto ejuſdem Concilii cap. 13. ſeſſ. 25. non comprehendi Monaſteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, præſuppoſito, quod ſint ejus Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut Quartam funeralium non teneantur ſolvere, Illuſtriſſimi Patres hanc Congregationis ſententiam amplitudini Tuæ ſignificatam eſſe voluerunt, ut eam ſtudioſè exequatur, atque exequi curet, & bene valebit in Domino. Romæ. 6. Kalendas Auguſti. 1626.

Coſmas Card. de Torres.

Franç. Paulutius Secret.

Ex Reg., ſeu Libro Epiſt. Sacræ Cong. præd. fol. 9.

NOTA.

EManàrunt & alia hujuſmodi Decreta in favorem Fratrum hujus Provinciæ, quæ licèt ſtante jam Conſtitutione b. m. Benedicti XIII. incipiente *Romanus Pontifex* deducendæ conſequentiæ non ampliùs legitimum in Italia præbeant exemplum, præſertim, ſi dicta Conſtitutio, ut aliqui opinantur, ad terminos juris communis reducta non ſit; In factorum tamen notitiam, quæ Ultramontanis Provinciis favet, apponuntur.

I. *In Terra Miſuracæ Diœc. S. Severinæ extat Conventus PP. Capucinorum, erectus Anno* 1574. *in Atrio Eccleſiæ aliquando Sæculares ſepulturæ traditi fuerunt, nunquam tamen diſceptatio, ſeu prætenſio Quartæ funeralis excitata, à nonnullis annis fuit in Eccleſia conſtructa ſepultura pro quadam Familia particulari, Parocho jam dictam Quartam prætendente.*

Inde S. Congregationi ſupplicatur declarari, an ex funeribus eorum, qui in Eccleſia dicti Conventûs ſepeliuntur, ſolvenda ſit Quarta funeralis?

Die 21. *Maii* 1678. *S. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpetrum cenſuit non eſſe ſolvendam Quartam.*

II. *In cauſa prætenſæ Quartæ funeralis vertente inter Epiſcopum Cotronenſ. ex una, & Patres Ordinis Capucinorrm ex altera Partibus.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot., & Conſult Epiſc., & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Cathacen. referente Eminentiſſimo Pio, cenſuit, ex deductis non deberi Epiſcopo prædictam Quartam funeralem, ac proinde Depoſitum eſſe conſignandum PP. Capucinis; Epiſcopo verò eſſe concedendas litteras remiſſoriales ad probandam conſuetudinem ſolvendi prætenſam Quartam, cum facultate recipiendi probationes contrarias. Romæ 4. *Aprilis* 1669.

Ex Regeſto S. Congregationis menſis, & anni prædictorum fol. 68.

EPI-

EPISTOLA.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Fratribus Cotronii Oleum Sacrum pro Conventu aſſervandum ſubminiſtrari, Epiſcopo loci imponitur.

Illuſtris, ac Reverendiſſime Domine uti Frater.

CUM Fratres Capucini illius Civitatis S. Congregationi dolenter expoſuerint, quod etiam per varias factas inſtantias Oleum Sacrum habere nequeant, quatenus juxta praxin in omnibus aliarum Civitatum, & Diœceſium, caſu ſuccedente, illo promptè uti queant, Eminentiſſimi Domini cauſam hujuſmodi moræ non capientes, Amplitudini Tuæ à me ſcribi ordinârunt, ut, ſi in contrarium cauſam non habeat relevantem, & illico Emin. Dominis aperiendam, non ſolùm illud Capucinis, ſed etiam omnibus aliis Regularibus ejuſdem Civitatis, & Diœceſis ſubminiſtret. Ita proin exequatur, & Deus eam conſervet. Romæ 10. Junii *1629.*

Affectuoſiſſimus
A. Cardinalis S. Onuphrii.

Archiep. Thebar. Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. anni, & menſ. præd. fol. 11.

Libros in Bibliotheca Domûs veteris Civitatis Rhegienſis poſitos, & ponendos, Fratribus utriuſque Domûs inibi pro uſu communes eſſe decernit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum novæ Domûs Regularis Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Rhegien. Nobis expoſitum fuit, quod ipſis valde neceſſe eſt, libris in Bibliotheca veteris Domûs Regularis Fratrum Ordinis, & Civitatis hujuſmodi repoſitis uti poſſe; Verùm, quia libros prædictos inde extrahere, vel auferre Apoſtolica Auctoritate ſub pœna excommunicationis prohibitum eſt, Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, quod præmiſſis non obſtantibus, libri in Bibliotheca prædicta repoſiti, & pro tempore reponendi, eorumque uſus, utrique Domorum Regularium prædictarum, ſeu earum Fratribus de cætero ſint, & eſſe debeant communes, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus prohibitione prædicta, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domorum, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die XXX. Septembris MDCXXXVII. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Exemplar in Archivo Ordinis Armario Provincia Rhegienſis.

Novam Domum in loco Montis Leonis antiquâ deſtructâ fundari indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Rhegien. in Calabria, quod ipſi novum Conventum dicti ſui Ordinis in Terra Montis Leonis Mileten. Dœceſ. conſtruxerunt, ſeu conſtrui fecerunt, veteri Conventu, quem inibi habebant, uti valde incommodo, derelicto, nec non veterem Conventum hujuſmodi, illiuſque Eccleſiam, quorum ruderibus, & cæmentis utantur, demoliri, illorumque ſitum vendi facere deſiderant, quò dicti novi Conventûs, in quo jam habitant, & in illius nova Eccleſia divinas Laudes, & Officia perſolvunt, neceſſi-

tatibus provideant; Quare Nobis iidem Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, ac aliàs, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Exponentibus, quod ipſi veterem Conventum prædictum, illiuſque Eccleſiam demoliri, illorumque ruderibus, & cæmentis uti, nec non ipſorum veteris Conventûs, & Eccleſiæ ſitum pro dicti novi Conventûs neceſſitatibus, ut præfertur, quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendere, ſeu vendi, & Cadavera Defunctorum in Eccleſia veteris Conventûs hujuſmodi ſepultorum inde ad Eccleſiam novi Conventûs hujuſmodi transferre, ſeu transferri facere liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventuum hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Auguſti MDCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Menſ. & Anni præd.

Capitulum Provinciale, in quo Frater incapax in Cuſtodem Capituli Generalis, & unus ex Sociis P. Miniſtri Generalis in Provincialem electi fuerant, annullat, aliudque Capitulum pro legitima electione convocari, Eminentiſſimo Cardinali Protectori committit.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro Antonio tit. S. Mariæ Trans Tyberim Presbytero Cardinali Sancti Honuphrii nuncupato, Majori Pœnitentiario, noſtro ſecundùm carnem Fratri Germano.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, in Capitulo Provinciali Provinciæ Calabriæ Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, per Dilectum Filium Miniſtrum Generalem ejuſdem Ordinis nuper celebrato, Idem Miniſter Generalis intervenire, & ad electionem Capitularem concurrere fecerit unum ex Fratribus dicti Ordinis, qui, uti Subornator vocis, illâ privatus erat, iſque in unum ex duobus Cuſtodibus, ac Socius dicti Miniſtri Generalis in Miniſtrum Provincialem dictæ Provinciæ contra inveteratum uſum dicti Ordinis, in quo Fratres in propriis Provinciis, & non in alienis ad officia concurrere conſueverunt, electi reſpectivè fuerint, aliaque inconvenientia in eodem Capitulo ſucceſſerint, ob quæ de validitate electionis duorum Cuſtodum in eo factæ meritò dubitatur, hinc eſt, quod Nos, ne in eadem Provincia duo Cuſtodes legitimi, qui interſint proximè celebrando ejuſdem Ordinis Capitulo Generali, deficiant, pro paſtorali Noſtra ſollicitudine providere volentes, Circumſpectioni Tuæ, qui Ordinis prædicti apud Nos, & Apoſtolicam Sedem Protector exiſtis, ut novum Capitulum Provinciale Provinciæ hujuſmodi ad effectum eligendi de novo duos Cuſtodes pro dicto Capitulo Generali, ut præfertur, celebrando convocare, ſeu convocari facere arbitrio tuo poſſis, & valeas, facultatem apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis &c. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Novembris MDCXLII. Pontificatus Noſtri Anno Vigeſimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secret. Brevium Apoſtolicorum menſ. & anno præd.

Ex Eccleſia Domûs Caſtri Veteris Paramenta, Vaſa &c. vel ex Bibliotheca Libros extrahi, aut commodari, ſub cenſuris, & pœnis vetat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi, & manutentioni Ornamentorum, & Paramentorum Eccleſiæ, ac Librorum Bibliothecæ Domûs Fratrum Ordinis

nis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Caſtriveteris, Hyeracenſis Diœceſis, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac Dilectum Filium modernum dictæ Domûs Guardianum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus præfati Guardiani Nobis nomine, ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ne de cætero quævis perſona, ſive Regularis, ſive Sæcularis cujuſvis gradûs, conditionis, qualitatis, & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacumque auctoritate, ſuperioritate, & officio fungens, etiam individuâ mentione digna, Vaſa, Calices, Candelabra, & alia Ornamenta, & paramenta Eccleſiaſtica, nec quamcumque Supellectilem, aut Libros, Quinterna, Folia, Scripturas tam impreſſa, quàm Manuſcripta hactenus per quoſcumque Chriſtifideles Eccleſiæ, & Bibliothecæ hujuſmodi donata, & aſſignata, quàm in poſterum forſan donanda, & aſſignanda, quibuſvis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu Locis piis, aut perſonis commodare, aut ſub quovis quæſito colore, cauſa, ratione, aut occaſione ex Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia, aut è Bibliotheca hujuſmodi reſpectivè extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, & extrahantur, & aſportentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua niſi à Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtitutus abſolvi poſſit; ac etiam quoad Regulares privationis Vocis activæ, & paſſivæ pænis per contrafacientes eoipsò abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Domûs, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento &c. cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentis prohibitionis copia in Valvis Sacriſtiæ, & Bibliothecæ prædictarum, vel alio proſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Julii MDCLII. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

Franciſcus Cajetanus.

Ex Regeſto Secret. Brev. Apoſt. Menſ. & Anno præd. fol. 457.

DECRETO

S. Congregationis Concilii.

Legatum pium Conventui Claræ vallenſi in perpetuum relictum, à ſponte dantibus recipi, non verò peti poſſe declaratur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Domini

PRovincialis Capucinorum Rhegienſis in Calabria EE. VV. humillimè exponit, qualiter à quondam Marcello Terræ Claræ vallis conditum fuit Teſtamentum, prout in adjuncta apparet Scriptura, & inter alia Legata, in eo expreſſa, reperitur & illud in Capucinorum favorem = *Item vult, ordinat, & conſcientiam gravando mandat Teſtator, ut Ludovica Tisbia ejus uxor, quamdiu vivere eam contingat, & dictus Joannes Baptiſta illius Nepos, hujuſque Deſcendentes, ut ſupra, quolibet anno in futurum, & in perpetuum ex communi, quamdiu Tisbia vixerit, quocumque octavo die Septembris, pro anima ſua, id eſt, Teſtatoris, ſex ſcuta pauperibus ad modum eleemoſynæ diſpenſent, quos pauperes ille ipſe eligit, & nominat PP. Capucinos in Conventu dicti Ordinis Terræ Claræ vallis commorantes, quorum Guardiano, ſeu Loci illius Syndico ea conſignentur, quatenus in nundinis Septembris tot Soleæ, ſeu Sandalia, quot iis neceſſaria videbuntur, ex illis comparentur, & Teſtator Orationum, Miſſarum, Mortificationum, quæ in illo loco dicuntur, & peraguntur, particeps reddatur. Hancque eleemoſynam quolibet anno erogari cupit effectivè, non obſtante quocunque impedimento, aut incapacitate, quam dicta Religio de illa non acceptanda haberet poſſet* = Cum autem Legatum hujuſmodi ſit perpetuum, & ideo dicti Patres ejuſdem incapaces, hinc, ſicut juxta Sanctæ Regulæ obſervantiam eidem renuntiant, ita P. Provincialis ſub omnium nomine EE. VV. humillimè ſupplicat, ut attentis tum paupertate, cum qua Capucini in illo loco vivunt, tum difficultate, quam circa eleemoſynas inveniendas pro ſoleis aliiſque rebus, quæ viâ mendicationis ibi haberi nequeunt, procurandis habent, tum expreſſivâ Teſtatoris intentione, ipſis dicta ſcuta per modum eleemoſynæ & modo, cujus ſunt capaces, concedere dignentur, quæ & pro charitate recipient, & Deum pro EE. VV. rogare non deſiſtent. Ut &c.

Sacra Congregatio cenſuit PP. Capucinos poſſe

poſſe recipere à ſponte dantibus hujuſmodi Legatum, ſed non petere.

D. Card. Barberinus.

L. S.

Dondorius Mamnas Secret.

Autographum in Arch. Provinciæ, & exemp. Auth. in Arch. Ordinis Armar. Provincia Rhegienſis.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.

Fratribus in loco Pitii pro commodo itinerantium Hoſpitium ſub certis clauſulis conceditur.

In Cauſa Mileten. Erectionis Hoſpitii, & refectionis damnorum in loco Pitii inter PP. Capucinos ex una, & PP. Minimos ex altera partibus:

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium Negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Caraffa, cenſuit concedendum eſſe dictis PP. Capucinis Hoſpitium Sæculare, cum habitatione, quæ tantummodo deſerviat pro recipiendis Religioſis itinerantibus; ita tamen, ut in eo nulla ſervetur forma regularis, nec erigatur Eccleſia, ſeu Oratorium formale cum janua in via publica, ſed tantùm Oratorium internum ad effectum inibi Miſſas, & Orationes privatas pro eorum ſpirituali uſu celebrandi: Sacramenta non adminiſtrentur, nec fiant publicæ Conciones, nec Divina, aliæque functiones peragantur; non tumulentur Cadavera, nec retineantur Campanæ, aut aliquod ſignum, quod vero Conventui adaptetur, & tranſcendat naturam, & conditionem meri, & ſimplicis Hoſpitii ſæcularis, nec fiat Quæſtuatio. Inſuper Regulares ſe ad illud transferentes non aſſumant titulum præſidentis, vel alterius Officialitatis: ſubjiciendo ulterius in caſu contraventionis ipſo facto pœnis contra Religioſos degentes extra Clauſtra, aliiſque arbitrio Sacræ Congregationis, non obſtante quâcumque exemptione. Et pro obſervantia P. Provincialis, & Deffinitorium ſe obligent coram Epiſcopo, qui obligationis juramentum ad hanc Sacram Congregationem tranſmittat. Interim verò PP. Minimi, præſtitis prius in loco ipſius Hoſpitii materialibus pro competenti quantitate refectionis damni illati coram Ordinario liquanda, abſolvantur, nec amplius pro cauſa prædicta moleſtentur. Romæ 20. Junii 1692.

G. Card. Carpineus.

Antonius Altovitus Secret.

Exempl. in Arch. Ord. Provincia Rhegien.

DECRETO

Sacrorum Rituum Congregationis.

Fratribus noſtris Neocaſtri Statuam Sancti Antonii Patavini in Habitu Capucino retinere, eam intus & extra eorum Eccleſiam proceſſionaliter deferre, Vexillis, Velis, aliiſque Sacris mobilibus cum dicti Sancti imagine (abſque inſcriptione tamen *Verioris formæ Habitûs*) uti, licitum eſſe declaratur.

NEOCASTRENSIS.

INter PP. Capucinos, & Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci Civitatis Neo-Caſtri eo ſub prætextu, quod non liceret PP. Capucinis Simulachrum S. Antonii de Padua cum Habitu eorumdem Capucinorum retinere, exortis controverſiis, eiſque ab Auditore Sanctiſſimi ad Sac. Rit. Congregationem remiſſis, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Gabriellius in Relatorem earumdem controverſiarum datus infraſcripta dubia declaranda propoſuit:

I. *An liceat PP. Capucinis Civitatis Neocaſtri retinere, proceſſionaliter publicè deferre, & reſpectivè publicè exponere in propria, & in alienis Eccleſiis Statuam S. Antonii de Padua in Habitu Capucino?*

II. *An eiſdem PP. Capucinis in publicis functionibus Eccleſiaſticis tam intus propriam Eccleſiam, quàm extra, & in Proceſſionibus tam publicis, quàm privatis liceat uti Vexillis, Velis, palleolis, planetis, pluvialibus, vel ſimilibus mobilibus, ubi ſint depictæ, ſculptæ, & impreſſæ imagines ejuſdem Sancti Antonii cum Habitu Capucino?*

III. *An eiſdem PP. Capucinis ſubtus imagines ejuſdem S. Antonii, vel S. Franciſci de Aſſiſio depictas, ſculptas, vel impreſſas cum eorum Habitu, & Caputio, tam intus Eccleſiam, & Con-*

Conventum, quàm extra, & ſignanter in parietibus, & frontiſpicio eorum Eccleſiæ ſint permittendæ inſcriptiones indicantes illas eſſe effigies Sancti Antonii de Padua, & S. Franciſci de Aſſiſio cum veriore forma Habitûs ipſius S. Franciſci, vel potius ſint delendæ, aut cancellandæ, ac in futurum prohibendæ in caſu?

Et eadem Sac. Rit. Congregatio tam in voce, quàm in ſcriptis, utraque parte informante, auditâ, cenſuit reſpondendum.

Ad primum & ſecundum Affirmativè.

Ad tertium, quoad primam partem Negativè, & quoad ſecundam Affirmativè: & ita decrevit, & ſervari mandavit die 22. Januarii 1707.

Card. Carpineus Præf.

B. Inghirami Secret.

Ex Regeſto Secret. Congregat. menſ. & anni prædict. fol. 5.

N O T A.

ACerbiùs tetigit hoc Decretum partem adverſariam, cujus robur ut enervaret, Fratres noſtros variis vexis turbavit. Sedavit has Monitorium, quo ab Auditore Cameræ, tunc Carolo de Marinis, ſub 14. Maii anni 1707. relaxato, omnibus & ſingulis, ac in ſpecie RR. PP. Reformatis plena præpoſiti Decreti executio, & obediens à vexis ceſſatio ſub pœnis, & cenſuris fuit inculcata, prout exhibet Originale in Archivo Conventûs Neocaſtrenſis conſervatum.

Interim, ut cultus Divi Thaumaturgi ex populi confluxu augeretur, Auguſtiſſimus Imperator &c. Carolus VI., ſupplicante Servo Dei P. Antonio ab Olivado mercatum, ſeu nundinas publicas à die prima Junii uſque ad decimam quintam quotannis celebrandas per ſequens Diploma conceſſit:

Carolus Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Hiſpaniarum Rex &c.

Wolfgangus Annibal S.R.E. tit. S. Marcelli Presbyter Cardinalis de Schrottembach, Comprotector Germaniæ, omniumque Dominiorum hæreditariorum Suæ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, Epiſcopus de Olmuz, Dux & Princeps S. Rom. Imperii, Comes Regiæ Capellæ Bohemiæ, intimus actualis Conſiliarius Statûs ejuſdem Majeſtatis, & in præſenti Regno Vice-Rex, Locum Tenens, & Capitaneus Generalis &c. Univerſis, & ſingulis præſentium Seriem inſpecturis, tam præſentibus, quàm futuris, ut ementes & vendentes perſæpe conveniant, parandum focum moralis authoritas perſuaſit.

Nuper pro parte infraſcripti Reverendi Fratris Antonii ab Olivado fuit Nobis præſentata quædam conſultatio de noſtro Ordine facta per Regiam Cameram Summariæ, tenoris ſequentis:

Eminentiſſime Domine.

Poſt debitam commendationem: Ad petitionem & inſtantias à Religioſo Capucino Fr. Antonio ab Olivado circa conceſſionem nundinarum ſeu Mercatûs publici per quindecim dies, à prima videlicet Junii uſque ad 15. ejuſdem incluſivè, pro feſto glorioſi Thaumaturgi S. Antonii de Padua in Eccleſia PP. Capucinorum Civitatis Neocaſtrenſis celebrando, quotannis duraturi, Suæ Majeſtati factas, Regiâ Schedâ Majeſtas Sua ſub 20. Auguſti 1714. ordinare dignata eſt, ut caſu, quo petitio hujuſmodi in præjudicium tertii non vergat, & ſolita jura ſolvantur, opportuni pro conceſſione dicti Mercatûs expediantur ordines, & deſuper exerceatur omnis poſſibilis attentio, cum redundet in opus tam pium, & Sua Majeſtas tum de virtute Apoſtolica, & exemplari vita dicti Religioſi Oratoris, tum de communi applauſu, & ſolatio, dictæ Civitati & Provinciæ deſuper accreſcente, ſit informata. Inde cum dicta Regia Scheda cum libello à Secretaria Statûs, & rei militaris ſub 11. Menſis Martii anni currentis ad hoc Tribunal fuerit remiſſa, expeditæ fuêre ad omnes Terras, & loca, dictæ Civitati Neocaſtrenſi vicina, & inter 20. milliaria comprehenſa ſolitæ Citationes, quatenus ea, quæ iis in hac materia occurrerent, proponerent: quin tamen inter terminum fixum pro impediendo dicto Mercatu ullus comparuerit, imò omnes econtra dederint ſuum conſenſum juxta ea, quæ à S. Majeſtate fuêre ordinata. Nec ipſe quoque Advocatus Fiſcalis Regii Patrimonii ſuâ obſtitit inſtantiâ, dummodo Mercatus prædictus abſque jurium, & juriſdictionis immunitate inſtituatur. Examinato proin in hoc Tribunali negotio, & audito mox fato Fiſcale, judicium, & vota noſtra convenêrunt, quod attento Suæ Majeſtatis ordine, nundinas memoratas concedente, & impedimento illarum erectionis non exiſtente, ab Eminen. Veſtra poſſit dari facultas Eccleſiæ PP. Capucinorum Civitatis Neocaſtrenſis inſtituendi in feſtivitate glorioſi S. Antonii nundinas, ſeu Mercatum, qui per 15. dies, videlicet à primo Junii uſque ad ejuſdem 15. incluſivè de quolibet anno duret, prout prædictus Religioſus petiit, & Sua Majeſtas ei conceſſit, ita tamen, ut fiat ſine juriſdictione, & jurium immunitate prædicta. Et gratiæ &c. Ex Regia Camera 12. Dec. 1719.

Eminentiæ Veſtræ

Servi

Regens, Locum-Tenens, & Præſidentes Regiæ Cameræ.

Supplicatum Nobis propterea extitit pro parte dicti Fr. Antonii Olivadi, quatenus privilegium Mercatûs publici in dicta Civitate Neocaſtrenſi ſibi expediri facere dignaremur. Nos itaque viſo tenore dictæ præinſertæ Conſultationis, ac Memorialis ejuſdem Fr. Antonii Olivadi, tenore præſentium deliberatè, & conſultò, ac ex gratia ſpeciali, præfatæ Majeſtatis nomine cum deliberatione, & aſſi-

ſtentia

ſtentia Regii Collateralis Conſilii penes Nos aſſiſtentis, præfatæ Univerſitati Neocaſtri in perpetuum gratioſè concedimus, & impertimur auctoritatem, poteſtatem, & facultatem in ſupradictis diebus quindecim, videlicet à die prima uſque ad decimam quintam cujuslibet Menſis Junii, conſtruendi, publicandi, faciendi, & erigendi prædictum Mercatum publicum in dicta Civitate Neocaſtri, ubi melius, & commodius fieri poterit, abſque aliqua immunitate, citra tamen præjudicium jurium Regii Fiſci, & locorum convicinorum, ſervatâ formâ dictæ præinſertæ Conſultationis.

Mandamus propterea Illuſtri hujus Regni Magno Camerario, ejuſque Locum-tenenti, Præſidentibus, & Rationalibus Regiæ Cameræ Summariæ, Illuſtribus quoque, Spectabilibus, Magnificis, Nobilibuſque Viris, quibuſcumque Baronibus, Titulatis & non Titulatis, Gubernatoribus, & Auditoribus Provinciarum, Capitaneis, & Aſſeſſoribus, Magiſtris, Theſaurarii Receptoribus, Syndicis, Electis, Univerſitatibus & Hominibus, & Perſonis quibuſcumque, & præſertim dictæ Provinciæ Calabriæ Ultra, quatenus Mercatum prædictum in prædicta Civitate Neocaſtri in prædictis diebus 15. ut ſupra, conſtrui, publicari, & fieri modo prædicto liberè ſinant, & permittant, &, ſi opus fuerit, præſtent, & præſtari faciant, ac auxilium & favorem neceſſarium & opportunum, formamque, & tenorem præſentium per eos, & unumquemque ipſorum diligenter attentum illam & hunc ad unguem, & inviolabiliter obſervent, & exequantur, ac exequi & obſervari faciant, per quos decet, juxta præſentium ſeriem, continentiam, & tenorem omni dubio & difficultate ceſſantibus, & contrarium non faciant, pro quanto gratiam prædictæ Majeſtatis coràm habent, ac pœnam Ducatorum mille cupiunt evitare. In quorum fidem hoc præſens privilegium fieri fecimus magno præfatæ Majeſtatis Sigillo pendente munitum. Datum Neapoli in Regio Palatio die 7. Menſ. Februarii 1710.

Cardinalis Schrottembach.

Devotio Patris Antonii ab Olivado, in Cultu Sancti Sui Patroni, medio Mercatu per populi confluxum adaucto non quievit, ſed ut & ipſa D. Thaumaturgi Domus ſeu Capella peculiari inſigniretur privilegio, effecit, ut Auguſtiſſimus Imperator & Rex Carolus VI. Suæ Cæſareæ, Regiæque Protectionis gratiam, & privilegia Capellarum ſub hujuſmodi protectione exiſtentium eidem concederet, expeditis deſuper Litteris, quæ ſequuntur:

Illuſtris Comes à Daun, Eques inſignis Ordinis Aurei Velleris, à meo Conſilio Status, Vice-Rex, Locum-tenens, & Capitanee Generalis Regni Neapolitani.

Cum pro parte Fr. Antonii ab Olivado Religioſi Capucini, Miſſionarii Apoſtolici, Ex-Provincialis, & Patris Provinciæ Calabriæ ulterioris hujus mei Regni &c. Mihi fuerit ſupplicatum, ut ſub Regia, & Imperiali Protectione Capellam glorioſi S. Antonii de Padua, in Civitate Neocaſtri, & quidem in Eccleſia Capucinorum ſitam, in qua Divina Clementia per prædicti Sancti interceſſionem continua operatur prodigia (uti ex innumeris à tota Italia illuc delatis anathematibus in dicta Eccleſia appenſis clareſcit) acceptare dignarer; Viſis hujuſmodi inſtantiis moveor ad dictam meam Cæſaream, Regiamque Protectionem prædictæ D. Antonii Capellæ in præfata PP. Capucinorum Eccleſia Neocaſtri concedendam, ſicut & vigore præſentium eam concedo: eſtque Regia mea voluntas, ut virtute hujus gratiæ gaudeat omnibus privilegiis, prærogativis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, omnibuſque aliis, quibus utuntur, & gaudent omnes Capellæ, & Sanctuaria, ſub mea Regia Protectione exiſtentia, ſicut hucuſque conſuetum & practicatum eſt, & quidem abſque ulla diminutione, aut novitate. Eapropter Tibi præcipio & volo, ut in omnibus, ad quos ſpectat, opportunè injungas, quatenus hæc mea Regia deliberatio & gratia punctuale & effectivum nanciſcatur complementum, ſicuti præfertur, cum ob exemplarem, & in prædicto Religioſo per totum Regnum conſpicuum Zelum, pluresque alias circumſtantias, quæ in illius favorem concurrunt, ita à Regia mea voluntate procedat. Viennæ 20. Auguſti 1718.

Rex.

Alvaradus &c.

Tranſlato poſtmodum ad Sereniſs. Hiſpaniarum Infantem Carolum Regni Sceptro, fuit hæc eadem prærogativa ab Illo confirmata, & dicta Eccleſia expreſsè Regia Capella declarata ſequenti Diplomate.

Carolus Dei Gratia Rex utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hiſpaniarum Infans, Dux Parmæ, Placentiæ, Caſtri, & Magnus Princeps Hæreditarius Hetruriæ.

Univerſis, & ſingulis præſentium Seriem inſpecturis tam præſentibus, quàm futuris, gratiam noſtram, & bonam voluntatem. Præ omnibus, quæ optimum decent Principem, præclaris eximiiſque virtutibus nulla eſt, quæ pietate Superior ſit, atque præſtantior, non modo ad grati animi argumentum erga Deum, à quo omnia Regna & Imperia fluunt, verùm etiam, ut ejus exercitio pro Subditis, & præſertim pro Eccleſiis, aliiſque locis divino cultui dicatis, meritò Catholici, & Religioſi Principis nomen ubique ſibi vindicet, & aſſumat. Hinc, cum pro parte Patrum Capucinorum Civitatis Neocaſtri ſupplicatum humiliter Nobis fuiſſet, quatenus Capellam ſub invocatione S. Antonii Patavini, ſitam in eorum Eccleſia, Regiam declarare benignè dignaremur, hujuſmodi ſupplicationibus favorabiliter indulgendo, tenore præſentium, & ex certa noſtra ſcientia, deliberatè & conſultò, ac ex gratia ſpeciali Capellam prædictam ex nunc in antea REGIAM declaramus cum omnibus honoribus, privilegiis, & gratiis, quibus aliæ Eccleſiæ & Capellæ Regiæ in hoc Regno hactenus gaudere, & frui conſueverunt, gaudere & frui debeat, ac valeat, eamque ſubjicimus quoad Spiritualia noſtro Reverendo Capellano Majori, quoad Temporalia noſtræ Regali Juriſdictioni. Hortantes propterea dictum noſtrum Reverendum Capellanum Majorem, Epiſcopum Diœceſanum, aliaſque Eccleſiaſticas Perſonas, præcipimus & mandamus

omni-

omnibus Officialibus majoribus tam Demanialibus, quàm Baronibus, cæteriſque aliis &c. ad quos ſpectabit, præſentibus & futuris, ſeu eorum Locum tenentibus & Subſtitutis, quatenus ex nunc in antea Capellam prædictam pro REGIA teneant, reputent, ac tractent, tenerique, tractari, & reputari faciant, ac mandent, potirique, & gaudere ſinant, ac permittant omnibus illis prærogativis, immunitatibus, favoribus, privilegiis, & gratiis, quibus aliæ Eccleſiæ, & Capellæ Regiæ in hoc Regno potiuntur & gaudent, formam & tenorem præſentium per eos, & unumquemque ipſorum diligenter attentam ad unguem obſervent, & obſervari faciant, atque mandent, per quos decet, omni dubio & difficultate ceſſantibus, & contrarium non faciant, pro quanto prædicti Reverendus noſter Capellanus Major, Epiſcopus Diœceſanus, aliæque Eccleſiaſticæ Perſonæ Nobis morem gerere cupiunt; Cæteri verò Officiales omnes prædicti gratiam noſtram charam habent, ac pœnam Ducatorum mille cupiunt evitare.

Volentes expreſsè, quod præſens privilegium regiſtrari debeat in Officio noſtri Reverendi Capellani Majoris, aliàs pro non præſtito habeatur.

In quorum fidem hoc præſens privilegium fieri juſſimus noſtro negotiorum Sigillo munitum. Datum Neapoli die xvii. Novemb. anno à Nativitate Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo nono.

Rex.

Pompæ cultûs & devotionis, quâ annuatim Noſtrates feſtum Divi Thaumaturgi cum Tredicina peragere ſolebant, paravit præjudicium Zelus, qua RR. PP. Reformati tum Feſtum, tunc Tredicinam dicti Sancti pari pompâ celebrare contendebant, inde, ne Templum contra Templum erigeretur, jam anno 1716. Fratres noſtri ſumpto ad S. Congregationem recurſu ſequens ab Ea dubium decidi rogaverunt: *An liceat PP. Obſervantiæ Reformatis Civitatis Neocaſtri celebrare feſtum S. Antonii Patavini ipſius Civitatis Patroni, & Protectoris cum præventiva Solemnitate, nuncupata LA TREDICINA, ac cum aliis quibuſcumque ſignis quomodolibet ipſius feſtum indicantibus tam in die* 13. *Junii, quàm per tredecim dies in caſu?* Ad quod S. Congregatio ſub die 15. Maii ejuſdem anni reſcripſit: *Licere quoad feſtum ſine pompa, & ſine pompa licere etiam quoad Tredicinam, de mane tamen tantùm in caſu, de quo agitur.* Quod ut firmiùs ſervaretur, Illuſtriſſimi D. D. Syndici Civitatis, & Fratres noſtri Monitorio Auditoris Cameræ, tunc Nicolai Cardinalis Spinolæ relaxato muniri curârunt. Tepuit ſenſim, & Sacræ Congregationis Decreti, & Monitorii dicti obſervantia, ita ut utriuſque memoria ſequenti Auditoris Cameræ ſententiâ RR. PP. Reformatis fuerit refricata:

Antonius Ruffus Prothonotarius Apoſtolicus, utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Referendarius, nec non Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius à Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa ſpecialiter Electus, & Deputatus. Univerſi, & ſinguli hoc præſens publicum ſententiæ Inſtrumentum viſuri, lecturi, legique pariter, & audituri noverint, quod introducta coram Nobis, ſive R. P. D. Furietto Locumtenente Noſtro per acta infraſcripti Curiæ noſtræ Notarii lite, & cauſa inter Illuſtriſſimos Dominos D. Syndicos, & Homines Univerſitatis Civitatis Neocaſtri, ac RR. PP. Capucinos ejuſdem Civitatis Actores ex una; Et RR. Patres Reformatos ejuſdem loci partibus ex altera de, & ſuper exequutione, & obſervatione infraſcriptorum Decreti, ſeu Reſolutionis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, rebuſque aliis &c. In qua quidem lite, & cauſa citato D. Dominico Leonori dictorum RR. PP. Reformatorum dictæ Civitatis Procuratore, eoque pluries in Contradictorio Judicio audito, Nos, ſive potius dictus Reveren. D. Furiettus Locumtenens noſter die infraſcripta ſuam favore dictorum Syndicorum, & Hominum, ac RR. Patrum Capucinorum ejuſdem Civitatis contra prædictos RR. Patres Reformatos tulit, atque promulgavit ſententiam diffiniti vam tenoris ſequentis, videlicet:

CHRISTI NOMINE INVOCATO. Pro Tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam de Juris Peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in cauſa, & cauſis, quæ primo, & in prima, ſeu alia verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia, inter Illuſtriſſimos D. D. Syndicos, & Homines Univerſitatis Civitatis Neocaſtri, ac RR. Patres Capucinos ejuſdem Civitatis Actores ex una; & RR. Patres Reformatos ejuſdem loci partibus ex altera, de -- & ſuper exequutione, & obſervatione Decreti, ſeu Reſolutionis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium emanatæ ſub die 15. Maii 1716. ad relationem clar. mem. Cardinalis S. Clementis de -- & ſuper celebratione Feſtivitatis S. Antonii de Padua die 13. Junii cum alia ſolemnitate dicta Tredicina, cum dubio in dicta Sac. Congregatione diſputato, nempe -- An liceat PP. Obſervantiæ Reformatis Civitatis Neocaſtri celebrare Feſtum S. Antonii de Padua ipſius Civitatis Patroni, & Protectoris, cum præventiva Solemnitate nuncupata Tredicina, ac cum aliis quibuſcumque ſignis quomodolibet ipſum Feſtum indicantibus tam in die 13. Junii, quàm per treſdecim dies ante in caſu &c. Et reſoluto dicto die 15. Maii nempe -- Quoad diem Feſtum licere, ſine tamen pompa, & quoad Tredicinam pariter licere, ſed de mane in caſu, de quo agitur -- rebuſque aliis in actis Cauſæ, & Cauſarum hujuſmodi latius deductis, dicimus, pronunciamus, declaramus, & definitivè ſententiamus dictum Decretum, ſeu Reſolutionem Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium obſervandam, & exequendam fore, & eſſe tam ad favorem dictorum DD. Syndicorum, & Capucinorum, quàm ad favorem eorumdem Patrum Reformatorum ſub infraſcriptis pœnis ab utraque parte in caſu contraventionis incurrendis, prout Nos obſervari, & exequi volumus, & mandamus, & pro effectu debitæ executionis, & obſervationis declaramus, non licuiſſe, neque licere dictis RR. PP. Reformatis dictæ Civitatis Neocaſtri celebrare cum pompa dictam Feſtivitatem S. Antonii Patavini die 13. Junii, neque celebrare Tredicinam de ſero in omnibus, & per omnia ad formam dictæ Reſolutionis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, ſed à dicta celebratione Feſtivitatis S. Antonii cum pompa unà cum Tredicina de ſero contra formam dictæ Reſolutionis inpoſterum ſub pœnis ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti, aliiſque pœnis in literis Monitorialibus comminatis, de quibus in actis, & coram Nobis relaxandis, omnino ſe abſtinere debere, prout Nos in executionem præfatæ Reſolutionis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium

rium ſeſe abſtinere debere decernimus, & declaramus, nullum Jus, nullamque actionem dictis RR. Patribus competiſſe, neque competere pro dicta celebratione Feſtivitatis cum Tredicina contra formam dictæ Reſolutionis Sac. Congregationis; Ideoque perpetuum ſilentium illis impoſterum imponendum fore, & eſſe, prout præſente noſtra ſententia imponimus, & pro impoſito haberi volumus, & mandamus; Victoſque Victoribus in expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de Jure, reſervamus, & ita dicimus, declaramus, pronunciamus, & definitivè ſententiamus non ſolùm hoc, ſed & omni &c. Ita pronunciavi I. A. Furiettus Locumtenens. Quæ omnia, & ſingula præmiſſa Vobis omnibus, & ſingulis ſupraſcriptis, & veſtrûm cuilibet in ſolidum tenore præſentium intimamus, inſinuamus, notificamus, & ad veſtram notitiam deducimus, deducique volumus, & mandamus per præſentes, ne de præmiſſis ignorantiam aliquam allegare poſſitis & valeatis. Taliter &c. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Innocentiana Curia Montis Citatorii hac die 28. *Novemb.* 1740.

Joſeph Diomedes Claudius A. C. Notar.

I. A. Furiettus Locumtenens &c.

Denique, ne Principiſſa Caſtilionis, & Fratres hujus Conventûs circa Miſſam perpetuam à Secretario Reverendæ Fabricæ S. Petri in Regno Neapolitano moleſtentur, fuit cautum ſequenti Sac. Congregationis dictæ Fabricæ epiſtolâ:

A tergo. *Excellenti Domino D. Joanni Franciſco Reviglione Reverendæ Fabricæ Sancti Petri Neapoli Secretario.*

Intus. *Excellent. D. Cornelia ab Aquino, Principiſſa Caſtilionis, & PP. Capucini Neocaſtri Sac. Congregationi Reverendæ Fabricæ exponi fecerunt, qualiter Princeps Cæſar ab Aquino, dictæ Principiſſæ Genitor diſpoſuit, ut Miſſa quotidiana in perpetuum in Eccleſia, in qua illius corpus ſepeliretur, celebraretur; cumque hoc in Eccleſia Capucinorum Neocaſtri, uſquedum ſuo tempore ad locum à prædicto Principe deſtinatum transferri poſſet, per modum Depoſiti fuerit collocatum, & anno* 1638. *inter alia loca, Eccleſia & Conventus Capucinorum, ex terræmotu fuerint deſtructi, dicta Principiſſa pro horum reædificatione memoratas Miſſas, à Patribus prædictis celebrari ſolitas applicavit. Jam verò, cum pro parte Fabricæ celebratio hujuſmodi Miſſarum ob Capucinorum incapacitatem controvertatur, & earum refuſio prætendatur, Eminen. Domini mei cum præfatis Patribus conſuetam charitatem proſequi volentes, Dom. Tuæ injungunt, ne dictam Principiſſam ob Miſſas, à Patribus Capucinis, ut ſupra, celebrari ſolitas, moleſtet, & illas deinceps ab his celebrari permittat, quoaduſque Teſtatoris Corpus in ipſorum Eccleſia requieſcet, quatenus hujuſmodi ſubſidio faciliùs prædictam fabricam perficere poſſint. Et Deus &c. Romæ* 3. *Januar.* 1643.

Card. Dante Ghettus OEconomus.

Hujus, & aliorum ſuprà poſitorum Documentorum exempla authentica in Archivo Generali Ord. Armario Provincia Rhegienſis.

DECRETO

Sacræ Congregationis Rituum.

Feſtum S. Crucis in Terra Cutri etiam à Fratribus noſtris ibidem, ritu tamen noſtrum Inſtitutum non excedente, eodem die, quo PP. Reformati illud celebrant, celebrari poſſe indulgetur.

Sanctæ Severinæ.

CUM Confratres Confraternitatis Sanctiſſimæ Annunciationis Terræ Cutri, Diœcens Sanctæ Severinæ ad avertendum Populi concurſum, occaſione feſtivitatis Sanctiſſimæ Crucis, quæ die 3. Maii à PP. Reformatis loci prædicti jam dudum abſque ulla perturbatione celebratur, eadem die dictum feſtum magna ſolemnitate celebrare inceperint; cumque ad tollendam omnem controverſiam Inſtantibus PP. Reformatis propoſita fuerit cauſa in Sac. Rit. Congregatione, quæ ſub die 2. Julii 1712. ad relationem Emi, & Rmi D. Cardinalis de Abdua, partibus informantibus auditis reſcripſit, feſtivitatem Sanctæ Crucis, die 3. Maii celebrandam eſſe ſolemniter à Patribus Reformatis, die verò Dominico infra octavam poſſe celebrari à Confratribus Sanctiſſimæ Annunciatæ; Cumque vigore hujuſmodi reſolutionis PP. Reformati dictum feſtum ſtatutâ die celebrare parabant; PP. Capucini ejuſdem Terræ, qui hactenus Miſſam tantummodo, aliquando cum primis Veſperis canere conſueverant, & die in Sacello Sanctiſſimi Crucifixi intus propriam Eccleſiam erecto ipſorum Confratrum ſumptibus, ac impulſu inſurgentes idem feſtum contra proprium Inſtitutum, ac omnibus, ut valuerunt, ſolemniis peragere conati fuerunt; habito proinde ſuper præmiſſis per PP. Reformatos ad Sac. Congreg. recurſu, eadem Sac. Rit. Congreg. referente Emo, & Rmo D. Cardinale de Abdua utraque parte, tam in ſcriptis, quàm in voce in-

informante auditâ reſcribendum cenſuit; licere PP. Capucinis celebrare feſtum S. Crucis die 3. Maii, ita tamen, ut non excedatur forma præſcripta ab eorum Inſtituto, & Ordinarius incumbat pro executione, etiam reſpectu ſæcularium. Et ita decrevit Die 21. Aprilis 1734.

Carpineus Præfectus.

N. M. Tedeſchi Pro-Secretarius.

Ex Regeſt. Auth. Secret. Congreg. Menſ. & Anni prædict. fol. 122.

DECRETO

S. Congreg. Concilii.

Inſtantia nullitatis contra Profeſſionem à Fr. N. N. ſub prætextu morbi incurabilis &c. facta reprobatur.

Ordinis Capucinorum, ſeu Cathacen.

FR. N. Cathacenſis intra quinquennium allegavit nullitatem Profeſſionis, inſtructiſque actis ex iis conſtitit, quod idem Fr. N. dum Profeſſionem emiſit, morbo incurabili laborabat, quem tamen neque omnino tacuit, neque ſatis manifeſtavit, ut videre eſt in Summario actorum, quod diſtribuitur.

Hinc orta eſt notiſſima diſputatio, utrum juxta Conſtitutiones Capucinorum, ſicut Religio non obligatur retinere Profeſſum, inſanabili morbo tempore Profeſſionis laborantem, ita etiam Profeſſus poſſit à Religione diſcedere?

Ancipitem hanc quæſtionem tum Archiepiſcopus, tum Superiores Locales decidendam eſſe cenſuerunt ab hac S. Congregatione, in qua pluries de ea re actum eſt, licèt EE. VV. ſemper ab illius definitione abſtinuerint, quandoque enim deficientibus probationibus inſtantes rejecerunt, quandoque verò curârunt, ut Religione jure ſuo utente, ac Profeſſum expellente, propoſita difficultas declinaretur, ut videre eſt *in foliis* 2. *&* 31. *Jul.* 1723. 8. *Julii* 1724. 8. *Jun. &* 7. *Jul.* 1726. 26. *April.* 1727.

Placuit itaque EE. VV. votum Emin. Card. Barberini Protectoris Ordinis exquirere, qui pro ſua doctrina, ac rerum experientia, re penitus diſcuſsâ, ſentire videtur, Conſtitutionibus Capucinorum non irritari Profeſſionem ejus, qui morbum tacuit; ſi maximè Profeſſio irritaretur, ejus nullitatem inductam eſſe favore ſolius Religionis, additque hanc eſſe ſententiam Capucinorum, qui aſſerunt ita declaratum fuiſſe in generali Congregatione anni 1633. Concludit tamen ex facti circumſtantiis videri, nec Religionem quidem in hoc caſu iiſdem Conſtitutionibus uti poſſe, quia Superior Regularis, vel morbum non ignoravit, vel ſupina nimis inſcitia laboravit.

Quod itaque pertinet ad facti circumſtantias, eas integrè, ac ſincerè exponit Procurator Fratris N., qui concedens, Novitium morbi genus doloſè occuluiſſe, ac proinde Religionem obligatam non eſſe eundem retinere, inde arguit nullitatem Profeſſionis, & jus nulliter Profeſſi diſcedendi à Religione, innixus auctoritati Bartholomoei de Vecchis, & Caponi *in diſcept.* 53. *num.* 33. *& ſeq.* quibus addi poteſt Sanctes Theſaurus *in Lib. cujus titulus eſt Expoſitio in Regulam Seraphici Patris Franciſci c.* 2. qui omnes unanimiter cenſent, Profeſſionem præſeferre ſpeciem quamdam contractûs, utramque partem obligantis; in quo deficiente unius voluntate ſeſe obligandi, alterius quoque obligationem corruere neceſſe eſt.

Verùm, quia PP. Capucini jura ſua non deducunt, & expedire videtur, quod EE. VV. anceps hoc dubium ſolemni declaratione reſolvant, prout ipſa Religio deſiderat, & Judices Ordinarii expoſcunt, muneris mei eſſe cenſeo, præter ea, quæ in folio præcedenti adnotavi, ſequentia ſubnectere, quæ pro validitate Profeſſionis poſſent ab iiſdem Patribus proponi, ut EE. VV. quibus integrum eſt, meram certamque juris rationem aliorum opinionibus, quamvis vulgò receptis, præferre, momentis utriuſque ſententiæ libratis, ſapientiſſimo oraculo ancipitem hanc quæſtionem definiant.

Dubitari itaque poteſt, num ſatis firma ſit ratio illa, cui innititur ſententia Caponi de Vecchis, & Theſauri, quod nempe Profeſſio ſit contractus, qui mutuum conſenſum ita requirat, ut Novitio Religioni ſe tradente, Religio ſe obliget, perpetuò Profeſſum retinere, eaque poſteriore obligatione deficiente, nec prior quidem poſſit ſubſiſtere.

Planè rationem iſtam acerrimè oppugnant alii Doctores, neque numero pauci, neque auctoritate ignobiles, inter quos *Navarrus conſil.* 25. *de Regular. Sanchez in præc. Decal. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 64. *Caſtropal. oper. moral. tract.* 16. *diſput.* 1. *punt.* 1. *num.* 1. *Pontius de Matr. lib.* 7. *cap.* 5. qui omnes vim, & naturam Profeſſionis conſtruunt in immutabilitate, & perpetuo ſtatu, quem profitetur Novitius, non verò in obbligatione illum retinendi, quam conſuevit Religio contrahere; hanc enim obligationem contendunt eſſe extrinſecam quamdam, & legitimam ſolemnitatem, quæ abeſſe poteſt, licèt perfecta, & immuta-

bilis ſit Profeſſio ex parte Profitentis, prout contingit in Societate Jeſu, in qua cum vero ſtatu Regulari, & cum vera Religione conſiſtit facultas Religionis expellendi Profeſſos.

Cæterùm Pontius altius rem examinans probat, Profeſſionem eſſe ſpeciem quamdam Donationis, qua Novitius ſe tradit, ac donat Religioni, & in qua utriuſque partis conſenſus intervenit; Novitii quidem, qui ſe perpetuò tradit Religioni: Religionis verò, quæ donationem acceptat. Ex hoc autem principio ſubſequitur, quod, ſicuti ad validitatem donationis pertinet quidem, quod mutuo quodam conſenſu donatio acceptetur, non verò, quod Donatarius ſeſe obliget rem donatam nunquam dimittere, ita ad Profeſſionis validitatem requiritur acceptatio Religionis, hæc autem viribus ſubſiſtit, etiamſi ex ſpeciali lege Conſtitutionum confirmatarum Apoſtolica Auctoritate deficiat legitima ſolemnitas, qua Religio conſuevit ſe obligare perpetuò retinere Profeſſum. Hinc idem Pontius doctiſſimam ſuam diſſertationem concludit his verbis: *E quibus denique conficitur immobilitatem ſtatûs Religioſi eam requiri, & ſufficere, quæ eſt ex parte Religioſi ſe donantis, ex eo enim tantùm capite eſt ſtatus iſte, & donatio immobilis, ac perpetua per ſe. Quod verò ex parte Religioſi Præſulis ſit immobilis, non requiritur ad ſtatum iſtum, neque neceſſarium eſt, ea enim eſſet immobilitas perpetua per accidens, & extrinſeca.*

Hæc autem opinio convenire videtur cum antiqua Eccleſiæ Diſciplina, quando ſolemnitas Profeſſionis conſtituta fuit in promiſſo perpetuo permanendi in Religione, hæc enim promiſſio nullam præſeferebat obligationem Religionis retinendi Profeſſum, quam quidem vetuſtiorum temporum diſciplinam conquiſitis Patrum teſtimoniis illuſtrat idem *Baſilius Pontius variar. diſput. part.* 1. *quæſt. Scholaſt.* 3. *cap.* 10. ut ſcilicet ſententiam illam ſuam de Religionis, & votorum natura, quam tota ipſa *quæſt.* 3. luculenter inſinuat, aliis, noviſque argumentis magis commendet.

His itaque perpenſis, EE. VV. erit decernere,

An Profeſſio Fratris N. Capucini ſit nulla in caſu &c.

Et 20. Nov. 1728. prodiit è Sacro Conſeſſu reſolutio *Non conſtare de nullitate*.

C. Card. Origus Pref.

P. de Lambertinis Secret.

Autog. in Secret. Cong. lib. 78. *fol.* 457. 491., *&* 531. *& in Theſ. reſol. ejuſdem Cong. tom.* 4. *fol.* 224. *& fol.* 232.

DECRETO

S. Congregat. Epiſc. & Regul.

Ad Superiores Locales Provinciæ Bannitis, & criminaliter inquiſitis aſylum præbentes pœnæ aliàs taxatæ extenduntur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

CUM ad Procuratorem, & Commiſſarium Generalem Minorum Capucinorum graves fuerint devolutæ querelæ, quod plures Conventus utriuſque Provinciæ Calabræ in Regno Neapolitano, Coſentinæ videlicet, & Rhegienſis à contumacibus homicidis, & criminaliter inquiſitis variè moleſtentur, dum ſub prætextu beneficii Immunitatis vindictas exercere, & mulierum introductione clauſuras proſtituere moliuntur, & eouſque excedunt, ut contra ipſos quoque Fratres inſoleſcant, ita, ut ob diſſolutos illorum mores, & effrænem licentiam non ſolùm in religioſa quiete impediantur, verùm etiam ob inquietos illorum auſus in oratione Mentali, aliiſque Officiis Divinis, non ſine modico regularis obſervantiæ præjudicio turbentur, Idem Procurator Generalis Emin. VV. ſupplicat, quatenus ad Superiores Locales utriuſque memoratæ Provinciæ pænas privationis ab officio, vocis activæ, & paſſivæ &c. PP. Obſervantibus, hujuſmodi farinæ hominibus aſylum in Conventibus præbentibus, ab hac S. Congregatione juxta Lantuſca taxatas extendere dignentur. Quam &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentis expoſitis Decretum aliàs & ſub die 13. *Auguſti* 1613. *emanatum, prohibens Superioribus Regularium receptionem, & retentionem in Conventibus Bannitorum, aliorumque malè viventium ſub pæna privationis officii, ac vocis activæ, & paſſivæ, etiam ad ſuperiores Conventuum Capucinorum extendi declaravit, & ita ſervari mandavit.*

Romæ 3. *Octob.* 1732.

Franc. Card. Barberinus S. C. Præf.

L. S.

Joſ. Archiep. Corinthi Secret.

Ex Regeſto Secret. Cong. menſ. & anni præd. de quo exempl. auth. in Arch. Gen. Arm. Provincia Rhegienſis.

DE-

DECRETO

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Tertiam partem reddituum ex teſtamento Franciſci Milardi relictorum cum tertia parte inſtrumentorum &c. novo Fratrum Flumariæ Valetudinario conſignari indulgetur.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

FR. Franciſcus ab Urti Guardianus, & Magiſter Novitiorum FF.Capucin. Loci Flumariæ, Provinciæ Calabriæ ulrrà, humiliimus Orator EE.Veſtris ſupplex exponit, qualiter D.Franciſcus Melardus Civitatis Rhegienſis Clericus quinto Nov. anni 1710. per actum inter vivos, mediantibus Canonico D. Fabritio Plutino, & Sacerdote, tunc Clerico D. Didaco Megali de nonnullis redditibus in ſubſidium Infirmorum duorum Conventuum memoratæ Civitatis, & illius Loci Flumariæ erogandis diſpoſuit, conſtituendo prædictos Plutinum, & Megalum Adminiſtratores cum facultate nominandi Adminiſtratores ſucceſſores. Impræſentiarùm manet adminiſtratio in Perſona D. Caroli Plutini, prædicti Canonici Fratris Germani, uti ex copia Inſtrumenti, oculis EE. VV. hîc ſubmiſſi apparet. Cum autem ab experientia grave incomodum, quod Fratres infirmi Conventûs Flumariæ tempore neceſſitatis, præſidium ob cauſas infra deſcribendas habere non valentes ſubibant, detectum ſit, Orator unanimi PP. Localium more ſolito ad ſonum tegulæ convocatorum conſenſu conſultum duxit, in proprio Flumariæ Conventu Infirmariam, ſeu Valetudinarium conſtruere; cum in majus Infirmorum redundet commodum, & finis diſpoſitionis teſtamentariæ, ad majus Infirmorum bonum unicè tendentis magis attingatur. Quapropter EE.VV. ſupplicat, quatenus pro fabrica Infirmarii in ipſo Flumariæ Conventu, in cujus loco homines honeſti, & hujuſmodi exercitii capaces, ac ſacro Habitui affecti morantur, benignum conſenſum præbere, & ordinare dignentur, ut Adminiſtratori ab hodierno Adminiſtratore D. Carolo Plutino ad minus tertia pars reddituum, tam à dicto Melardo aſſignatorum, quàm aliorum à pia Devotorum diſpoſitione obtentorum, cum tertia parte inſtrumentorum artis aromatariæ ex redditibus enuntiatis confectorum conſignentur: per quod non ſolùm Infirmis providebitur, verùm etiam fini diſpoſitionis propius acceditur. Rationes, quæ ſuffragantur, ſunt.

I. Quod talis erectio in ipſo Flumariæ Conventu non ſolùm à verbis in dicta diſpoſitione contentis (uti ex memorati inſtrumenti lectione patebit.) non diſcedat, ſed econtra, menti Teſtatoris, ab EE.VV. unicè reſpiciendæ magis accedat, cum cauſa finalis ab illo intenta, fuerit, & ſit majus Ægrotantium commodum, ita, ut nullum patiantur periculum, iiſque pro neceſſitate ſit proviſum. Ex quo oritur

II. Cauſa, quod, cum Conventus Flumariæ in loco alpeſtri, & alto, de quo ſine Religioſorum, etiam ſanorum incommodo non poteſt fieri motus, ſituatus exiſtat, copia infirmis providendi ſit ardua, & quod ob incommoda non ſolùm itineris, ſed & diſtantiæ 12. milliariorum incircà à dictis Conventibus Rhegii in caſu neceſſitatis non poſſit adhiberi illa cura, quæ adhiberetur, ſi Infirmaria foret in ipſo Conventu. Contigêre quoque (ut vera referantur) non ſine Patrum Localium dolore, ſiniſtri caſus, ex quo fluit

III. Motivum, cum enim Conventûs Flumariæ ſitus reperiatur in loco ſolitario, à Paterna Emin. VV. providentia in locum Novitiatûs fuit deſignatus, qui & (Deo ſint laudes) defacto exemplari diſciplina, cujus tota Provincia teſtis, & ſpectatrix eſt, inibi manutenetur, & in quo 11. Novitii, 8. Clerici, & 3. Laici, ultra alios quinque Clericos, proximè ſacro Habitu induendos commorantur. In his autem circumſtantiis quæritur, an rigor Capucinus permittat, ut emergente neceſſitatis caſu à Novitiis iter ita longinquum, & publicum conficiatur? Reflexio hæc ita eſt efficax, ut Generale Definitorium Ordinis induxerit ad condendum ſtatutum, ne Novitii pernoctent, aut iter conficiant, niſi ſint ſub oculis eorum Magiſtri conſtituti. Inde quoque accidit, quod ſæpius afflictos, & Infirmos Novitios in anguſtiis, & doloribus non ſine compaſſione conſpicere oportuerit, cum de proprio Conventu neceſſaria ſubſidia pro iis haberi non potuerint: quod ſingulari Emin. VV. conſiderationi relinquitur.

IV. Nec ſequitur prædictis 2. Conventibus Rhegii præjudicium, tum ob fraternam charitatem, quæ inter eos viget, & vigere debet, tum quod Conventus Flumariæ magis gravatus exiſtat, quàm alii duo prædicti, ex eo, quod in præſentia in illo 40. Fratres incirca degant; imò tertia portione reddituum, & aliorum, ut ſupra, Adminiſtratori Infirmariæ erigendæ duntaxat aſſignatâ, ob majorem Fratrum numerum potius Conventus Flumariæ damnum ſubit. Et ſi quid in contrarium producatur, à Fraternæ Charitatis, & Chriſtianæ pietatis legibus non procedit, cum Religioſis in lecto, & caſu mortis exiſtentibus neceſſarium præſidium denegari non debeat.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reveren-

verendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſult. Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis relationibus Archiepiſcopi Rhegien., ac P. Procuratoris Generalis, attentoque ſuffragio Eminentiſſimi Ruſpoli, præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris cenſuit reſcribendum, prout præſentis Decreti vigore benignè reſcribit: Pro gratia, *aſſignatâ ab hodierno Adminiſtratore alteri Adminiſtratori eligendo tertia parte reddituum ex teſtamento quondàm Franciſci Melardi relictorum, unà cum tertia parte Inſtrumentorum ad uſum artis aromatariæ, quæ ex dictis redditibus comparata fuerunt. Die* 8. *Maii* 1739.

I. *Card.* Firrao.

C. *de Hieronimis Secret.*

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſis, & anni præd.

PROVINCIA COSENTINA.

HÆC altioris, ſeu citerioris Calabriæ Provincia regimen, jura & prærogativas cum Rhegienſi uſque ad annum 1584. *quo copia Conventuum inter utramque fecit partitionem, ſororio nexu tenuit communes. Proprium autem decorem induit, dum avitum non dimiſit, eundemque ſollicito Regularis Obſervantiæ zelo, & glorioſa Virorum Illuſtrium propagine ad hæc uſque tempora dilatavit.*

Magnus fuit in medio ejus Fr. Silveſter à Roſſano, a quem Provincia Neapolitana ſuum quoque vel jure aggregationis, vel inveſtigationis &c. nrrat, quique ceu alter Paulus cœleſtem Evangelii doctrinam, potiori Italiæ populo ſub lucido Columbæ, Capiti ejus pluries inſidentis ſpectaculo, fructu annuntiavit ingenti; tum hujus Provinciæ, tum aliarum gubernacula laudabili zelo tenuit, ac Generale Procuræ munus ſedulâ quoque curâ adminiſtravit. Non minuit tamen labor in eo Spiritum virtutis, ſed econtra hunc ita in ſe perfecit, ut Gregorius Papa XIII. Miletenſis Eccleſiæ thiaram ei decreverit: humilis, & conſtans hanc recuſavit, tutius eſſe exiſtimans Inſulas mereri, quàm adipiſci.

Semen Sanctitatis, quod Vir Dei, Fr. Daniel Faſanella à Belvederio, hujus Provinciæ loco, per Calabriam ſparſit, & quo, Sanguine Martyrii fæcundato Minoritani Ordinis ortum illuſtravit, felici incremento ad noſtros Coſentinos diffuſum eſt Fratres, cum Martyrologium Calabrum, fini Calabriæ Sanctæ adjunctum, longam exhibeat Fratrum Seriem, quos ſingularis Sanctitatis opinio reddit immortales. Horum numerum glorioſè & noviſſimè ampliavit Servus Dei Fr. Angelus ab Acrio, cujus geſta, Canonicæ Sanctitatis honorem ſpirantia, ſequens Documentorum filum dabit.

Hoc Provinciæ decore, præter alios, Fr. Franciſcus Spinellus à Paula, ex Marchionibus Fuſcaldi, Sancti Marci &c. Ducibus Caivani, Principibus S. Archangeli, Regulis Guardiæ &c. ſupra fol. 2. *inter Viros illuſtres Neapolitanos recenſitus, nec non Fr. Franciſcus Maria Caracciolus, à Scalca, ex Marchionibus Miſuracæ &c. allecti, calcatâ nativi Splendoris fortunâ ad Capucinæ Aſceſcos Domicilia ſeſe contulerunt, & in iis Sanguinis genus excelſæ virtutis nitore condecorârunt, ita quidem, ut, dum illi primas Provinciæ habenas iterato meruêre, hæc eorum prudentiæ vivâ gratâque adhuc memoriâ parentet*

Habet Conventus Fratrum XXXVI.
Hoſpitium I.
Monaſteria Monialium IV.

Ad

Ad inſtantias Syndicorum, & Electorum Civitatis Montis Alti Moniales in novum Monaſterium induci; à qualibet Monachanda Dotem 200. Ducatorum præter ſolita mobilia apportari; Servitium Medici gratuitum procurari; ac ex Parthenone Coſentino Moniales pro inſtructione vocari, Archiepiſcopo Coſentino committit, ac Moniales ſub juriſdictione Ordinarii omnibus Ordinis privilegiis frui declarat.

A tergo. *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Coſentino.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtis petentium votis Sacræ Religionis incrementum reſpicientibus noſtrum libenter præſtamus aſſenſum, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Expoſitum ſiquidem Nobis nuper fuit pro parte Dilectorum Filiorum Fabritii Sproveri, & Notarii Jacobi de Presbyteris Syndicorum Univerſitatis Montis Alti Coſent. Diæceſis, ac Vincentii Jannovaro, Joannis Franciſci Barbale, Joannis Hieronymi Grimaldi, & Antonii de Cumma Electorum ejuſdem Univerſitatis, quod de Tuæ Fraternitatis licentia in Territorio nuncupato Civitatis Montis Alti dictæ Dioec. unum Monaſterium pro Monialibus ſub invocatione Conceptionis, & ſub regula reformata S. Claræ fundârunt, quod jam in ſua ſtructura perfectum exiſtit, cupientes in illud Moniales introduci poſſe, & ideo Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut opportunam ad hoc licentiam concedere, & erectionem dicti Monaſterii confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eorum pio deſiderio favorabiliter annuere, & illos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſvis excommunicationis &c. &c. & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Ven. Fratrum S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum per præſentes committimus, & mandamus, ut fundationem & erectionem Monaſterii Monialium ſub invocatione Conceptionis, & regula S. Claræ in dicta Terra Montis Alti auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuò confirmes & approbes: nec non in illud, ſi & poſtquam fabrica & Clauſura integrè completa, & mobilibus, ceteriſque rebus neceſſariis ſufficienter inſtructa fuerit, redditus illius (prout aſſeritur verum) Summam Ducatorum trecentorum & ſeptuaginta excedant, ac illi, qui pro dote perpetuo aſſignati reperiuntur, in bonis ſtabilibus, & aliis redditibus certis & perpetuis uſque ad Ducatos quater centum ante ingreſſum Monialium augeantur, & de aſſignatione & augmento per publica documenta conſtet, Moniales introduci poſſe licentiam ac facultatem concedas; ac eâdem auctoritate provideas & ſtatuas, ut Servitium Medici dicti Monaſterii gratis præſtari debeat, Dos, ſeu elemoſyna, quam Moniales ſecum afferre ſolent, ad Ducatos 200. pro qualibet, ſive Nobilis ſive Civis ſit, taxetur ultra apparatum, veſtitum & bona mobilia, quæ pro uſu proprio in ingreſſu ſingulis Monialibus conſignari ſolent, ex hujuſmodi Dote Ducatorum biſcentum poſt emiſſam profeſſionem uniuſcujuſque Monialis fiat inveſtitio in bonis ſtabilibus pro Monaſterio, quæ in alium uſum converti non poſſint, inſtituatur vita communis, victus, & veſtitus adjiciatur Reformatæ Regulæ S. Claræ, quam Moniales erunt profeſſuræ, & quam Regulam ipſius Monaſterii Moniales pro tempore in omnibus obſervare debeant, præterquam circa obſervantiam quadrageſimalem, ad quam non tenentur, niſi juxta communem Ritum S. Romanæ Eccleſiæ, & à Feſto omnium Sanctorum uſque ad Nativitatem Domini, reliquo verò tempore non prohibito veſci poſſint cibis Paſchalibus: numerum Monialium in primo ingreſſu illum tantùm cuſtodias, ac in poſterum cuſtodiri mandes, quod ex redditibus propriis Monaſterii, & ex aliis proventibus, ac bonis emendis, & acquirendis ex Dotibus Monialium commodè ſuſtentari poſſint; atque in ipſo Monaſterio Puellæ in educationem recipi poterunt uſque ad numerum, cujus abſque Monialium incommodo, Monaſterium capax erit, ſi tamen in eo fuerit pro his Puellis locus ſeparatus, & ab iiſdem alimenta præſtentur ex ea ratione, ut poſſint educari ſine aliquo etiam parvo Monaſterii damno. Ipſum autem Monaſterium Tuæ, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Coſentini Loci Ordinarii curæ, gubernio, & juriſdictioni in omnibus ſuppoſitum eſſe volumus, ac à Te Capellanum deputari, à Tua approbatione, ac ſub Tua auctoritate in omnibus dependentem. Propterea Tibi ex Monaſterio Sanctæ Claræ, ſeu Capucinarum Civitatis Coſentinæ unam Monialem ad id voluntariam educendi, eamque in dicto novo Monaſterio unà cum aliis Monialibus pro illarum inſtructione introducendi facultatem concedimus, & indulgemus, ut ſub Tua hujuſmodi obedientia viventes omnibus, & ſingulis gratiis, indulgentiis, indultis,

tis, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, quibus aliæ ejuſdem Ordinis S. Claræ Moniales, & ſub cura Ordinarii degentes frui, & gaudere ſolent, poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſine aliqua prorſus differentia frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, quaſi ſub cura & gubernio dicti Ordinis Superioris exiſterent; nec deſuper à quovis ſub prætextu, cauſa, & occaſione quacunque moleſtari, perturbari, vel inquietari poſſint, ac irritum decernimus, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Monaſterii, & Ordinis, etiam ſolita confirmatione Apoſtolica, vel quavis auctoritate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Monaſterio, & ejuſdem Ordinis Monialibus quibuſvis, & aliis in contrarium præmiſſorum quorumlibet conceſſis, confirmatis, & approbatis, quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Januarii MDCIII. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

Exemplar Authent. in Archivo Monaſterii Monialium ſupradictarum, & aliud in Archivo Ord. Armario Provincia Coſentina.

N O T A.

Inter alia Documenta in regeſtis S. Congreg. de hoc Monaſterio conſervata, notâ dignior videtur Epiſtola Vicario Generali ſcripta, ut ſequitur.

Cum Moniales Capucinæ Monaſterii B. Virginis Civitatis Montis Alti iſtius Diœceſ. apud S. Congregationem fuerint conqueſtæ, quod Communitas à pluribus annis 400. annua ſcuta, quæ virtute inſtrumenti rogiti iis in perpetuum debet, ſolvere neglexerit, E.E. Domini mei Ei à me ſcribi juſſerunt, quatenus omni niſu, omnibuſque opportunis remediis Oratricibus ſatisfieri curet, quatenus & ipſæ ſuis neceſſitatibus providere valeant. Romæ XI. Julii 1653.

Ex Reg. Secret. Congreg. Epiſc. & Regul. menſ. & an. præd. fol. 333.

Concordiam circa Donationem Rutilii Caballi pro conſtructione novæ Domûs Amantheæ factam approbat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Epiſcopi Tropeenſis in Spiritualibus Generali Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ex ſolita Sedis Apoſtolicæ providentia ad ea, per quæ præſertim decedentium voluntates cum Divini Cultûs augmento, executione debitâ non fruſtrentur, & Status Religioſorum, in unitatis Spiritu Altiſſimo famulantium non ſolum ubique floreat, ſed etiam authore Domino felicibus incrementis proficiat, ac aliarum quarumlibet Perſonarum, animi corporiſque quieti conſulatur, Noſtræ ſolertiæ curam libenter dirigimus, & iis, quæ propriâ concordiâ terminata fuerunt, ut firma, & illibata perſiſtant, muniminis præſidium propenſiùs impartimur.

Exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Mutii, & Vincentii Caballi Incolarum Tropeenſ. ſeu alterius Civitatis, & Diœceſis petitio continebat, quod aliàs de anno MDCV. tunc in humanis agens Rutilius Caballus Laicus, dum vixit, Terræ, Amantheæ nuncupatæ, dictæ Tropeen. Diœceſis teſtamento vel aliàs donatione de bonis à Deo ſibi collatis, tunc exiſtentibus Syndicis dictæ Terræ mille Ducatos monetæ illarum partium, ad effectum illos expendendi in conſtructionem Domûs Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum inceptam, vel in illam conſtrui faciendam tempore, quo Crux plantaretur, & deinde ducentos Ducatos pro ſingulis annis uſque ad ſummam Ducatorum ter mille, donec dicta Domus perficeretur, per hæredem ejus, ſeu hæredes ſolvendos, ſique aliquid pro conſtructione Domûs hujuſmodi continuanda deficeret, uſque ad illius perfectionem in contributione prædicta ejus hæredes continuare deberent; ſi verò dictæ Domui conſtructæ aliquid ſupereſſet, ad hæredem ſeu hæredes ejus prædictos devenire deberet, donavit, dictoque Rutilio rebus humanis exſumpto, & tunc Superſtite Julio Cæſare, etiam Caballo, ipſius Rutilii Fratre Germano, in ſuum hæredem reli-

relicto, idem Julius Cæſar ſummam & quantitatem pecuniæ dictam in conſtructionem novæ Domûs erogare cupiens, de anno 1614. quoddam Memoriale Dilectis Filiis Generali, ac Viſitatoribus, & aliis Patribus dicti Ordinis illius Provinciæ deſuper porrexit, qui ſtatu prædictæ Domûs, ac aliis diligenter conſideratis, cum dicto Julio Cæſare ad infraſcriptam.... devenerunt tranſactionem, videlicet, quod dictus Julius Cæſar, ſeu ejus hæredes, ſeu hæres pro conſtructione, & perfectione dictæ Domûs Summam quatuor mille Ducatorum ſimilium ſolvere debeat, ſeu debeant, & teneantur, illiſque ſolutis, ipſe, ſeu ipſi à contributione quacunque facienda liber, & exemptus, ſeu liberi, & exempti eſſent, prout in diſpoſitione & ſcripturis deſuper confectis plenius dicitur contineri.

Quare pro parte Mutii, qui aſſerit, etiam hujuſmodi rationibus intervenire & Vincentium.... Nobis humiliter fuit ſupplicatum, quatenus tranſactionem hujuſmodi pro illius ſubſiſtentia firmiori, & inviolabili ipſius obſervantia approbare, & confirmare, ac in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Mutium, & Vincentium prædictos, & eorum quemlibet, à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, nec non diſpoſitionis, & Scripturæ hujuſmodi tenores, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus tranſactionem prædictam, & omnia, ac ſingula in ea contenta, licita tamen, & honeſta, auctoritate Noſtra approbes, & confirmes, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicias, eaque valida & efficacia fore, ac ab iis, ad quos nunc ſpectat, & pro tempore quocunque ſpectabit, firmiter obſervari debere: nec ab illis ullo unquam tempore reſolvi poſſe, ſed ad illorum obſervantiam fore & eſſe obligatos, & ad id cenſuris Eccleſiaſticis, & pecuniariis pœnis cogi, & compelli poſſe: nec non irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, eadem auctoritate decernas, & voluntatem dicti Rutilii quoad hæc, ſi opus ſit, commutes: Non obſtantibus voluntate, ac aliis præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, ac Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod reſiduum dictæ Summæ quatuor mille Ducatorum hujuſmodi penes Montem pietatis, aut aliquam Perſonam fide & facultatibus dignam deponi debeat, ad effectum illud in conſtructione dictæ Domûs quamprimùm convertendi.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, pridie Kal. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Authog. in Archivo Provinciæ.

N O T A.

Concordia enunciata, quantunque Apoſtolicæ Bullæ præſidio munita, minus ſubſiſtere viſa eſt ex duplici capite: Primò, quod dubitaretur, an ſtante jure quæſito, P. Generalis &c. donationi mediâ tranſactione potuerit renuntiare? Secundò, quod Fratres in ædificio Domûs excedere velle viderentur: hinc Vicario Apoſtolico Tropeen. juſſu Sac. Congregat. fuit ſcriptum, ut ſequitur:

Quondam Rutilius Caballus anno 1607. pro erectione Conventûs Capucinorum in Civitate Amanthea iſtius Diœceſ. & pro proviſione neceſſariæ ſupellectilis Ducatos mille in pecunia numerata, alioſque ducentos Ducatos annuos per 10. annorum ſpatium, & quidem quocunque anno medio pro rata ſolvendos inter vivos donavit, cum declaratione, quod exacto hoc tempore, ſi fabrica ad perfectionem necdum foret perducta, dicta 200. Ducatorum annuorum ſolutio, uſque dum illa foret completa, eique in neceſſariis proviſum, continuaretur. Poſtea 1614. Fr. Joannes Franciſcus Commiſſarius Generalis in Provincia Calabriæ ex P. Generalis conſenſu cum hæredibus pro ſumma quatuor mille Ducatorum iſtius monetæ, unica duntaxat vice ſolvenda concordavit. Cumque pro confirmatione hujuſmodi concordiæ Apoſtolica Bulla à fel. rec. Gregorio XV. fuerit obtenta, illiuſque executio Vicario Generali iſtius Cathedralis demandata cum clauſula licita tamen, & honeſta, *fuit concordia à dicto Vicario ratihabita & confirmata. Jam verò cum ſummam 4000. Ducatorum pro integra voluntatis Defuncti executione non ſufficere, effectivè pateat, hicque publico Inſtrumento declaraverit, totum, quod pro perfectione prædicta neceſſarium foret, ſubminiſtrari debere, fuit in S. Congregatione dubitatum, an ſtante jure quæſito per dictæ donationis acceptationem, P. Generalis mediante dicta tranſactione ei potuerit renuntiare? & examinatis iis, quæ ab utraque parte per relationem Illuſtriſſimi Cardinalis Cremonæ fuêre deducta, emanata eſt ſententia negativa, & conſequenter deciſum, dictam tranſactionem eſſe nullam, nec per Bullam confirmationis in forma communi, ut ſupra, obtentæ convalidatam, & ideo voluntatem Teſtatoris executioni dandam eſſe. Cumque ab Hæredibus opponatur, quod Fratres Fabricam ſuperfluè propugnaculis ad modum Fortalitii, & longè ultra id, quod paupertati, quam profitentur, convenit, ampliare intendant, mandant Illuſtriſſimi Domini mei, ut formam Fabricæ dicti Fratres dent illam, quæ Conſtitutionibus, & eorum Religionis inſtituto correſpondeat, & non aliter.*

Pro-

Procurabit inde, ut præſens hæc reſolutio quoad omnia ſua puncta executioni demandetur &c. Romæ 5. Februarii 1627.

Laudivius Card. S. Sixti.

P. Fagnanus.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & an. præd. fol. 42.

Fuit ſubinde ſublata omnis difficultas per aliam Concordiam, confirmatam litteris Apoſtolicis, quæ ſequuntur:

Novam tranſactionem circa eandem donationem firmat.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Mutius Caballus Tropeen. Dioec. quòd aliàs de anno 1607. ſeu alio veriore tempore quondam Rutilius etiam Caballus ex Oppido de Amantea dictæ Dioec. tunc in humanis agens, pro unius Domûs Regularis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. in eodem Oppido erectione, ac neceſſariæ ſupellectilis proviſione Ducatos mille in pecunia numerata, & alios Ducatos Ducentos monetæ Regni Neapolis, ſpatio decem annorum perſolvendos inter vivos donavit, cum expreſſa declaratione, quod dictis decem annis elapſis, ac fabricâ novæ Domûs hujuſmodi ad debitum finem non perductâ, tunc ducenti Ducati prædicti quotannis, donec ipſa nova Domus integrè perfecta foret, ſolverentur.

Subinde verò de anno 1613. Dilectus Filius Joannes Franciſcus Breſcia, Provinciæ Calabriæ, ejuſdem Ordinis Commiſſarius Generalis de tunc exiſtentis dicti Ordinis Miniſtri Generalis, & Fratrum ejuſdem Provinciæ conſenſu cum hæredibus dicti Rutilii pro ſumma quatuor mille Ducatorum ſimilium ſuper præmiſſis concordavit, confirmatione Apoſtolica etiam deſuper ſubſecutâ, & executioni demandatâ. Verùm poſtea lite & cauſa de - & ſuper concordia hujuſmodi in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum introductâ, reſolutum fuit, concordiam ipſam eſſe nullam, contra verò, quod dicti Fratres fabricam dictæ Domûs ad debitum finem, juxta eorum Conſtitutiones, & Inſtituta perducerent, & non aliàs. Succeſſivè verò de anno 1629. Dilectus Filius Ægidius de Sancto Severino, Fratrum ejuſdem Provinciæ Generalis Viſitator deputatus, peractâ novæ Domûs prædictæ viſitatione, inſpectâque illius fabrica, & quod ſupererat perficiendum, quæque eſſet ipſius Domûs neceſſitas, maturè conſiderato, ad infraſcriptam cum dicto Mutio devênit concordiam, & tranſactionem, videlicet:

Cum elapſo menſe Septembris ego infraſcriptus Viſitator Generalis Fratrum Capucinorum hujus Provinciæ Coſentinæ cum D. Mutio Caballo in Loco Capucinorum Amanteæ ad tractandum fabricæ illius Domûs negotium conveniſſem, ut agendorum terminus & regula, quæ alterari non deberet, & circa quam nullus gravari valeret, præfigeretur, viſiſque tum dicti D. Mutii animo bene diſpoſito, tum iis, quæ pro diminutione expenſarum relaxari deberent, attentâque Capucinorum præfatorum neceſſitate, ac auditis P. Guardiano Loci, aliiſque Fratribus, ad ſequentes devenimus articulos:

Ut fabrica Eccleſiæ, cum omnibus requiſitis, quæ deficiunt, terminetur, Crucifixus in arcu trabis collocetur, Cuſtodia & Pixis argentea, ac major figura ſecundùm frontiſpicium conficiantur, lampas juxta pondus, & noſtrum modum, Pſalterium, Breviarium pro Choro, Paramenta pro Altari, Pianetæ &c. juxta Capucinorum uſum, & juxta Rubricas, cum Miſſalibus præſtentur, cum hæc omnia deficiant, & ſint neceſſaria.

Ut Dormitorium, quod Chorum reſpicit, finiatur, cum ibi tres Cellæ ſint conſtruendæ, fiatque aliud Dormitorium Sacriſtiam versùs cum Officinis inferioribus, juxta normam, juxta quam alia duo cum Cellis ex parte Clauſtri ſunt conſtructa.

Ut in tergo Eccleſiæ Sacriſtia altitudinis competentis conſtruatur, quin ſuper eam fiant Cellæ, ſed facta fornice convexâ tecto cooperiatur; ex quo duæ Cellæ pro ſumptuum diminutione omittuntur. Proinde in omnibus tribus Dormitoriis nonniſi ſexdecim duntaxat Cellæ reperientur, demptâ illâ, quæ Communitati ſervire debet. Numerus, quo minorem Conventus habere nequit, & quo majorem tranſitus Fratrum, præſertim tempore Capituli Generalis, quo Patres Siciliæ divertunt, exigit.

Fiat itidem Ciſterna competens in Clauſtro,

ſtro, in quo arcus aliàs in hac Provincia conſueti omitti poterunt, ut expenſis pariter parcatur. Hortus muro cingatur, cum viæ publicæ & mari adjaceat, & quotidie inconvenientia audiantur: Linea muri ducatur à porta Monaſterii ad planum uſque ad ſuperiorem ripam, ubi poterit interſecari, cum Fratres ibidem tam facilè non poſſint moleſtari, & inde quoque ſumptibus non parùm parcatur; murus ſit modicæ craſſitiei, ſufficietque, ſi ſit ſolidus, & altitudinis congruæ. Pro Bibliotheca multæ expenſæ non fiant, & libris duntaxat ſpiritualibus, & quibuſdam Summis ad Sacerdotum uſum pro pretio 15. vel 20. Ducatorum duntaxat inſtruatur.

Quæ omnia judico neceſſaria, & ipſe quoque D. Mutius ea ceu talia in præſentia agnoſcit: Iis autem expletis, D. Mutius ab onere Legati liber exiſtat, & liberè ejus utatur fructibus. Poterit quoque Decretum Definitivum, quod alius Fratrum alterare nequeat, confici, & in hoc Loco conſervari, quatenus Dominus prædictus plenè maneat contentus.

Requirit ad horum finem, & pleniorem ſuam ſatisfactionem D. Mutius duo puncta: Primò, ut arma ſeu ſcuta ſua Gentilitia cum inſcriptione in marmore erigere poſſit: quod concedendum promiſi, prout & jam ei conceſſum eſt, & prout in aliis quoque locis factum conſpicitur. Secundò, quod pro ſua devotione Capellam contiguam cum Sepultura pro humando in ea ſuo cadavere, conſtruere poſſit: quod & pariter concedendum repoſui, adjungens, ei concedi poſſe, ut in ipſa Fratrum ſepultura ſepeliatur, quatenus expenſis majoribus parcatur; manſit autem in Capellæ conſtruendæ propoſito: poteſtque ei unum, & alterum concedi. Relatum mihi quoque fuit ab ipſo ambiri, ut in Feſto Purificationis candela, & tempore quadrageſimali palma ipſi mittatur; cui annuere nolui, ne jugum imponatur. Quievit autem & ille deſuper, & in fidem dictorum & actorum præſentes manibus propriis ſubſcripſimus = *Fr. Ægidius à S. Severino Viſitator Generalis Capucin.* = *Mutius Caballus, Civis Amanteæ ſum contentus, & affirmo, ut ſupra.* Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Mutius plurimùm cupiat, concordiam & tranſactionem prædictas pro illarum validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ Noſtræ Confirmationis robore communiri, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Mutium, & Ægidium, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares Perſonas &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium præpoſitorum conſilio Tibi concordiam & tranſactionem, ac deſuper confectas præinſertas ſcripturas hujuſmodi cum omnibus in eis contentis, Apoſtolica auctoritate noſtra, arbitrio tuo approbandi & confirmandi; ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplendi facultatem auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Julii MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Aut. Archivi Secretariæ Brevium Apoſtolicorum menſe, & anno prædictis fol. 493.

EPISTOLA

Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regular.

A Monialibus Civitatis Coſentinæ contiguam Domum emi, & Valetudinarium conſtrui, Archiepiſcopo Loci committitur.

Illuſtris ac Reverendiſſime Domine, uti Frater.

STante Amplitudinis Tuæ relatione, ſub tertio menſis currentis datâ circa emptionem, qua Moniales illius Monaſterii Capucinæ Domum &c. clauſuræ incorporare, & Valetudinarium conſtruere intendunt, Illuſtriſſimi Domini mei indulgent, ut vigore auctoritatis, quæ per haſce Eidem confertur, neceſſariam licentiam iis impertiatur. Et Deus &c. Romæ 10. Sept. 1627.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & ann. prædict. fol. 414.

NOTA

N O T A.

AB injuria oblivionis, ad quam jam labi cœperant, ſapientiſſimè vindicavit Documenta hujus Monaſterii D. Fabius de Bonomo, tunc Vicarius Generalis &c. Diplomate ſequente:

In Nomine Sanctiſſimæ, & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ad gloriam quoque Beatiſſimæ, ac Glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ.

Fabius de Bonomo J. V. D. Prothonotarius Apoſtolicus, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Joannis Baptiſtæ Conſtantii, Miſeratione Divina Archiepiſcopi Coſentini in ſpiritualibus & temporalibus Locum-tenens Officialis & Vicarius Generalis.

Etſi Monaſterium Monialium Eccleſiæ Sanctæ Crucis à multis annis legitimè fuerit in hac Civitate Coſentiæ erectum, & illius inſtitutum ſub arctiori, & Reformata Regula S. Claræ, ſeu Capucinarum ad hanc uſque diem, Dei benignitate feliciter cum maxima populi ædificatione ſit ſervatum, ita ut nihil in eo ſit, quod rerum humanarum contemptum non præſeferat, orationum frequentiam, & mortificationem continuam non demonſtret, & oſtendat, omniſque regularis diſciplinæ obſervantiam, & devotionis affectum non redoleat, de ipſius tamen Monaſterii erectione, quia nullum reperimus legitimum documentum, niſi quaſdam Scripturas in foliis aberrantes, decrevimus pro Officii noſtri munere eaſdem Scripturas recognoſcere, prout in proſecutione noſtræ Generalis Viſitationis diligenter recognovimus; quinimo adhibita ſuper his Summaria informatione à fide dignis, ac etiam à Monialibus ejuſdem Monaſterii è Loco Cratæ exterioris, ex quibus aliquæ ſuperſunt, quæ à primæva Monaſterii inſtitutione laudabiliter reperiuntur. Ea igitur, quæ ex hujuſmodi informatione pro veritate comperimus, viſum eſt, ne illorum memoria pereat, harum ſerie declarare, prout modo, ut ſequitur, declaramus.

Monaſterium prædictum legitimè fuit erectum auctoritate ordinaria, & licentia bonæ mem. Fantini Petrignani, olim Archiepiſcopi Coſentini anno 1581. eſt ordinariæ juriſdictioni Archiepiſcopi prædicti in omnibus ſubjectum, & ſuppoſitum. Eccleſia dicti Monaſterii titulo S. Crucis nuncupatur, & decoratur: Regula, quam Moniales Monaſterii prædicti receperunt, & profitentur, ad præſcriptum Strictioris, & Reformatæ Capucinarum Regulæ Sanctæ Claræ, & B. Coletæ procedit, convenitque cum Regula, quam profitentur Moniales S. Mariæ in Jeruſalem Civitatis Neapolis: eandem Regulam ad commodiorem uſum Monialium purgatam imprimi mandavimus adjectis locis aliquibus Sacri Concilii Tridentini tantùm, quæ ad rem pertinebant. Numerum Monialium ejuſdem Monaſterii Illuſtriſſimus D. Archiepiſcopus Conſtantius ſupradictus præſcripſit die 6. menſis Octob 1594. ad viginti, præter Abbatiſſam, quæ vigeſimum primum numerum adimplet. Ut etiam, quæ Monaſterium prædictum jam ingreſſæ, & profeſſæ ſunt, & deinceps ingredi & profiteri occurret, cum annotatione diei & anni, aliarumque circumſtantiarum in memoria habeantur, mandavimus hoc etiam in libro de ordine noſtro compoſito ad formam inferiùs deſcribendam referri, ibique dies obitûs occurrentis vel egreſsûs è Monaſterio annotari, & ab alia ejuſdem Libri parte electiones Abbatiſſarum deſcribi. Quæ omnia ut pateant, & ad fidem præmiſſorum in proſecutione dictæ noſtræ Generalis Viſitationis præſentes relaxavimus, & manu noſtra ſignavimus appoſito Sigillo Illuſtriſſimi D. Archiepiſcopi, quo in talibus utimur. Coſentiæ die 23. Junii 1608. Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Pauli divina providentia Papæ V. Anno quarto, Præſulatûs dicti Illuſtriſſimi Archiepiſcopi anno decimo octavo.

Prothonotarius de Bonomo Locum-tenens, & Vicarius Generalis Coſentinus.

Autograph. in Archivo Monialium prædictarum.

Sacram Supellectilem è Sacriſtia, vel Eccleſia Domûs Coriolani diſtrahi vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi, & manutentioni paramentorum, & ornamentorum, totiuſque Sacræ Supellectilis Eccleſiæ Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum loci Coriolani Roſſanen. Diœc. quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, & dilectos Filios ipſius Domûs Guardianum, & Fratres ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine &c. inclinati; ne de cætero quiſquam quavis auctoritate fungens, quæcumque paramenta, & ornamenta Eccleſiæ, nec non Cruces, vaſa aurea & argentea, & aliam cujuſviſ generis, & quomodolibet nuncupatam ſacram ſupellectilem eidem Eccleſiæ quomodolibet, ſeu ejus Sacriſtiæ hactenus quomodolibet donata ſeu aſſignata, & impoſterum donanda ſeu aſſignanda è dicta Eccleſia, ſeu Sacriſtia extrahere, ſeu, ut extrahantur, permittere ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, vel prætextu, præterquam ad effectum illa reſarciendi, audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes

incurrendis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs, & Ordinis prædictorum etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, vel aliquo alio perſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſſit, continuo affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, Die x. Decembris MDCXXXII. Pontificatus noſtri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Autograph. in Arch. Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Menſ. Dec. 1632. f. 74.

D E C R E T O

Sacr. Rituum Congregat.

A Fratribus in Loco Murani Miſſas ante Proceſſionem in Feſto Sanctiſſimi Sacramenti &c. celebrari indulgetur, Conſtitutione Greg. XIII. deſuper editâ non obſtante.

Emi, & Rmi Domini Domini.

FRatres Capucini Conventûs Oppidi Murani Diœceſis Caſſanenſis exponunt Eminentiſſimis DD. VV. qualiter olim inter Archipresbyterum, & Rectores Eccleſiarum Parochialium Oppidi prædicti tranſactio facta fuerit, poſtmodum per litteras Greg. XIII. fel. rec. in forma Brevis anno 1582. die 9. Auguſti confirmata, quâ inter cætera cautum habetur, ne in die feſto, & Octava Sanctiſſimi Sacramenti Miſſa ulla in qualibet Eccleſia dictæ Terræ celebretur, niſi finitâ proceſſione, & Miſsâ Solemni, prout latius in adjuncta dicti Brevis copiâ continetur. Verùm, cum Oratores in dicta tranſactione nominati non ſint, nec ullo modo intervenerint, quippe, qui tunc temporis nondum ibi Conventum fundaverant, ac præjudicium non mediocre ſibi ex illâ prohibitione illatum ſentiant, cum Sacerdotes in tanta ſolemnitate non niſi feſtinanter, & horâ tardâ, nec ſic quidem omnes, ſed aliqui duntaxat celebrare valeant. Eam ob rem ſupplicant humillimè à VV. DD. Eminentiſſimis declarari, ipſos Oratores in hujuſmodi prohibitione minimè comprehendi, præſertim cum caſus ſit in odioſis, & inſolitis, acceptantes nihilominus intereſſe voluntariè præfatæ proceſſioni in honorem Sanctiſſimi Sacramenti, quamvis ab Oppido diſtent. Quam gratiam à VV. Eminentiis expectant. Deus &c.

Sacra Rituum Congregatio, annuente Sanctiſſimo cenſuit in caſu propoſito Capucinos non eſſe comprehenſos, ideoque poſſe in eorum Eccleſia liberè celebrare Miſſas, dummodo terminentur tempore, & hora, qua iidem Capucini intereſſe debent, unà cum aliis Regularibus Proceſſioni Solemnitatis Corporis Chriſti die 15. Decembr. 1635.

C. Epiſc. Portuenſis Card. Pius.

Cæſar Fachenetus Secretarius.

Ex reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 68.

N O T A.

Bulla, quam Libellus ſupplex allegat, & quâ concordia Archipresbyterum inter- & Regulares inita fuit confirmata, ſonat, ut ſequitur:

GRegorius Epiſcopus Servus Servorum Dei. *Ad futuram rei memoriam. In ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus, Divina diſpoſitione conſtituti, ad ea libenter intendimus, per quæ inter Chriſtifideles quoslibet pacis conſervatur amœnitas, & anfractus litium evitantur, ac his quæ propterea providè conſtituta, & ordinata fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata ſubſiſtant, cum à Nobis petitur, Apoſtolici adjicimus muniminis firmitatem. Sanè pro parte dilectorum Filiorum Joannis Franciſci Corinæ, Archipresbyteri Sancti Petri, & Antonii de Feulo, S. Mariæ Magdalenæ, & Marci l' Abbate, S. Nicolai Oppidi Murani Caſſan. Diœc. Parochialium Rectorum exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod aliàs, cum nonnullæ differentiæ, & contentiones inter Archipresbyterum, & Rectores prædictos ſuper celebratione Proceſſionis Sanctiſſimi Corporis Chriſti feſtivitatis die celebrari ſolitæ vigerent, ſcandalaque inde oriri poſſe formidarent, dilectus Filius Vicarius Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Caſſanen. in ſpiritualibus Generalis ſufficienti ad id, ut aſſerebat, ab eodem Epiſcopo, per ejus litteras facultate ſuffultus, de communi eorundem Joannis Franciſci, Antonii, & Marci conſenſu, quod Archipresbyter, ac Rectores dictarum Eccleſiarum, aliique Diaconi, & Subdiaconi, Clerici, & aliæ omnes Eccleſiaſticæ Perſonæ cujuſcunque conditionis qualitatiſve exiſtant, præſertim Fratres Sancti Bernardini Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum dicti Oppidi, in prædicto Sanctiſſimi Corporis Chriſti feſto, & deinde perpetuis futuris temporibus eâdem feſtivitate horâ matutinâ ſe omnes in dicta Eccleſia S. Petri congregare, & poſtmodum ab eadem Eccleſia eâ qua decet, devotione proceſſionaliter, ubi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per dictum Archipresbyterum deferretur, ad Eccleſiam prædictam B. Mariæ Magdalenæ conferre, ibique cum pervenerint, ac Sanctiſſimum*

Sacra-

Sacramentum prædictum ſuper Altare prædicti Corporis Chriſti, in dicta Eccleſia ſitum, ut fieri ſolet, repoſitum fuerit, idem Archipresbyter Miſſam ſolemniter in eadem Eccleſia cum Diacono, & Subdiacono celebrare debeant, & teneantur: quodque Sanctiſſimum Sacramentum prædictum ſuper ipſius Altari, ut præfertur, repoſitum, Octava feſti ejuſdem Corporis Chriſti accipere, & ab omnibus Rectoribus, & Fratribus, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis prædictis aſſociatum etiam proceſſionaliter, & cum debita ſolemnitate, ad Eccleſiam S. Nicolai deferre, & repoſito ſuper dictæ Eccleſiæ Altari Sacramento prædicto ibi Miſſam per eundem Archipresbyterum cum Miniſtris prædictis Diacono, & Subdiacono dictæ Eccleſiæ, ut in dicto Sanctiſſimi Corporis Chriſti feſto factum fuit, celebrandam eſſe, & Benedictionem cum eodem Sanctiſſimo Sacramento per eum fieri debere, ac quod in nulla dictarum S. Mariæ Magdalenæ & Divi Nicolai Eccleſiarum, dum Miſſa Solemnis celebratur, Miſſa ſubmiſſa voce nullo modo celebrari, dictique Fratres, cum ipſa proceſſio fiet ab iiſdem Eccleſiis, donec Miſſa finita fuerit, recedere nequeant; in aliis autem ejuſdem Oppidi Eccleſiis nec Miſſa nec alia Divina officia, niſi prius finitis per dictum Archipresbyterum, & Rectores Divinis Officiis celebrari valeant, ac præmiſſa omnia perpetuò per dictum Joannem Franciſcum, Antonium, & Marcum, ac ejus Succeſſores obſervari debere, nec eis per quemquam quovis prætextu, aut cauſa contraveniri poſſe ſtatuit, & ordinavit, prout in publico deſuper confecto documento plenius dicitur contineri. Quare pro parte Joannis Franciſci, Antonii, & Marci prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſtatutis, & Ordinationibus prædictis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere de Benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur volentes omnis contentionis occaſionem tollere, ac Joannem Franciſcum, Antonium, & Marcum prædictos, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, & Ordinationes præmiſſas Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac omnes, & ſingulos defectus, ſi qui intervenerint, in iiſdem ſupplemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, & ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, nona die Auguſti Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Antiquam Domum Caſtrovillarii vendi, & novam conſtrui concedit, oſſibus mortuorum prius aliò translatis.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Coſentino.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilecti Filii Miniſtri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Coſentinæ, Nobis expoſitum fuit, quod de Superiorum conſenſu nova Domus Regularis eorumdem Fratrum in Terra Caſtrovillarii Caſſanen. Diœceſis conſtructa, ſeu conſtrui cœpta fuit, proindeque, cum Domus Regularis antiqua dimittenda ſit, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi de licentia illam vendendi providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Exponentem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, eiſdem Fratribus, quod mediante Syndico Apoſtolico prædicta Domus Regularis antiqua cum horto, perſonis meliorem conditionem offerentibus vendi, pretiumque ex venditione hujuſmodi redigendum in fabricam ejuſdem novæ Domûs Regularis converti; & in eventum, in quem dictam Domum Regularem antiquam perſonis Sæcularibus vendi contingat, illius Eccleſia prius prophanari, in prophanos, non tamen ſordidos uſus, Oſſibus tamen mortuorum in ea ſepultorum alibi collocatis, reduci liberè, & licitè poſſit, & valeat, & reſpectivè debeat, authoritate noſtra Apoſtolicâ licentiam concedas, & impartiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die IX. Decembris MDCXXXVII. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secret. Brev. Apoſtolicorum menſ. & anni præd. fol. 33.

NO-

N O T A.

FRatres hujus Conventûs circa feſtivitatem S. Paſchalis à pari Ven. Cleri Sæcularis erga hunc Sanctum devotione paucis retroactis annis nonnihil turbari contigit, fuit autem iis proviſum Monitorio ſequenti:

Proſper Columna Protonotarius Apoſtolicus, Cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor &c. Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, à Sanctiſſimo D. N. Papa ſpecialiter electus, & deputatus.

Univerſis, & ſingulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Diaconis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Canonicis, Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Perſonis Eccleſiaſticis, aliiſque, vel aliis &c. Salutem &c. Noveritis fuiſſe nuper in Tribunali noſtro, coram Nobis comparitum pro parte, & ad inſtantiam Venerabilis Conventûs, & RR. PP. Capucinorum Civitatis Caſtrovillar. omni meliori modo, & nomine Principalium, & expoſitum, quod licèt ipſi ſint, & reperiantur in quieta, & pacifica poſſeſſione celebrandi Feſtivitatem S. Paſchalis Baylon cum novena, Panegyrico, & Expoſitione Venerabilis SSmi Sacramenti Euchariſtiæ privativè quoad Clerum Sæcularem, & alias Perſonas, quæ Religionem PP. Minorum profeſſæ non fuerunt, etiam in vim Decretorum S. Congregationis Rituum ſuis loco, & tempore deducendorum; nec non Decreti S. M. Benedicti Papæ XIII. in actis infraſcripti Notarii, emanatorum ſub diebus quinta, & undecima Martii 1729. ſui &c. ad quæ &c. nihilominus, quia inſurgentes Ven. Clerus Sæcularis S. Juliani ejuſdem Civitatis, nonnullique forſan alii in executione præſentium nominandi, & cognominandi, neſcitur quo jure ducti, prætentionem excitârunt, eandem Feſtivitatem celebrandi contra formam dictorum Decretorum, & poſſeſſum DD. PP. inſtantium, aliaſque innovationes ſe ſe jactârunt & jactant velle introducere in eorum præjudicium. Cupientes propterea eorum indemnitati conſulere, ad Nos recurſum habuerunt, ſupplicando, quatenus eiſdem in præmiſſis opportunè providere velle dignaremur.

Nos itaque attendentes petitionem hujuſmodi eſſe juſtam, & rationi conſonam; quodque juſta petenti non ſit denegandus aſſenſus, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis tenore præſentium committimus, & mandamus, quatenus ſtatim viſis, ſeu receptis præſentibus & poſtquam &c. fueritis requiſiti, ex parte noſtra, imò veriùs Apoſtolica Auctoritate moneatis, & requiratis, prout Nos monemus, & requirimus per prædictum Ven. Clerum Secularem S. Juliani ſupradictæ Civitatis, omneſque, & ſingulos alios in executione præſentium nominandos & cognominandos, quatenus infra ſex dierum ſpatium ab executione præſentium computandorum, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos alios duos dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino canonicaque monitione, unica pro trina Nos aſſignamus, & Vos aſſignetis eiſdem per præſentes, ſub quingentorum ducatorum auri, RR. Cameræ Apoſtolicæ in caſu applicandorum; & pro illis Mandati executivi, & in juris ſubſidium excommunicationis, aliiſque pœnis noſtro arbitrio debeant prædicta Decreta S. Congregationis Rituum, & S. M. Benedicti Papæ XIII. omniaque in eis contenta, & expreſſa obſervâſſe, attendiſſe, & adimpleviſſe, ſuæque debitæ, & omnimodæ executioni demandâſſe, & pro hujuſmodi effectu præfatos RR. PP. inſtantes in dicta eorum quieta, & pacifica poſſeſſione celebrandi feſtivitatem S. Paſchalis cum novena, Panegyrico & Expoſitione SS. Sacramenti privativè quoad dictum Clerum Sæcularem, & alias Perſonas, manutenuiſſe, defendiſſe, & conſervaſſe, ac ab omnibus, & quibuſcumque jactationibus, moleſtiis, perturbationibus, & impedimentis eiſdem dictis Inſtantibus quomodolibet illatis, datis, factis, & præſtitis, inferendiſque, & cominandis infuturum penitus & omninò ceſſaſſe, receſſiſſe, & ſe ſe abſtinuiſſe, dictaſque jactationes, moleſtias, perturbationes, & impedimenta, cæteraque contraria, nullas, & nulla declaraſſe, & tamquam talia revocaſſe, ſeu per Eos obſervari, attendique, manuteneri, defendique, ceſſarique, deſiſtique, mandari vidiſſe. Et ſuper præmiſſis Decreta quæcumque fieri, & Mandatum quodcumque in forma concedi, decerni, & relaxari, ſententias ferri, & promulgari, jus, & juſtitiam fieri, & miniſtrari vidiſſe, expenſas, & damna refeciſſe. & præſentibus omnino paruiſſe. Deducentes &c. implorantes &c. non ſolum &c. ſed omni &c. & nihilominus &c. ſi quis &c. compareat &c. Alioquin prædictos ſic monitos & monendos, ſi in præmiſſis ſe ſe gravatos fore ſenſerint, peremptoriè citetis, citarique curetis, & mandetis, prout Nos citari mandamus eoſdem per præſentes, quatenus decimaquinta die poſt præſentium executionem juridicè compareant Romæ in judicio coram Nobis per ſe ſe, vel Procuratores ſuos legitimè conſtitutos, cauſam eorum prætenſi gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi, prout juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis: certificantes eoſdem ſic citatos, & citandos; quod ſi in dicto citationis termino non comparuerint, Nos nihilominus ad præmiſſa deveniemus juſtitiâ mediante. Inſuper inhibeatis, præcipiatis, & mandetis, ſicuti Nos inhibemus, præcipimus, & mandamus per præſentes omnibus, & ſingulis de partibus DD. Judicibus Eccleſiaſticis, quacumque authoritate, & facultate fungentibus, & functuris, & præſertim ſupradicto R Clero Sæculari S. Juliani prædictæ Civitatis, omnibuſque, & ſingulis aliis in executione præſentium nominandis, & cognominandis, ne ſub jam dictis, aliiſque pœnis noſtro arbitrio audeant, ſeu præſumant, præter, & contra formam Decretorum &c. S. Congregationis Rituum, & S. M. Benedicti Papæ XIII. aliud in partibus, & coram illis DD. Judicibus, nec alibi, quàm Romæ coram Nobis, & per acta infraſcripti Notarii innovare, vel attentare, minuſque DD. RR. PP. Inſtantes in dicta, qua ſupra, poſſeſſione celebrandi dictam Feſtivitatem S. Paſchalis Baylon cum novena, Panegyrico, & Expoſitione SSmi Sacramenti Euchariſtiæ privativè quoad dictum Clerum Sæcularem &c. moleſtare, vexare, & perturbare per ſe ſe &c. quovis ſub prætextu &c. quod ſi ſecus &c. id habendum &c. taliter &c. In fidem &c. Datum Romæ ex M. Curia Innocentiana hac die vigeſima ſeptima Aprilis MDCCXXXVII.

P. H. Guglielmi Secret.

Autog. in Archivo Provinciæ.

Pre-

Pretiũ ex vendito veteris Domûs Rublani Situ redactum in extinctionem æris alieni, pro novæ Domus fabrica contracti, applicari indulget, legitimatque venditionem ſucceſſivam perinde, ac ſi unico facta fuiſſet contextu.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ Rublani Coſentin. Diœceſis, quod cum aliàs, & ante aliquot annos eorum antiquus dictæ Terræ Conventus terræmotu corruiſſet, Fratres prædicti unum alium Conventum in alio ſitu ſalubrioris aeris conſtrui fecerunt, qui cum ferme ad præſens perfectus, & ab ipſis Fratribus inhabitatus ſit, coguntur ipſi Fratres multum æs alienum occaſione fabricæ dicti novi Conventûs hujuſmodi contractum diſſolvi facere. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus prædictis, quod ipſi, per eorum tamen Syndicum, ſitum dicti Conventûs veteris quibuſvis perſonis, meliorem conditionem offerentibus vendere ad effectum, ut pretium inde redigendum in extinctionem dicti æris alieni, ut præfertur, contracti convertatur, liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam Apoſtolica authoritate, tenore præſentium concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod venditio, & pretii converſio hujuſmodi unico contextu fiant, vel ſaltem pretium prædictum penes Montem Pietatis, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, inde non amovendum, niſi ad effectum illud, ut præfertur, convertendi. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XI. Octobr. MDCXLIV. Pontific. Noſtri Anno Primo. = *M. A. Maraldus.*

Cum autem, ſicut Dilecti Filii moderni Guardianus, & Fratres dicti novi Conventûs Nobis nuper exponi fecerunt, pro præmiſſorum adimplemento, adhibitâ quavis diligentiâ ob pecuniarum penuriam reperiri non potuerit emptor, qui ſitum præfatum emerit, illiuſque pretium unico contextu ſolverit; proinde Syndicum eorumdem Fratrum ſitum hujuſmodi dilecto Filio Hyacintho de Piro Archipresbytero dictæ Terræ vendere, & alienare, & cum eo paciſci oportuerit, ut dicti ſitus pretium ultra id, quod jam in prompta pecunia receptum fuit, in tribus vicibus, & partitis ſolveretur. Nobis propterea dicti Exponentes, cupientes quamcumque difficultatem, quæ ex eo, quod venditio, & pretii converſio hujuſmodi juxta præinſertarum noſtrarum literarum continentiam, & tenorem unico contextu factæ non fuerunt, oriri poſſet, è medio removeri, aſſerenteſque cœtera alia in eiſdem præinſertis literis contenta exactè adimpleta fuiſſe, humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & authoritate Apoſtolica decernimus, ut venditio ſitûs hujuſmodi per dictum Syndicum vigore præinſertarum noſtrarum literarum, ut præmittitur, facta, valeat, ſuumque effectum ſortiatur in omnibus, & per omnia, perinde, ac ſi in eiſdem literis, quod venditio dicti ſitûs, & illius pretii converſio unico contextu fieret, decretum minimè fuiſſet; ſalvâ in reliquis earumdem literarum diſpoſitione. Non obſtantibus præmiſſis, & omnibus illis, quæ in dictis præſentibus literis voluimus non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die IX. Februarii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Secret. Brev. Apoſt. Menſ. & Anno præd. fol. 9.

Ima-

Imaginem B. V. Mariæ celebrem, & ad Eccleſiam novæ Domûs Civitatis Roſſanenſis jam translatam, ex hac extrahi ſub cenſura vetat.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut Dilectus Filius Procurator Generalis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, Dilecti pariter Filii Conventûs Civitatis Roſſanenſis dicti Ordinis in eundem Conventum, deſerto veteri eorum Conventu, in executionem mandatorum noſtrorum migraverint, ac in ipſius Conventûs Roſſanenſis Eccleſiam quandam Imaginem B. Mariæ Virginis populi devotione celebrem, quæ in Eccleſia dicti veteris Conventûs aſſervabatur, tranſtulerint, dictuſque Procurator Generalis opportunè in præmiſſis, ut infra, à Nobis provideri ſummopere deſideret, Nos ipſum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excomunicationis, ſuſpenſionis &c. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cœtero quiſquam quavis authoritate, officio, aut ſuperioritate fungens, ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione prædictam B. Mariæ Virginis Imaginem ex Eccleſia dicti Conventus Roſſanen. extrahere, & aſportare audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo, abſque alia declaratione, incurrenda, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, ut præſentis prohibitionis copia in Valvis Eccleſiæ dicti Conventus Roſſanen., vel in alio loco conſpicuo, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXIII. Auguſti MDCLIX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

S. Ugolinus.

Ex Reg. Archivi Secret. Brevium Apoſtolicorum menſ., & ann. præd. fol. 27.

NOTA.

BInâ potiſſimum vice recurrere oportuit Fratres hujus Conventûs ad Sacram Congreg. Rituum: primâ vice fuit iis contra RR. PP. Conventuales Coriolani proviſum, ut ſequitur:

Roſſanenſis.

Referente Emo D. Cardinale Franciotto cauſam inter FF. Conventuales & Capucinos Roſſani, Coriolani &c. circa Habitum S. Antonii de Padua, & illius Imaginis in Proceſſione delationem, S. Congregatio, nihil decidendo circa veritatem præfati Habitûs reſcripſit Epiſcopo, quod poterat Proceſſionem cum præfatæ Imaginis delatione, & Habitu permittere, ut latiùs in ſequenti Litera:

Perilluſtris & Reverendiſſime Domine uti Frater.

Super expoſito à Fratribus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci Terræ Coriolani Diœceſ. Amplit. Tuæ, quoad Proceſſionem S. Antonii de Padua cum ejuſdem Sancti Statua in Habitu, quo iidem Fratres utuntur, Eminentiſſimi Patres Congreg. S. Rit. monitum Te voluerunt, non eſſe eos in voto, quod dicta Proceſſio, ut præfertur, prohibeatur, ſed ultro ſatisfieri eâ volunt devotioni & eorumdem Fratrum & Populi. Nolunt nihilominus propterea quidquam deciſum circa ejuſdem Sancti Habitûs veritatem, & plurimam Amplitudini Tuæ precor ſalutem. Romæ die 13. Julii 1652.

Ex Regeſto Secret. Congr. menſ. & anni præd. fol. 6.

Prætendentibus RR. PP. Minimis Civitatis Roſſanenſis præcedentiam in Proceſſionibus. fuit ad favorem Fratrum ſecunda vice deciſum, ut ſequitur:

Roſſanenſis.

Procurator Generalis Ordinis Capucinorum expoſuit, à Fratribus Minimis S. Franciſci de Paula nuncupatis, Roſſanen. Civitatis, Fratribus Capucinis ejuſdem Loci in Proceſſionibus præcedentiam controverti, ex quo Capucini ab antiquo Conventu ad modernum, poſtquam Fratres Minimi in ea Civitate Conventum adepti ſunt, tranſierunt. Sacra itaque Rit. Congregatio cenſuit, præcedentiam competere Capucinis, uti antiquioribus in Loco, & Familiam moderni Conventûs ſubrogati Loco antiqui, iis omnibus privilegiis gaudere, quibus antiqui Conventûs Familia ipſa fruebatur, præſertim, quod translatio auctoritate Apoſtolica peracta ſit. Romæ die 19. Julii 1659.

Ex Regeſto Secret. ejuſdem Congreg. menſ. & anni præd. fol. 27.

Opor-

Oportuit poſtmodum recurrere ad S. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium pro licentia conſtruendi Cellas ſupra Capellas Eccleſiæ, quod ſequenti Libello ſupplici factum eſt.

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Guardianus & Religioſi Capucini Conventûs Roſſanenſis Provinciæ Coſentinæ, Calabriæ citerioris, EE. Veſtris reverenter exponunt, quod aliud Dormitorium ſex, vel ſeptem Cellarum pro Infirmorum commodo Conventui adjungere debeant; cum autem hæ ob ſitum, quæ ob aëris ſalubritatem melior haberi nequit, ſupra Capellas Eccleſiæ conſtrui debeant, EE. Veſtris pro debita prædictam fabricam ſervatis ſervandis perficiendi licentia humillimè ſupplicant &c.

Ad quod Sacra Congregatio reſcripſit:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione P. Procuratoris Generalis petitam facultatem Oratoribus benignè impertita eſt, ita tamen, ut inter tegmenta Capellarum, & ſolum Cellarum in novo ædificio conſtruendarum aliquod conveniens ſpatium relinquatur. Romæ 30. Septemb. 1729.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.

Decretum Illmi, & Rmi D. Epiſcopi Biſinianen. de Proceſſione cum Statua D. Antonii in Habitu Capucino per dictam Civitatem quotannis facienda confirmatur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

FRatres Capucini Civitatis Biſinianenſis EE. VV. humillimè exponunt, quod ex piarum Perſonarum eleemoſynis Statuam Glorioſi S. Antonii Patavini in Habitu eorum Ordinis confici curârunt, quatenus pro ſatisfactione, & incremento devotionis illorum Civium proceſſionaliter per Civitatem deferri poſſet: factâ autem per RR. Patres Reformatos oppoſitione, Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Epiſcopus Loci, proceſſum juris ordine ſervato formavit, & decrevit, quod FF. Capucini à Proceſſione per Civitatem cum præfata S. Antonii Statua perficienda non poſſent impediri, ità tamen, ut hoc ſuum Decretum ſeu Sententia etiam ab hac S. Congregatione confirmaretur, prout ex ſcripturis hìc adjunctis apparet. Quapropter FF. Capucini EE. VV. humillimè ſupplicant, quatenus memoratum Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Decretum confirmare dignentur, videlicet, quod ipſi à Proceſſione cum prædicta D. Antonii Statua facienda non poſſint impediri, cum hoc æquum, & conforme ſit iis, quæ aliis vicibus pariter à Sacra Congregatione Rituum fuêre deciſa, & Proceſſio prætenſa non illo die, quo ab aliis fit, ab iis inſtituatur, & totum ſpecialiſſimæ EE.VV. gratiæ attribuetur. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis narratis Decretum hujuſmodi, quod ab Epiſcopo Biſinianenſi peracto proceſſu formiter, & ſervatis ſervandis, ut dicitur, editum eſt, approbandum & confirmandum eſſe cenſuit, prout præſentium tenore id approbat & confirmat, oppoſitionibus, & contradictionibus, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Romæ 12. Auguſti 1661.

M. Card. Ginettus.

N O T A.

Decretum proviſionale Epiſcopi, in Libello ſupplici vocatum, fuit tenoris ſequentis:

J E S U S.

IN Cauſa Summaria Civili vertente in prima inſtantia in hac Epiſcopali Curia Biſiniani, ad inſtantiam R. P. Bonaventuræ à Caſali novo, Vicarii Venerabilis Monaſterii RR. PP. Capucinorum petentis ad augendam, & conſervandam devotionem, quam devoti Cives Biſiniani habent erga Sanctum Antonium de Padua, dictum Venerabile Monaſterium, & PP. Capucinos, ſibi concedi licentiam, & dictis Patribus Capucinis de proceſſionaliter incedendo, & circumeundo per hanc Civitatem, deferendo Statuam, quam dicti Cives noviter fieri curaverunt, juxta formam Habitûs Capucinorum parte ex unâ, & Reverendum Patrem Innocentium à Biſiniano, Vicarium Venerabilis Monaſterii S. Franciſci, hujus

hujus Civitatis, FF. Minorum Strictioris Obſervantiæ Reformatorum reum Conventum parte ex altera, fuit ſer. ſer. interpoſitum Diffinitivum hujuſmodi ſub tenore:

IN DEI NOMINE AMEN.

Nos Joſeph Gaeta S. Th. ac V. J. Doctor, Archidiaconus, & Vicarius Generalis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Biſinianen. DD. Caroli Philippi Mei, viſis libellis hinc inde replicatis per ambas partes, teſtium depoſitionibus, litteris, Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Sac. Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium proviſionibus, expeditâ per hanc Epiſcopalem Curiam prætextu dictarum literarum in actis productis citatione ad dicendum, & ad ſententiandum, viſis actis, toto proceſſu, partibus ipſis pluribus auditis cum eorum Advocatis, & Procuratoribus in facto, & in jure, viſis videndis, conſideratis de jure conſiderandis, ſolum Deum præ oculis habentes, juſtitiam unicuique adminiſtrandam cupientes, pro Tribunali ſedentes, Chriſti Nomine repetito, providendo dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, & diffinitivè ſententiamus, in licentiam conceſſam per hanc Epiſcopalem Curiam prænominatis FF. Reformatis intuitu dictarum literarum dictorum Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium prænominatæ S. Congregationis faciendi Proceſſionem cum Statua Divi Antonii de Padua cum Habitu dictorum Reformatorum per hanc Civitatem, ſimiliter eſſe concedendam licentiam prænominato Reverendo Fratri Bonaventuræ à Caſali novo, Vicario dicti Venerabilis Monaſterii dictorum RR. FF. Capucinorum & FF. Capucinis hujus Civitatis, & proinde firma remanente poſſeſſione, in qua dicti PP. Reformati reperiuntur, faciendi dictam Proceſſionem, per dictum Vicarium, & PP. Capucinos Biſiniani ſimiliter eſſe faciendam Proceſſionem per hanc Civitatem, & deferendam Statuam prædictam S. Antonii de Padua effigiatam inſtar Habitûs Capucinorum; ſed hanc ſententiam ob reverentiam prædictorum Dominorum Eminentiſſimorum Cardinalium non eſſe executioni demandandam, abſque ipſorum Dominorum Cardinalium beneplacito ſeu conſenſu, & ob hoc per dictum Vicarium, & RR. Capucinos fore, & eſſe impetrandum beneplacitum, ſeu conſenſum à prænominatis Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus S. Congregationis ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, quo aſſenſu impetrato, ſententiam hanc ſtatim, & ſine ulla contradictione habituram, & ſortituram effectum, & executionem, & interim dictâ impetratione pendente citra præjudicium dictorum Capucinorum ſuperſedendum, prout præſenti Decreto concedi, permanere, fieri, & deferre, impetrare, ſortiri, & ſuperſederi volumus & mandamus, & ita dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, & diffinitivè ſententiamus, iſto, ac omni meliori modo &c.

Lectum, latum..... ſub die 2. Menſis Maii 1661.

Joſeph Gaeta Archidiaconus Vicarius Generalis.

Autographum in Archivo Provinciæ.

Tempore, quo Fratres noſtri pro jure ſuo in Sacra Congregatione Epiſcoporum & Regularium agebant, RR. PP. Reformati illos in Sac. Rituum Congregatione impugnabant, ſiniſtro tamen, & eorum votis contrario exitu, cum hæc ultima Sac. Congregatio deciderit, ut ſequitur:

Biſinianen.

Guardianus Conventûs Fratrum Reformatorum S. Franciſci Civitatis Biſinianen. Sac. Rituum Congregationi expoſuit, inductam inibi fuiſſe ab anno 1638. ſolemnitatem Proceſſionis cum delatione Simulachri S. Antonii de Padua, Protectoris ejuſdem Civitatis, cum interventu Magiſtratûs. At ſubinde etiam à FF. Capucinis cœpta fuiſſe ſimilis Proceſſionis ſolemnia, eaque ipſis probibita Decreto Sac. Congreg. Epiſcoporum, & Regularium, nunc verò rurſus à dictis Capucinis præſumi abuſum hujuſmodi in priſtinum revocare. Supplicavit proinde, ne Sac. Rituum Congregatio à Decreto prædicto aliquando diſſentiret: quæ reſcribendum duxit, à Capucinis eadem die à prædictis actibus omnino abſtinendum fore. Romæ 12. Martii 1661.

Ex Regeſto Secret. S. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 247.

Cum Proceſſionem ſuam Fratres noſtri, die, quo illum faciebant RR.PP.Reformati, inſtituere non prætenderint, & S. Congregatio Rituum eam ab illis quacunque alia die fieri poſſe vigore dicti Decreti implicitè confirmaverit, fuit quoque pro illius executione, & Fratrum quiete in Curia Epiſcopali ſupplicatum, ut ſequitur:

Fr. Ludovicus Coſentinus Concionator, & impræſentiarûm Guardianus Venerabilis Monaſterii Fratrum Capucinorum hujus Civitatis Biſinianen. comparet coram Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Carolo Philippo Mejo, & exponit, qualiter elapſis annis agitata fuerit inter PP. Capucinos, & PP. Reformatos hujus Civitatis lis circa Proceſſionem Sancti Antonii Patavini cum Habitu Capucinorum, & in Curia Epiſcopali obtinuerint Decretum, quod pariter Capucinis licitum foret Proceſſionem cum Statua Sancti Antonii prædicti in Habitu Capucinorum inſtituere, prout talem inſtituerent Patres Reformati in Habitu Reformatorum. Fuit quidem in dicto Decreto reſtrictum & reſervatum, ne ſententia dicta ſine Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Congregationis Epiſcoporum & Regularium aſſenſu executioni mandaretur, ex motivo, quod eadem Sac. Congregatio Curiæ Epiſcopali pro hac cauſa ſcripſerit: nihilominus Emi Domini ſuo conſenſu & beneplacito dictum confirmârunt Decretum, vigore cujus PP. Capucini proceſſionem inſtituere poſſunt publicam, circumeundo totam Civitatem cum

Statua

Statua Sancti Antonii Patavini in Habitu Capucinorum (prout omnibus notum eſt) & cum interventu Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi, Capituli, & totius quaſi Populi. Cum autem PP. Reformati deſuper ad Sacram Congregationem Rituum recurſum ſumpſerint, & in hac auditi fuerint & PP. Capucini, obtentum eſt Decretum, quod & PP. Capucini inſtituant proceſſionem Sancti Antonii cum Statua in Capucinorum Habitu, ſub conditione tamen, ne illam eo ipſo die, quo PP. Reformati eam facerent, inſtituerent, prout & à Sac. Congregatione Epiſcoporum & Regularium fuit ordinatum, quando Decretum favorabile prædictum, & ab hac Curia Epiſcopali emanatum ab ea fuit confirmatum. Cumque Decretum Sac. Congregationis Rituum fuerit intimatum, & præſentatum moderno Patri Guardiano Patrum Reformatorum hujus Conventûs Biſiniani, quin deſuper reſponderit, & terminus reſpondendi ſit elapſus, ſupplicatur, quatenus ab hujate Curia Epiſcopali fiat Decretum, dieſque aſſignetur, quo PP. Reformati ſuam proceſſionem facere voluerint, & alius determinetur dies, quo Capucini ſuam inſtituant Proceſſionem cum Statua dicti Sancti Antonii in Habitu Capucinorum, & ita dicit, facitque inſtantias hoc, & omni meliori modo &c.

Ad quæ Curia Epiſcopalis ſequentem tulit ſententiam:

JESUS.

Viſis literis Sacræ Congregationis Rituum, quæ omni, qua decet, reverentia fuerunt receptæ, & notificatæ Reverendo Patri Guardiano, aliiſque Patribus Reformatis hujus Civitatis, qui elapſo termino non comparuerunt in hac Epiſcopali Curia, neque in contrarium aliquid adduxerunt contra Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium ſub datum Romæ 12. Auguſti 1661. viſis videndis, & conſideratis de jure conſiderandis providimus, licere & licitum eſſe dictis RR. PP. Reformatis in Feſto Sancti Antonii proceſſionaliter incedere per Civitatem prædictam cum Statua ejuſdem Sancti Antonii in quolibet anno cum Habitu Reformatorum: Nec non RR. Patribus Capucinis ejuſdem Civitatis in Feſto Dominicali infra octavam S. Antonii ejuſdem ſimiliter proceſſionaliter incedere per dictam Civitatem cum Statua dicti Sancti Antonii cum Habitu Capucinorum in quolibet anno: vel ſi Feſtum S. Antonii venerit in die Dominico, liceat dictis Patribus Reformatis in dicto die Dominico proceſſionaliter incedere, ut ſuprà, & ſimiliter dictis FF. Capucinis in ipſo die Dominico, qui eſt dies octava proceſſionaliter incedere, ut ſupra, & proinde ad tollendas omnes difficultates ſic ſtatuimus, & decernimus, imponendo perpetuum ſilentium, & ita per hoc noſtrum &c. Biſiniani die 18. Decembris 1662.

C. Philippus Mejus Epiſcopus &c.

Autog. in Archivo Provinciæ.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

A Clero Coſentino Officium Defunctorum in Eccleſia Fratrum ibi occaſione funeris &c. licitè non recitari potuiſſe, nec quartam funeralem juſtè prætenſam eſſe, declaratur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

IN Eccleſia Capucinorum Conventûs Coſentini reperitur ſepultura DD. Palmieri, quorum unus ultimò in ea fuit tumulatus. Hac occaſione Clerus Archiepiſcopalis dictorum Religioſorum Eccleſiam ingredi prætendit ad recitandum ibi Defunctorum Officium. Quapropter Procurator Generalis ad EE. VV. annexâ recurrit Scripturâ, quatenus juxta multas, jam aliàs emanatas Deciſiones, & Summorum Pontificum Bullas declarare dignentur, quod præfatus Clerus nec dictum Officium in Eccleſia memorata recitare, nec quartam funeralem, multò minùs totam ceram prætendere poſſit. Quod totum &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, attentis narratis, reque Eminentiſſimo Sanctacrucio referente, maturè diſcuſſâ, cenſuit, ac decrevit, non licere Clero Coſentino Officia Defunctorum in Eccleſia Capucinorum ſepelientium peragere, nec ceram, aut quartam funeralem exigere, in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. Romæ 8. Februarii 1664.

M. Card. Ginettus.

E. Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex Regeſto Secret. Congr. menſis & anni prædict.

N O T A.

OB aëris intemperiem, aliaque loci incomoda cum primum hujus Civitatis Conventum deſerere oportuerit, petium ſitûs de hoc reſervatum vendi, & exinde redactum pretium ad fabricam Murorum novi Conventûs converti petitum, & conceſſum eſt, ut ſequitur:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Fr. Joannes Baptiſta à Poliſſena Provincialis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Provinciæ Rhegienſis in Calabria, & impræſentiarùm Viſitator quoque Provinciæ Coſentinæ ab A.R.P. Procuratore, & Commiſſario Generali deſtinatus, EE. VV. humillimè exponit, qualiter in facta ante menſem Viſitatione Conventûs ſuorum Religioſorum in ipſa Civitate Coſentina devenerit in notitiam, quod ante aliquot annos Superiores illius temporis Conventum ex motivo nocivi aëris ad alium locum, ceu ſalubriorem, vel commodiorem, ubi & Religioſi defacto, & à longo tempore habitant, mutaverint, reſervato pro uſu Fratrum quodam antiqui Conventûs petio terræ, quod, cum terrenum novi Conventûs ipſis ad neceſſitatem ſufficiat, ſub diſpoſitione, & S. Sedis dominio manet. Cum autem Conventus ſecundus ſine muris illum cingentibus reperiatur, & præ egeſtate dictæ Provinciæ annuatim obverſanti, mediante devotarum Perſonarum charitate muri hujuſmodi fieri non poſſint, & aliàs ſint neceſſarii, tam pro loci decore, quàm pro Pontificiorum Decretorum obſervantia, EE. VV. ſupplicat, quatenus Perſonæ bene viſæ committere dignentur, ut ſitum primi horti ſub nomine S. Sedis vendat, & pretium inde redactum in fabricam Murorum ſecundi horti convertat, ſicque Religioſi cum majore decore, & obſervantia ordinum EE. VV. vivere valeant &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & ReveredRiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, audito P. Procuratore Generali prædicti Ordinis cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè committit Archiepiſcopo Coſentino, ut veris exiſtentibus narratis, pro ſuo arbitrio, & conſcientia deputet Syndicum Apoſtolicum ad effectum vendendi ſitum, de quo agitur, illiuſque pretium erogandi in fabricam Monaſterii, ſeu novi Viridarii cum conſenſu, & approbatione ejuſdem Archiepiſcopi. Romæ 21. Novembris 1692.

C. Cardinalis Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Clericos Provinciæ in qualibet functione Laicos præcedere debere ſtatuitur, uſu Provinciæ non obſtante.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

LAici Capucini Provinciæ Coſentinæ EE. VV. exponunt, quod à moderno P. Provinciale emanaverit pro tota Provincia ordinatio, Laicis graviter præjudicans, cum illos duabus prerogativis in dicta Provincia ſemper conſuetis privet, videlicet, ne Laicus Cellerarius ſedeat in menſa Guardiani ſolita, &, ut Clericus præcedat in S. Communionis acceſſu Laicum Acolythum; & cum facto pro revocatione ad P. Commiſſarium Generalem recurſu non fuerint auditi, ad Sacram EE. Veſtrarum juſtitiam recurrunt, ſupplicantes, quatenus memoratam ordinationem revocari jubeant, ne ipſi ultra id, quod in ſacra promiſerunt profeſſione, aggraventur, & vivere poſſint quieti. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, Oratorum precibus minimè eſſe annuendum, ſed circa eaſdem ſervandum eſſe ſolitum ad præſcriptum Conſtitutionum, & Decretorum ſummorum Pontificum, tribuentium in qualibet functione Clericis Profeſſis præcedentiam ſupra Laicos profeſſos. Romæ 14. Novemb. 1681.

C. Cardinalis Carpineus.

Exempl. Auth. in Arch. Ord. Armario Provincia Coſentina.

N O T A

NE circa verbum *Solitum* huic Decreto inſertum æquivocari, aut ſenſum à S. Congregatione intentum torqueri contingeret, R. P. Proc. Generalis, tunc P. Joan. Baptiſta à Sabbio litteris ſuis, quibus Decretum, & illius executionem R. P. Provinciali commendavit, propriâ manu, & charactere appoſuit, quod verbum *SOLITVM non referatur ad uſum Provinciæ*, à FF. Laicis in ſuo libello ſupplici allegatum, *ſed ad uſum Religionis, Decretis Pontificiis concordantem*, & FF. Laicos generaliter à prætenſa præcedentia excludentem:

DE-

DECRETO

S. Congreg. Concilii.

A Legato pio Miſſarum à Gaſparo Magniccaro Domui Nuceriæ relicto Quartam detrahi inhibetur.

TROPEEN.

LEgavit nuper Gaſpar Magniccarus Conventui Capucinorum Nuceriæ Ducatos 35. cum onere celebrandi pro eorum intranti quantitate tot Miſſas, quas Fratres Capucini ad mentem Teſtatoris celebrarunt in numero 335.

Prætendente autem Epiſcopo ſibi legatorum conſimilium deberi Quartam, ad quam perſolvendam Vicarius Generalis, neſcitur quo jure ſuffultus, prætendit hæredes Teſtatoris cogere, ſupplicant Fratres decerni Quartam hujuſmodi non deberi.

Die 4. Martii 1690. S. Congregatio Concilii, audita relatione Epiſcopi, cenſuit indebitam eſſe Quartam, nec tolerandam detractionem à Legato Miſſarum.

G. Card. Mareſcottus pro Emo Præfecto.

Ex Regeſto, ſeu Lib. 40. Secretariæ Congreg. menſis, & anni præd. fol. 187.

DECRETO.

S. Rituum Congregationis.

Ordo Proceſſionis in honorem B. V. Mariæ Immaculatæ in loco S. Joannis de Flore inſtituendæ, inter RR. PP. Ciſtercienſes, & Fratres noſtros regulatur.

COSENTINA.

SUper celebratione cum Proceſſione feſtivitatum Conceptionis B. M. Virginis Immaculatæ, & ſeptem Dolorum ejuſdem in feria 6. Dominicæ Paſſionis inter PP. Ciſtercienſes, & Capucinos S. Joannis de Flore Conſentinæ Dioec. Controverſiis exortis, eiſque ad Sacram Rituum Congregationem delatis, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Gabriellius infraſcripta dubia decidenda propoſuit.

Primum. *An ſolemnis celebratio Feſtivitatis Sanctiſſimæ Conceptionis B. Mariæ Virginis ſpectet ad Eccleſiam S. Joannis de Flore PP. Ciſtercienſium privativè quoad Eccleſiam PP. Capucinorum in caſu &c.?*

Secundum. *Et quatenus affirmativè, an dicti Patres Ciſtercienſes dictæ Eccleſiæ peragere valeant Proceſſionem B. M. Virginis cum delatione ejus Statuæ, privativè etiam quoad dictos Patres Capucinos, ſeu potius cumulativè ſpectet ad utramque, & quomodo in caſu?*

Tertium. *An liceat PP. Capucinis celebrare feſtivitatem B. Mariæ Virginis Septem Dolorum cum Proceſſione, & delatione Statuæ dictæ B. Mariæ Virginis in feria 6. Hebdomadæ Paſſionis, & quomodo in caſu?*

Et Sac. Rit. eadem Congregatio tam in voce, quàm in ſcriptis Partibus informantibus auditis, reſpondendum cenſuit.

Ad 1. *Licere utriſque, ſed PP. Capucinis cum minore ſolemnitate, ac pompa.*
Ad 2. *Neutri competere.*
Ad 3. *Licere PP. Capucinis celebrare feſtum, ſed ſine Proceſſione.*

Et ita decrevit, ac ſervari mandavit die 24. Aprilis 1706.

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Secretariæ Congreg. menſ. & anni prædict. & habetur exemplar. authent. in Archivo Conventûs.

DECRETO.

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Erectio Domûs in Terra Caroleorum à nonnullis Sacerdotibus ſub titulo Miſſionariorum prætenſa reprobatur.

IN cauſa Coſentina Recurſûs pro parte FF. Carmelitarum, Minorum de Obſervantia, & Capucinorum de- & ſuper erectione Domûs in Terra Caroleorum, ac introductione in eam nonnullorum Sacerdotum, titulo Miſſionariorum pro inſtructione, & eruditione Fidelium in rebus ad Doctrinam Chriſtianam ſpectantibus.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſultat. Epiſc. & Regul. præpoſita, audito Archiepiſcopo Coſentino, Partibus ipſis informantibus, referente Eminentiſſimo S. Clementis cenſuit, & decrevit, reſpondendum eſſe,

non

non eſſe locum petitæ erectioni, & introductioni. Romæ 21. *Februarii* 1710.

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ. & anni præd.

DECRETO.

S. Congregat. Epiſc. & Regul.

In cauſa Hoſpitii, in Terra Cetrarii erigendi RR. PP. Minimos inter- & Fratres noſtros vertente, ſub variis clauſulis erectio prioribus conceditur.

IN Cauſa fundationis, ſeu erectionis Hoſpitii Minimorum S. Franciſci de Paula in Terra Cetrarii Coſentinæ Diœceſis, vertente inter PP. Minores Obſervantes S. Franciſci, & PP. Capucinos dictæ Terræ, & eoſdem Patres Minimos ex altera Partibus.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſis, ac maturè perpenſis juribus, & documentis ab utraque Parte informante deductis, unà cum informatione Archiepiſcopi Coſentini, referente Eminentiſſimo Salerno, cenſuit committendum, prout præſentibus committitur Ordinario Nullius *Montis Caſini, quatenus memoratis Religioſis Minimis facultatem erigendi dictum Hoſpitium pro ſuo arbitrio, & conſcientia juxta modum impertiatur; videlicet, ut Hoſpitium ſit omnino privatum cum habitatione, quæ tantummodo deſerviat pro Religioſis itinerantibus, aut illuc certis anni temporibus accedere ſolitis pro quæſtuatione illa dumtaxat, in cujus poſſeſſione reperiuntur, ſine Eccleſia, aut Oratorio cum janua in publica via, ſed cum Oratorio tantùm privato, & interno, ad effectum inibi Miſſas, & orationes privatas pro eorum ſpirituali uſu tantùm celebrandi; & in illo Sacramenta non adminiſtrentur, nec Conciones habeantur, nec aliæ ullæ functiones peragantur; non retineatur Campana, nec ullum aliud ſignum habeatur, quod tranſcendat naturam, & conditionem meri, & ſimplicis Hoſpitii privati pro tranſeuntibus, cum facultate tamen retinendi permanenter in eodem Hoſpitio unum tantummodo Religioſum Laicum probatæ vitæ, & provectæ ætatis pro cuſtodia Hoſpitii, & Hoſpitum receptione. Romæ* 22. *Januarii* 1723.

F. Card. Paulutius.

Exemplar impreſſum in Archivo generali Ordinis, Armario Provincia Coſentina.

DECRETO

S. Congregationis Concilii.

A Principe Biſiniani in loco & feudo ſuo Acrii Monaſterium 21. Monialium Capucinarum conſtrui, & 13. earum ab Ipſo Principe, & ejus hæredibus, alias verò ab Ordinario nominari, Epiſcopo ibi committitur.

BISINIANEN.

CUM Princeps Biſiniani propriis ſuis ſumptibus Monaſterium in loco Acrii, ejus Feudo, ædificari fecerit, ut inibi Moniales Capucinæ recipi poſſint, in præſenti ſupplicat concedi facultatem Epiſcopo Biſinianen., ut ad illius erectionem, & fundationem ſub Regula Capucinarum devenire poſſit, & valeat.

Die 28. *Julii* 1725. *SSmus D. N. Oratoris precibus benignè annuens, Epiſcopo Biſinianen. commiſit, ut conſtito ſibi de ſecuritate, & ſufficientia aſsignamenti, ut ſupra, ab Oratore faciendi, ad erectionem, & fundationem ſuperiùs enunciati Monaſterii ſub Regula Capucinarum, à S. Sede approbata, cum opportuna diſpenſatione quoad dictum aſsignamentum faciendum, & cum præfixione numeri viginti unius Monialium tantùm, Auctoritate Apoſtolica, quam Sanctitas Sua præſentis Decreti tenore eidem Epiſcopo impertita eſt, ſer. ſer. procedat, atque deveniat, necnon eadem auctoritate tam Oratori, quàm ejus hæredibus, & ſucceſſoribus jus nominandi treſdecim Puellas in præfato Monaſterio Regularem Profeſsionem emiſſuras, concedat: Ita tamen, ut dictæ Puellæ prius ab Ordinario pro tempore approbari debeant, reliquæ verò octo arbitrio ejuſdem Ordinarii pro tempore admittantur, facto itidem aliquo aſsignamento, inſpecto Religionis more, juxta petita; ac denique Monaſterium ipſum gubernio, & juriſdictioni ipſius Ordinarii ſemper, & quandocumque ſubjectum remaneat.*

C. Origus Præfectus.

P. de Lambertinis Secret.

Ex Reg. ſeu lib. Secret. S. Congreg. menſ. & an. præd.

Ser-

Servum Dei Fr. Angelum ab Acrio in Ædibus Principis Biſinianenſis ad biennium commorari, indulget.

A tergo: *Dilecto Filio Angelo ab Acrio Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RElligionis zelus, vitæ & morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Te ſpecialibus favoribus proſequamur. Nuper ſiquidem pro parte dilecti Filii nobilis Viri, moderni Principis Biſinianen. Nobis expoſitum fuit, quod ipſe de tua prudentia, pietate, ac probitate plurimùm in Domino confiſus, Te, qui, ut idem Princeps aſſerit, Frater expreſsè profeſſus Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, & in Sacro Presbyteratûs Ordine conſtitutus exiſtis, pro ſpirituali ſua conſolatione jugiter apud ſe habere, operaque tua, in iis, quæ ad Animæ ſalutem, & conſcientiæ quietem, prout hactenus expertus fuit, uti poſſe, plurimùm deſiderat; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos Te, ac Principem prædictum ſpecialibus &c. volentes & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut ad biennium tantùm de Superiorum tuorum licentia penes dictum Principem permanere, ac in ejus domo degere, & commorari, ita tamen, ut quandocumque biennio hujuſmodi durante, à Superioribus tuis prædictis ad clauſtra revocari poſſis, liberè & licitè, ac abſque ullius pœnæ per Conſtitutiones Ordinis hujuſmodi quomodolibet impoſitæ incurſu valeas, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non dicti Ordinis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores &c. derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XIV. Julii MDCCXXVII. Pontificat. noſtri Anno quarto.

Ex Reg. Authographo Archivi Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anno præd. fol. 221.

N O T A.

ANgelus ab Acrio, qui noſtri temporis Heros, & peculiare virtutis exemplar eſt, obſcurum, humilemque à mundo acquiſivit ortum; nobilem autem, felicemque de Cœlo hauſit indolem, ſolertemque maternæ educationis curam dignis ſignavit moribus. Habitum Sacri Ordinis, quem tentatione victus binâ vice depoſuit, tertiâ induit, mirabiles religioſæ vitæ in corde ſuo diſpoſuit aſcenſiones, &, ut ſe primò aggreſſum vinceret, carnemque legi Spiritûs plenè ſubjiceret, continuum illi decrevit bellum. Erga Dominicæ Paſſionis myſteria teneræ compaſſionis ferebatur cultu; inde in memoriam myrrati vini, quod in Golgothæo colle ſitienti Chriſto propinatum fuit, plerumque fruſtum aloës, ſeu felis bovini in ore volutavit, & quotidie aculeato ſtellatoque aut nodoſo flagro corpus atrociter caſtigavit: fuitque die Veneris duplicata dira devotio, & inſuper corpus longiore tempore in Crucis modum ſupra pavimentum extenſum. Debuit hæc ſacra tyrannis, totius ſuæ vitæ eſſe comes, tunc ſolùm mutata, quando amor, Chriſto compatiendi, acerbiora excogitavit genera doloris. Curſu ſtudiorum completo, inſolito ſemel ſplendore cinctus, Spiritui Orationis vacare juſſus eſt: obedivit voci, & nonniſi aridâ mente, per duorum annorum ſpatium, promiſſum exſpectavit ſolatium. Conſtantem præmiavit altera vox, quæ Spiritum intelligentiæ Sacræ Scripturæ ei adpromiſit. Mirè quoque hic in eo reſplenduit, nam myſteria fidei ita penetravit, ut quaſi ea videret, & ita illa ſcivit, ut quaſi credere ea haud valeret.

Cum tamen olim illa fucato facundiæ ornatu, & vano verborum faſtu de pulpito explicaret, tetigit cum occulta vis, linguamque vanitatis ita ligavit, ut verbum ulterius proferre non poſſet. Acuit confuſio intellectum, & Verbum Dei inani eloquentiæ calamiſtro non egere animadvertens, nonniſi Jeſum Chriſtum deinceps, & hunc quidem Crucifixum prædicavit, ac liberiore voce graſſantes abuſus perſtrinxit. Fructum ex hac Apoſtolica Rhetorica illico vidit; vidit & illum invido oculo inimicus homo; hinc, ut illum impediret, ſub concione vel coactis in turbinem nubibus mugitum tonitruum ſuſcitavit, vel graviùs in capite Angelum percuſſit: ſemel illum in aërem elevavit, & ceu plumbum in terram dejecit, ex quo pes graviter læſus uſque ad ejus mortem miniſterium ejus Evangelicum reddidit non parum oneroſum. Duplicavit ex hac invidiâ Vir Dei ſui laboris zelum, & ubicunque illum Miſſiones facere contingeret, ſe totum animarum obſequiis mancipavit. Fructum laboris fœcundavit, quod in Angelo eminuit, virtutis exemplum: ex Leone Magno *validiora eſſe exempla, quàm verba, & pleniùs opere doceri, quàm voce*, Angelus optimè noverat, hinc, ſicuti cor ſuum virtutis ſedem effecit, ita hujus radios cominus ſemper ſparſit, & ſicut apud Deum humilitate nihil eſt ſublimiùs, ita humilitate Angeli nihil erat profundius: in omnium oculis fuit magnus, ſibi duntaxat parvus, dum erat omnium in Provincia Rector, & Præſes, Miniſtrum omnibus ſe exhibuit, & ſervum, qui miniſtrare, & non miniſtrari voluit. Dumque alii cumulata in eo Divinæ Bonitatis chariſmata extollebant, ipſe econtra vilem natalium ſuorum conditionem, duplicatum è Novitiatu egreſſum, alioſque in ſæculo commiſſos defectus in ſui vilipendium exaggeravit. Reddidit Altiſſimo vota ſua eo ſtudio, & perfectione, quæ

major

major eſſe nequibat. Angelus in carne ambulans, non ſecundum carnem militavit, ſed Spiritu Dei agebatur, & ea vitæ puritate nitebat, ut, quod de Magno Joanne Baptiſta D. Hieronymus dicit, in noſtro Angelo plenè expreſſum fuerit: *Non fuit ille naturâ Angelus, ſed vitâ, & caſtitatis eximiæ puritate*: fomes enim peccati non ligatus, ſed potius extinctus in eo videbatur, cum inferior pars corporis, arido ſiccoque ligno ſimilis, tempore, quo Sol intenſius nos urit, beneficio ignis in illo calefieri debuerit. Ex quo pars hominis Superior liberiore volatu in altum ſeſe libravit, & in iis, quæ Dei ſunt, deliciabatur, tanto divini amoris æſtu incenſa, ut hauſtu aquæ frigidæ plerumque, etiam tempore ad rigorem gelato, illum temperari neceſſum fuerit. Charitatem dum in Angelo ita intenſam miramur, eam omnes alias virtutes habuiſſe comites conſectariò inferimus.

Quapropter, dum *Dei amicos, tanquam perfectiores, ſicut uberiori replentur gratia, ita potioribus ornari donis* ex D. Laurentio Juſtiniano *de caſt. conn. verb. & anim. c.* 17. *pag. mihi* 247. erudior, ad ea, quæ Angelo noſtro de iis collata fuiſſe invenio, libanda tranſeo.

Angelus in ſe, fuit quaſi continuò extra ſe, & dum manducabat, vel etiam cum aliis conferebat, occultâ amoris vi in Cœlum rapiebatur, ſuavique extaſi angelicæ vitæ prægustu potiebatur. Potiſſimum autem, quando ad ſacras aras litabat, divino hoc deliquio potiebatur, quo durante, membra quaſi gelu conſtricta, arteriarum motus, & pulſus ſuſpenſus, & Angelus mortuo ſimilior quàm vivo videbatur, itaquidem, ut nec indiſcreta quorumdam curioſitas, nec turpis aliorum incredulitas, vel tabaccum aut calcem oculis inſpergendo, vel elevata membra acu, ferriſque acutis pungendo, vel igne ea torrendo, delicias raptûs turbare, ſolùmq; Sacra Obedientia Angelum iis gaudentem retrahere potuerit.

Donum prophetiæ fuit illi familiare. Victoriam Auſtriaco valore contra Turcas anno 1717. partam, & Belgradum, ſeu Albam Græcam Catholicæ ditioni ſubactam prædixit: Mortes Virorum illuſtrium; & aliorum in diſſitis locis degentium tempore, quo ſuccedebant, patefecit; de pluribus defunctis ſortem Divini Judicii, & in ſpecie æternam quorumdam Eccleſiaſticorum ſibi notorum pœnam æquè ad horrorem, ac ad correctionem aliorum revelavit. Secreta quoque cordium ita penetravit, ut peccata, quæ vel oblivio, vel pudor in Sacro Tribunali reticuerat, pœnitentibus non ſemel recenſuerit, quaſi in manu ejus fuiſſent ſcripta.

Veniam jam ad viſiones; Angelis cum Angelo converſari, huncque viſibilis ſuæ formæ lepore recreare, rarum non fuit: Angelorum Regina Angelum ad ſuaves amplexus non ſemel admiſit; Filius Hominis Chriſtus Dominus Angelo ſæpius vel formâ hominis patientis amictum, vel gloriâ, & honore coronatum ſe videndum præbuit. Novit & Angelus aliqualiter modum, quo Chriſtus inexiſtit Auguſtiſſimo Amoris Sacramento; vidit in carne ſua gloriam Dei, quantùm à Viatore videri poteſt. Homini de homine talia loqui fors non liceret, nec ego illa de noſtro Angelo loqui præſumerem, niſi invita illius, & propria confeſſio, S. Obedientiæ virtute ab Eccleſiæ Prælatis, & Ordinis Superioribus extorta ea confirmâſſet.

Ad Donum curationum, & gratiam miraculorum dum progredior, cum Joanne repetere cogor: *Vidi Angelum..... habentem poteſtatem magnam. Apoc.* 18. Angelus noſter introivit in potentias Domini, & ad illius preces cœci viderunt, claudi ambulaverunt: infirmos, quacunque etiam detinebantur infirmitate, ſanavit; lepræ ſquamas, quibus corpora ſcatebant, deterſit; plures à vivo inferno, quos ſpiritus malitiæ obſederat, liberavit, pluribus periodum vitæ prolongavit, & duobus infantibus, qui ſine vita ex utero matris prodiêre, illam dedit. Vocem Angeli exterrita Elementa officioſo obſequio excepêre: aër illius corpus in ſublime raptum, & ſine baſe pendulum retinuit; aquam ſicco pertranſiit pede, turbataſque illius ſeditiones ſæpius pacavit; voracis ignis furias coërcuit, ſterilemque terram fructibus fœcundavit. Angelus clauſas ingreſſus eſt portas, ſimul & ſemel in diverſis viſus locis, & renovavit aliqualiter Joſue portentum, dumque ad hujus imperium Sol contra Gabaon curſum ſuum ſuſpendit, ad Angeli nutum dies ſuum terminum ad plures horas prolongavit. Præſcius tandem temporis, quo reſolutio inſtabat, præparavit Angelus viam ſuam, & ſenio feſſus à Domino in pace dimitti, nunquam interruptæ devotionis ſuſpirio exoptavit, fuitque anni 1739. dies trigeſimus Octobris, qui in diem Veneris, Dominicæ Paſſioni Sacrum, & ab Angelo ideo ſeveriori flagro ſemper dicatum, tunc cadebat, quo in patrio ſuo Conventu, ætatis ſuæ ultra ſeptuaginta annos ſub dulci Jeſu Nomine emiſit ſpiritum. Viſumque eſt Cœlum jam prius de illius lætari adventu, dum in morbi exordio ſua dona in eo multiplicavit, odore ſuaviſſimo totum Conventum implevit, & longiore extaſum nectare illum pavit. Viſa Acrii nunquam fuit tanta populi confuſio, ac illa fuit, quæ lugubri tumultu ad parentalia Angeli, toto Clero; Sæculari & Regulari, & Principe Biſinianenſi, totâque ejus Aulâ præſentibus, ac mixto piorum fletu, ac obſeſſorum ululatu celebrata: His durantibus facies Cadaveris variè mutata fuit viſa, jam enim orantis formam, jam verò ridentis figuram præſetulit, omneſque interno quodam gaudio replevit. Indiſcretæ devotioni ut ſatisfieret, fruſtulum Habitûs cuilibet ab ipſo Principe fuit diſpenſatum, ex quo Cadaver intra capellam ſæpius veſtiri neceſſe fuit. Ambiebat & ipſe Princeps ſingulari devotione quaſdam Sanguinis guttas, à ſe conſervandas; at, dum corpus apertâ brachii venâ durum, & ſine ſanguinis fluxu ſiccum vidit, non parùm inde turbatus rediit. Poſtero die viſus eſt in Cadavere calor, exiitque ex eo ſudor cœleſtis fragrantiæ, quod, ſicut novum populi concurſum excivit, ita Reverendiſſimum D. Vicarium Generalem movit, ut cum P. Guardiano Cadaver inſpiceret, & eoipſo, quod illud agile, tenerum, & flexibile reperiret, noviter venam ſecari juſſerit. Sanguis, qui copiosè exinde exiit, adauxit populi ſtuporem, Principis, qui ampullam devotè adimplevit, vota complevit, & dum ad preces eorum, qui erant conſcientiæ bonæ, fluxus fuerit replicatus, manſit & exinde portentum multiplicatum. Poſitum poſtea Cadaver in arca, tribus clauſa clavibus, quarum unam Princeps Territorii, alteram Epiſcopus Loci, & tertiam noſter ibi Conventus conſervat, & reconditum ad cornu Evangelii Aræ Majoris varia colluſtrant ſigna, & non recedet memoria Angeli, nomenque ejus requiretur à generatione in generationem, & virtutem ejus, quam Epiſcopalis Cenſura deſacto diſcutit, enuntiabit, ſi ominari liceat, Sancta Dei Eccleſia.

Ex Manuſ. Provinciæ, & Lib. intitulato Calabria Sancta, *& teſtibus de viſu*.

DE-

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Commutatio petii terræ Domui Sciliani contigui ſub obligatione manutenendæ clauſuræ conceditur.

Eminentiſsimi, ac Reverendiſsimi Domini.

GUardianus FF. Capucinorum Civitatis Scilianæ, humillimus EE. VV. Servus ſuppliciter exponit, quod ſumpto illius Conventûs ſitu, Patres modicum terræ petium, clauſuræ muri adjacens, pro majore hujus cuſtodia incultum reliquerint; cum autem D. Franciſcus Antonius ab Elia dictæ Civitatis illud, ceu ſuæ poſſeſſioni contiguum, deſideret, & propterea ſe ac ſuos hæredes ad Clauſuram ſuis expenſis manutenendam, & in omni ruinæ & neceſſitatis caſu reſarciendam publico inſtrumento obligare velit, EE. VV. pro facultate hujus commutationis, quæ Conventui plus, quàm ipſum terræ petium, proficit, humillimè ſupplicat. Quam &c.

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S.R.E. Cardinalium negot., & conſult. Epiſcoporum, ac Regularium præpoſita, attentâ relatione Procuratoris Generalis, benignè commiſit Epiſcopo Marturanen., ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus non obſtet diſpoſitio donationis primævæ enuntiati ſitûs, ac enuntiatus Franciſcus Antonius de Elia pro ſe, & hæredibus exhibeat obligationem authenticam in forma publica reſtaurandi muros Conventûs, petitam facultatem cedendi nomine Sedis Apoſtolicæ, pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur. Romæ 6. Julii 1731.

Franciſcus Card. Barberinus.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædictorum.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Feſtivitatem S. Paſchalis à Fratribus noſtris Terræ Lutii ipſo die Sancti, & alia die infra octavam in Eccleſia B.V. Mariæ *della Cava* celebrari debere, quæſtuationem autem ſub nomine dicti Sancti utrique parti competere ſancitur.

IN Cauſa Biſinianenſi quæſtuationum, & Feſtivitatis inter PP. Capucinos Terræ Lutii ex una - & Sacerdotem Januarium Amoruſo Procuratorem Eccleſiæ ruralis B. Mariæ *della Cava* ex altera - Partibus.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, re undique maturè diſcuſsâ, referente Emin. Card. Petra Ponente, cenſuit reſcribendum, prout præſentis Decreti vigore ſtatuit, atque decernit:

Quoad feſtivitatem, debere celebrari die S. Paſchalis in Eccleſia PP. Capucinorum, & aliâ die infra octavam in Eccleſia prædicta B. Mariæ, de qua agitur:

Quæſtuationem verò ſub nomine Sancti enuntiati competere utriſque cum licentia Epiſcopi. Romæ 28. *Septembris* 1731.

Franc. Card. Barberinus.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Ad Superiores Locales Provinciæ Bannitis, & criminaliter inquiſitis aſylum præbentes, pœnæ aliàs taxatæ extenduntur.

Eminentiſsimi, ac Reverendiſsimi Domini.

CUM ad Procuratorem, & Commiſſarium Generalem Minorum Capucinorum graves fuerint devolutæ querelæ, quod plures Conventus utriuſque Provinciæ Calabriæ &c. *Reſiduum vide ſupra fol.* 74.

Fratres in Confeſſarios Ordinarios Monialium Monaſterii S. Claræ Civitatis tis Roſſanen. deputare, Archiepiſcopo ibi inhibetur.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis Apoſtolicæ ſervitutis munere in eam curam ſolitis ſtudiis intendimus, ut Chriſtifideles Altiſſimi obſequiis ſub arctioris vitæ inſtituto famulantes ſublatis quibuslibet impedimentis in quietis, & pacis amænitate vota ſua Domino reddant, felicio-

ribuſque in dies proficiant incrementis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Bonaventura à Ferraria Miniſter, ac Definitores Generales Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum aliàs vigore cujuſdam reſcripti fel. rec. Benedicti PP. XIII. Prædeceſſoris Noſtri conceſſum fuerit Venerabili Fratri Archiepiſcopo Roſſanen., ut Fratres dicti Ordinis in Confeſſarios ordinarios Monialium Monaſterii Sanctæ Claræ Civitatis Roſſanen. deputare poſſet; ipſi Exponentes id menti, & ſpiritui Regulæ ejuſdem S. Franciſci, quam Fratres prædicti profitentur, adverſari conſiderantes, aliiſque rationabilibus ex cauſis in eorum Definitorio Generali perpenſis opportunè in præmiſſis à Nobis provideri ſummoperè deſiderant. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, illorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantùm conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, conceſſionem ſupradicto Archiepiſcopo Roſſanen. per memoratum Benedictum Prædeceſſorem, ſicut præmittitur, factam, etiamſi poſtmodum per Sedem Apoſtolicam confirmata reperiatur, Auctoritate Apoſtolicâ, harum ſerie revocamus, & abrogamus. Præterea, ne Fratres prædicti Ordinis in Provinciis Italiæ nunc, & pro tempore exiſtentes à Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſeu dilectis Filiis locorum Ordinariis in Confeſſarios ordinarios Monialium quovis ſub prætextu, præterquam, ubi per litteras Apoſtolicas Confeſſarii ordinarii alicujus Monaſterii Monialium Capucinarum nuncupatarum deſtinati forent, deinceps ullatenus conſtitui, ſeu deputari valeant, dicta auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus, & prohibemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter obſervari; Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis & Provinciarum hujuſmodi, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Maji MDCCXXXVI. Pontificatûs noſtri Anno ſexto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Generali Ord. de quo exempl. auth. impreſſ. in Archivo Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA S. ANGELI
IN APULIA.

ANnum à partu Virginis trigeſimum quintum ſupra milleſimum quingenteſimum Apulia memorat ſibi fauſtum, ac beatum, dum Reformatio noſtra & inibi primitias ſui floris & fructûs, operante Fr. Paulo Seſtinenſi, ê Provincia Piceni illuc ablegato ibi protulit, ac in Larinenſium Civitate primum habitaculum fixit.

Propter illuſtrem S. Michaëlis Archangeli apparitionem, quæ in Monte Gargano, longè latèque ê Sinu Adriatico uſque ad ipſius planitiem extenſo, ſub Gelaſio I. Summo Pontifice anno Incarnationis Dominicæ CCCCXCIII. contigit, Provincia hæc, S. Angeli nomen tenet, totamque Apuliam Dauniam ab Aufido amne uſque ad Fiternum diffuſam complectitur, opulentiâ rerum, & agrorum fertilitate ita celebris, ut cum reliquis Italiæ urbibus certare videatur.

Antiqua eſt populi Apuli erga S. P. Franciſcum devotio, & continua erga Fratres noſtros dilectio; hinc, ſicut Eccleſia Montis Gargani, Archangelo Cæleſtis Militiæ Duci dicata, Crucis ſignum, in modum Græci characteris Tau, rudi angelicæ Speluncæ lapidi, manu S. Patris impreſſum, peregrino populo adhuc hodiedum teſte Ughello tom. 7. edit. novæ fol. mihi 831. col. 1. oſtendit, ita in grati affectûs vices S. Patris Filiis, Fratribus noſtris, in ipſo jam Reformationis primordio integras conſtruxit Domos & pio benevolentiæ favore eos hucuſque proſequitur.

Inter Viros, quos doctrinâ & Spiritu inſignes fœta educavit, in partem Generalis Gubernii, Religio vocavit Fr. Urbanum à Siponto, vulgò Manfredonia, *Definitorem Generalem, cujus virtutem Deus variis exaltavit Signis, tum ad illius preces panem multiplicando, tum Sacra operantem ſuavi avium humeris inſidentium concentu recreando, tum ſcripta Concionatoria, quæ Urbanus ex doloſa Dœmonis tentatione comburi juſſit, â lambente jam igne iteratò illæſa ſervando.*

Continet Conventus XXIX.

Legatum pium, aliàs pro expenſis Capituli Provincialis in Civitate Æſerniensi celebrandi aſſignatum, in reparationem Domûs, & Eccleſiæ ibi converti indulget.

A tergo. *Ven. Fratri Epiſcopo Æſernien.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte Dilectorum Filiorum Guardiani, & Conventûs Domûs Fratrum Capucinorum Civitatis Iſernien., quod de anno 1584. quondam Jacobus Perillus, dum viveret Civis Iſernien. in ejus ultimo Teſtamento, inter alia redditum annuum nonaginta ſcutorum ad ipſum legitimè ſpectantem jure Legati reliquit, ex quo redditu uno anno Fratrum Conventualium, alio Fratrum de Obſervantia, & alio Fratrum Capucinorum Capitulorum Generalium vel Provincialium in ipſa Civitate celebrandorum impenſas fieri voluit, prout latiùs in dicto Teſtamento contineri dicitur.

Cum autem dicti Fratres Capucini, quibus perpetuos redditus habere non licet, hujuſmodi Legato hactenus uſi non ſint, quia aliorum piorum Chriſtifidelium eleemoſynis Capitulorum prædictorum indigentiis proviſum eſt, nunc verò Eccleſia, dictaque eorum Domus Civitatis Iſerniæ reparatione indigeat, &, ſi redditus hujuſmodi pro eorum Capituli prædicti expenſis relictus reparationi Eccleſiæ ac Domûs prædictæ applicaretur, reparatio hujuſmodi commodiùs, & celeriùs fieret, Nobis propterea ipſorum Fratrum nomine fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut Legatum prædictum pro rata dictorum Fratrum Capucinorum Capitulo hujuſmodi relictâ in fabricam, & reparationem prædictarum Eccleſiæ, & Domûs ipſorum Capucinorum, donec convenienter inſtauratæ fuerint, Auctoritate Noſtra converti omnino cures, & facias. Nos enim quoad hoc voluntatem ipſius Teſtatoris, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium commutamus: finitâ verò fabricâ, & reparatione prædictis, illam in ſuo robore permanere, & dictum Legatum uſui Capituli prædicti eorumdem Capucinorum, ut præfertur, applicari volumus. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis Capucinorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Decembris MDXCV. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

M. Veſtrius Barbianus.

Ex Secret. Brev. Apoſtolicorum Regeſto menſ. & anni præd. fol. 174.

N O T A.

LOngiore poſt emanatum hoc Breve tempore Fratres nullo amplius hujuſmodi legati fructu fruebantur, neceſſitate autem reparandarum fabricarum variarum inſtante, factus fuit novus ad Sanctiſſimum recurſus, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Jam ante plures annos F. F. Capucinis loci Æſerniæ, Provinciæ S. Angeli, annuus 90. *Scutorum redditus, pro expenſis Capitulorum, vel Provincialium, vel Generalium in dicta Civitate celebrandorum fuit relictus; cum autem Fratres legatorum perpetuorum non ſint capaces & ſumptibus Capitulorum oſtiariâ mendicitate provideatur, fel. rec. Clemens VIII. per litteras ſuas ſpeciales, quarum copia hîc injungitur, indulgere dignatus eſt, ut dicta* 90. *annuorum Scutorum ſumma in ejuſdem Conventûs reparationem erogaretur. Hâc congruè completâ, Fratres ab ulteriore dicti legati uſu abſtinuerunt. Jam verò cum plures Provinciæ Conventus reſtauratione indigeant, & incolæ ob temporum calamitates ad id contribuere nequeant, Provincialis eorumdem Capucinorum ad pedes Sanctitatis Veſtræ recurrit, rogans, ut per decem ſubſequos annos prædictum legatum pro neceſſariis fabricis applicari poſſe concedat. Quod &c.*

Cumque Emin. Card. Spada precibus hiſce ſuas adjunxiſſet, & Statum cauſæ occaſione Conſiſtorii fuſius oretenus expoſuiſſet, ſubjunctum fuit libello ſupplici Reſcriptum ſequens:

Die Lunæ 31. *Jul.* 1641. *Sanctiſſimus D. N. in Conſiſtorio per Me informatus de precibus ſupradictis, & quod de triennio in triennium legatum, de quo agitur, fuerat per Teſtatorem deſtinatum PP. Capucinis an-*

annuit, ut per tres annos unum ſcilicet ex ſingulo triennio proximè venturo legatum prædictum poſſit impendi pro reparatione.... ædificationum Provinciæ S. Angeli, de qua ſupra &c.

B. Cardinalis Spada.

Exempl. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia S. Angeli.

Sortem principalem Censûs à quondam Marco Antonio Bruno Confraternitati SSmi Corporis Chriſti Venafran. cum onere annuæ eleemoſynæ Fratribus ibi dandæ relicti, in reſtaurationem noſtræ Domûs erogari committit.

Ven. Fratri Epiſcopo Venafran., ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOmine Dilecti Filii Scipionis Guglielmi Eccleſiæ, & Confraternitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti Venafran. Prioris Nobis nuper expoſitum fuit, quod aliàs quondam Marcus Antonius Brunus, tunc in humanis agens, quemdam Cenſum redditûs annui tredecim ducatorum cum dimidio monetæ illarum partium, valoris verò in proprietate centum & quinquaginta ducatorum parium, eidem Confraternitati poſt obitum ſuum donavit, ea tamen conditione, ut novem ducati ſimiliter in fabricam Domûs Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum ejuſdem Civitatis, ſeu alias eorumdem Fratrum neceſſitates annuatim erogarentur, prout in Inſtrumento deſuper confecto pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ex eo, quod Fratres prædicti juxta regularia eorum Inſtituta Legati hujuſmodi incapaces exiſtunt, dictus Scipio ſortem principalem Censûs prædicti in reſtaurationem prædictæ Domûs, quæ ruinam minatur, & neceſſariâ reparatione indiget, ac præ nimia Incolarum ejuſdem Civitatis inopia ex piorum eleemoſynis reſtaurari non poteſt, convertere poſſe ſummopere deſideret, Nos piis ejuſdem Scipionis votis in præmiſſis annuere, illumque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus ſupradictis, eidem Scipioni, quod ſortem principalem Censûs hujuſmodi Oeconomo dictæ Domûs donare, illam verò dictus Oeconomus in ipſius Domûs fabricam ſeu reſtaurationem convertere, & erogare liberè & licitè reſpectivè poſſint, & valeant, licentiam auctoritate Noſtra concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs & Ordinis prædictorum, & juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVI. Februarii MDCXVIII. Pontificatus Noſtri anno tertio decimo.

Ex Regeſto Autographo Archivi Secretariæ Brevium Apoſtolicorum menſe, & anno prædictis fol. 155.

In Eccleſia Domûs S. Mariæ Gratiarum Loci Foggiæ Privilegium ab Altari Pietatis ad Altare Puritatis transferri concedit.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs rec. mem. Paulo Papæ V. Prædeceſſori Noſtro, pro parte Dilectorum Filiorum Superiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum ultra Montes degentium expoſito, quòd fel. rec. Gregorius Papa XIII., etiam Prædeceſſor Noſter, ut, quandocumque Sacerdos aliquis ejuſdem Ordinis Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrâſſet, ad tria Altaria trium Eccleſiarum cujuſcunque Provinciæ Ordinis prædicti per dictos Superiores deſignanda celebraret, anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum Suffragii Indulgentiam conſequeretur, vivæ vocis oraculo conceſſerat, & indulſerat; & ab inde citra-

tra Provinciæ ipſius Ordinis, benedicente Domino, adauctæ fuerant, idem Paulus Prædeceſſor Superiorum, & Fratrum prædictorum ſupplicationibus tunc inclinatus, ac auctoritate ſibi à Domino tradita confiſus, conceſſionem, & indultum hujuſmodi, dummodo ab ipſo Gregorio Prædeceſſore verè emanâſſet, ad alias Eccleſias Provinciarum dicti Ordinis poſtmodum erectarum, & in nunc futuris temporibus erigendarum, eiſdem modo, & forma, quibus ab eodem Gregorio Prædeceſſore conceſſa fuerant, perpetuò extendit, & ampliavit, prout in ipſis Pauli Prædeceſſoris in ſimili forma Brevis deſuper expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut nomine Superiorum, & Fratrum prædictorum Nobis nuper expoſitum fuerat, in Eccleſia Domûs S. Mariæ Gratiarum nuncupatæ, ejuſdem Ordinis, Loci Foggiæ, Trojanæ Diœceſis, Altare Pietatis nuncupatum, Indulgentiâ hujuſmodi per Paulum Prædeceſſorem præfatum decoratum reperiatur; Ipſi verò Superiores, & Fratres plurimùm cupiant, Indulgentiam eamdem ad Altare Puritatis in Eccleſia prædicta exiſtens, ac ad Miſſarum celebrationem decentius, & ornatius, per Nos, ut infra, transferri, Nos eorum deſideriis hujuſmodi, quantùm cum Domino poſſumus, benignè annuere volentes, authoritate Nobis à Domino ſimiliter tradita confiſi, Indulgentiam prædictam eidem Altari Pietatis per ipſum Paulum Prædeceſſorem conceſſam, ſeu ad illud translatam, hujuſmodi ad Altare Puritatis prædictum iiſdem modo, & forma, quibus, ut prædicitur, conceſſa, ſeu translata reperitur, tenore præſentium transferimus, & quatenus opus ſit, extendimus, & ampliamus, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decima ſeptima Auguſti MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannæ.

Exemplar Aut. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia S. Angeli.

N O T A.

IN beneficium quoque fabricæ Infirmariæ hujus Domûs commutatio petii terræ ad Capitulum Collegiatæ inibi ſpectantis conceſſa eſt, petita libello Supplici, qui ſequitur:

BEATISSIME PATER.

Cum FF. Capucini Conventûs Foggiæ Trojan. Diœc. novum Dormitorium pro uſu & commodo Infirmariæ deficientis conſtruere cogantur, & ob defectum Sitûs, 4. paſſuum cum dimidio in latitudinem, & 8. in longitudinem indigeant petio terræ, Conventui contiguo, ad Capitulum Collegiatæ Foggiæ ſpectante, & D. Canonico Antonio Roſſignoli in præbendam conceſſo, eidemq; nonniſi 4. Carlinos incirca annuatim reddente; Obtulit ſe Perſona dives ad cenſum dicti Terræ petii ad favorem æquè Capituli ac Canonici Præbendarii cum 9. annuorum Carlinorum emolumento redimendum, qui & ad conceſſionem petii memorati promptos ſe exhibent, ſi Sanctitatis veſtræ accedat beneplacitum, pro quo humillimè ſupplicatur &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, ad quam Sanctiſſimus Dominus noſter ſupplicem libellum remiſit cum facultatibus neceſſariis & opportunis, attenta relatione P. Procuratoris Generalis, benignè commiſit Epiſcopo Trojano, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus expedire cenſuerit, petitam facultatem pro ſuo arbitrio & conſcientia impertiatur. Romæ 14. Decembr. 1742.

J. Cardinalis Firrao.

C. *Archiepiſcopus Damiat. Secret.*

Ex regeſto Secret. Congreg. mens & anni prædict.

DE-

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Loco Guglimari, contradictione RR. PP. Obſervantium Reformatorum non obſtante, conceditur.

Illuſtriſsimi ac Reverendiſſimi Domini.

DUx Celeniæ Sacræ Congregationi humiliter exponit, quod pro ſua devotione Conventum & Eccleſiam PP. Capucinorum in Terra Guglimari, ſuo Feudo, Dioeceſis Termolenſis ædificare intendat, & ab Ordinario, qui ex mandato, à S. Congregatione habito, de capacitate & commoditate Terræ relativam tranſmiſit informationem, conſenſum habeat; cumque juxta Decreta, aliàs ab ipſa hac S. Congregatione emanata, conſenſum quoque Cleri, Populi, PP. Cæleſtinorum, Conventualium, & Patrum Minorum Obſervantium Reformatorum, qui ibi degunt, requiſiverit, omnes illum, exceptis PP. Obſervantibus Reformatis, præſtiterint, Illmis DD. VV. ſupplicat pro gratia & facultate dictum Conventum, PP. Obſervantium Reformatorum diſſenſu non attento, erigendi. Quam &c.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpoſita, attentis narratis cenſuit petitam ab Oratore facultatem fundandi, atque erigendi Conventum Ordinis Capucin. eſſe concedendam, prout præſentis Decreti virtute concedit, non obſtante contradictione prænominatorum Fratrum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, dummodo in reliquis ſervetur forma Decretorum SSmi D. N., & fel. rec. Clem. VIII., ac Gregorii XV. ſuper novorum Conventuum erectione editorum. Romæ 26. Maii 1628.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Secret.

Exemplar Autographum in Arch. Generali Ordinis Armario Provincia S. Angeli.

EPISTOLA.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Proſecutio Fabricæ novæ Domûs in Loco Veſtarum Epiſcopo ibi committitur.

ORdinat Sacra Congregatio, ut, conſtitô Amplit. Tuæ, quod Fratres Capucini conſenſum erigendi ibi novum ſuæ Religionis Conventum, à P. Vicario Generali Apoſtolico Fratrum Conventualium acquiſiverint, provideat, quatenus liberè dictam erectionem, & fabricam novi Conventûs proſequantur, non obſtante, quod FF. Conventuales Loci contradicant, & dummodo Amplit. Tua nihil relevans in contrarium habeat, ac de cœtero forma Conſtitutionum, & Decretum Apoſtolicum de erectione novorum Conventuum Regularium publicatum obſerventur. Incumbet ita Amplit. Tuæ horum executionem curare &c. 17. Febr. 1634.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ., & anni præd. fol. 77.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Rudera Capellæ S. Antonii in eodem loco, antiquitùs ad Eccleſiam RR. PP. Conventualium ſpectantis Fratribus pro nova Eccleſiæ fabrica concedi, & in hac Capellam ſub invocatione ejuſdem S. Antonii in recognitionem erigi committitur.

Illuſtriſsime, ac Reverendiſsime Domine.

IN Civitate Veſtarum, Provinciæ S. Angeli, à Turcis ita deſtructus fuit PP. Conventualium Conventus, ut nonniſi Capella glorioſo S. Antonio Sacra ſuperſtes manſerit; hinc, cum dictam Capellam deſtrui, & ad Eccleſiam Capucinorum tranſportari, Illuſtr. D. Epiſcopus expedire judicaverit, quatenus prædictus Sanctus, quem præfata Civitas ſpeciali devotione colit, majore decore honoretur, & habito deſuper Capucinorum conſenſu, ſpecialibus ſuis litteris ſub 15. Sept. datis Sacram Congregationem reddiderit inſtructam, ac pro gratioſa facultate ſupplicaverit, Hæc pro ſolitâ benignitate, negotium arbitrio Eminentiſſimi

ſimi

ſimi Cardinalis S. Honuphrii Protectoris remiſit, inde rogatur, ut quamprimùm opportunum deſuper fiat Decretum. Quod &c.

Sacra Congreg. Emin., & Rev. S R.E. Cardinalium Epiſcop. &c. negotiis præpoſita hanc ſupplicationem cenſuit remittendam fore arbitrio Eminentiſsimi Cardinalis S. Honuphrii Protectoris, prout tenore præſentium remiſit. Datum Romæ die 4. Decembris 1637.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

C. Fachenettus Secret.

Exempl. Auth. in Arch. generali Ord. Arm. Provincia S. Angeli.

NOTA.

IN executionem enuntiatæ facultatis Eminentiſſimus Cardinalis litteras ad Epiſcopum dedit ſequentes. *Illuſtris & Adm. R. Domine uti Frater. Attentâ Amplit. Tuæ relatione, qua hiantem S. Antonii Eccleſiam, contiguamque habitationem, quæ de Barbarorum furore ſuperſtites manſerunt, deſtrui, ac lapides & cœmenta Capucinis in beneficium novæ ipſorum Eccleſiæ & Conventûs concedi approbat, præſertim, quod in hac ipſa nova Eccleſia, ad quam ex antiqua omnes imagines & propriæ S. Antonii Statuæ fuerunt translatæ, Capella ſub invocatione ejuſdem Sancti in recognitionem ſit erigenda, & conceſſione hujuſmodi gratiæ â S. Congregatione arbitrio meo remiſsâ, eandem impræſentiarùm ex cauſis prædictis approbo, & Amplit. tuam deſuper informo, ut ita exequatur. Romæ 15. Novembr. 1637.*

Amplit. Tuæ.

Vti Frater

Card. S. Honuphrii.

C. Facchenettus.

Exempl. in eiſdem Arch. Generali & Armario.

Domum in Terra Riccia erigi, ac decreta deſuper emanata executioni dari, Vicario Apoſtolico Beneventano committit.

A tergo: *Dilecto Filio Vicario Apoſtolico Eccleſiæ Beneventanæ.*

INNOCENTIUS PAPA XI.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INjuncti Nobis divinitus paſtoralis officii ratio poſtulat, ut ad ea, per quæ Conventus, & alia regularia loca, in quibus Religioſi Viri vota ſua Altiſſimo in ſanctitate, & juſtitia reddere ſatagant, ubiq; locorum erigi valeant, favorabiliter intendentes, ejuſdem officii noſtri partes paternâ benignitate deſuper interponamus, ſicut ad gloriam omnipotentis Dei ac ad ſalutem animarum, piorumque, & Religioſorum operum incrementum ſalubriter in Domino cognoſcimus expedire.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Univerſitas, & homines Terræ *della Riccia* nuncupatæ, Beneventanæ Diœc., quod, cum ipſi aliàs, videlicet die tertia Jul. MDCLXXVI. à Congregatione tunc exiſtentium S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, Decretum obtinuiſſent, cujus vigore novus Conventus Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum in dicta Terra ædificari poſſet, ac pro totali Decreti hujuſmodi adimplemento recurſum ad Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Beneventanum habuiſſent, ad hoc, ut in illius executionem, citatis juridicè partibus, auditiſque uniuſcujuſque ſententiis, ad ejuſdem Decreti adimplementum deveniri ordinaret, dictus Archiepiſcopus, citatis partibus, & intereſſe habentibus, illiſque nihil opponentibus, ad Conventûs hujuſmodi ædificationem deveniri poſſe decrevit, prout in ipſius Archiepiſcopi Decreto, deſuper die IV. Februarii MDCLXXVII. emanato uberius dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes ædificationem novi Conventûs prædicti, illiuſque erectionem ad effectum deduci, ac prædicta duo Decreta executioni mandari plurimùm deſiderent, verùm id â præfato Archiepſcopo obtineri nequeant, quippe qui apud ſuam Eccleſiam Beneventanam de præſenti non reſidet: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſos Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epſcoporum, & Regularium præpoſitorum conſilio, & attenta relatione præfati Archiepiſcopi Beneventani eiſdem Cardinalibus ſuper præmiſſis factâ, Diſcretioni

Tuæ

Tuæ,per præſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & intimatis prius Religioſis Conventuum vicinorum, poſtquam Tibi conſtiterit,quodCivium pietas,& ad eleemoſynarum largitionem propenſio ad alendos ſaltem duodecim hujuſmodi Religioſos ſufficere poſſit, ad petitam novi Conventûs erectionem cum Eccleſia, campanili, Choro, Clauſtris, dormitorio, refectorio, aliiſque officinis, & hortis, auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio, & conſcientia procedas, ac, poſtquam fabrica hujuſmodi fuerit omnibus his numeris abſoluta, debitaque ſupellectili tam ſacra, quàm profana pro uſu, & habitatione dictorum Religioſorum neceſſaria,inſtructa, ac in reliquis ſervata fuerit forma Conſtitutionum fel. rec. Clementis VIII., Gregorii XV. Urbani VIII., & Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum ſuper hujuſmodi novarum Domorum Regularium erectionibus editarum, introductioni duodecim Religioſorum, ut ſupra, ſub clauſura regulari locum eſſe, eadem auctoritate declares atque decernas; ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis,necnon,quatenus opus ſit,dicti Ordinis, aliiſve quibuſvis,etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis &c. innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores &c. derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Decembris MDCLXXIX. Pontificatûs noſtri Anno quarto.

Ex Regeſto Autographo Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſe, & anno prædictis fol. 372.

DECRETO.

S. Congreg. Rituum.

Circa Feſtum, proceſſionem, Tredecinam &c.S.Antonii inCivitateBovinenſi peragendam, dubia à PP. Conventualibus & Fratribus noſtris mota reſolvuntur.

BOVINEN.

SUper celebratione diei Feſti S. Antonii de Padua inter PP. Minores Conventuales, & PP. Capucinos Civitatis Bovinen. controverſiis exortis, eiſque ad Sac. Rit. Congregationem delatis, Eminentiſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis S. Clementis infraſcripta dubia decidenda propoſuit.

I. An liceat PP. Conventualibus Civitatis Bovinen. peragere Feſtum S. Antonii privativè, quoad PP. Capucinos, ſeu potius liceat Patribus Capucinis illud peragere privativè, quoad PP. Conventuales in caſu &c.?

II. An liceat utriſque peragere Proceſſionem in eadem die Feſti?

III. An liceat tam Conventualibus, quàm Capucinis Civitatis Bovini ante diem feſtum S. Antonii peragere vulgò dicta la Tredecina? *& quatenùs affirmativè? cum qua moderatione quoad apparatum, & ſolemnitatem, tam in die feſto, quàm in aliis tredecim diebus præcedentibus?*

IV. An PP. Capuccini poſſint in diebus Tredecinæ facere expoſitionem privatam Sanctiſſimi Sacramenti abſque licentia Epiſcopi?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio partibus, tam in voce, quàm in ſcriptis informantibus auditis, reſpondit:

Ad I. Neutri competere privativè.

Ad II. Negativè, abſque licentia Epiſcopi.

Ad III. Dilata.

Ad IV. Quoad expoſitionem privatam Detur Decretum, & ad mentem.

Et ita decrevit, ac ſervari mandavit. Die 8. Martii 1704.

Card. Carpineus Præf.

Ex reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 766.

PROVINCIA BARENSIS.

DIVUS *Myræ Præſul Nicolaus , cujus Sacra Lipſana Civitas Barenſis illuc ex Myra, Lyciæ Civitate, translata cuſtodit , & cujus cultum fluens ex illis ſalutis liquor, manna dictus , reddit ampliſſimum, ſibi hanc Provinciam adoptat, & nomine ſuo ab aliis diſcernit ; virtus autem, quâ S. Ordinis Regulam ſervat , & fœcunditas, quâ Viros virtutis producit, eam reddunt aliis Regni Neapolitani Provinciis communem.*

Fr. Anſelmum Marzatum à Monopoli , qui in Eccleſia Dei fulſit Cardinalis , potiore jure ac ulla alia Provincia ſibi vendicat ſuum, nam, dum cum Hydruntina, ſibi adhuc unitâ, Ei vitæ Spiritualis rudimenta libavit, & cum Romana fructum ex labore Anſelmi dimanantem, communi uſu diviſit, illi inſuper locum geneſeos dedit.

In Floribus Seraphicis noſtri Arembergii Fr. Ludovicus à Juvenacio ex nobili Morolorum Stemmate , Definitor Generalis audit ; in actis quidem & tabulis Capitulorum Generalium ſcriptis talem non reperio , ob vitam tamen candore innocentiæ inſignem, extaſum gratiâ celebrem, & dono prædictionum coruſcam illum hoc munere digniſſimum teneo.

Dicta ſanctioris vitæ dona, & chariſmata revixêre noviſſimè in Fr. Franciſco à Putiniano, qui juxta D. Bernardum futuræ beatitudinis fructus jam in bonitate contemplativæ vitæ olere cœpit , & cujus ſuffragia cum confeſſione virtutis devotum invocat Ciſterninum.

Clareſcit hæc Provincia & Seraphici Patris factis & ſignis ; pio enim cultu Barium adhuc conſervat in Regio Caſtro cineres de carbonibus , quibus S. Pater tentante ſcorto , & rimante Friderico II. Imperatore, pro caſtitatis tutela , eo , quo jam olim in Ægypto id factum fuerat, zelo ſeſe injecit. Parùm quoque à dicta Civitate monſtratur & locus, ubi S. Patris Socius ex crumena denariis tumidâ, ac in via neglectâ tentatus , & ſub inani charitatis erga pauperes exercendæ motivo fuit deluſus , ſerpentemque è crumena exſilientem, & cum crumena evaneſcentem invênit, dum pecunias quæſivit. Scaturit ibi & adhuc chryſtallina illa aqua , quam itidem S. Pater ex arido terræ ſinu excivit & ideo adhuc aqua S. Franciſci delle arene *vocata, quam dum infirmi cum fiducia potant, miros virtutis effectus cum pietate narrant.*

Memoria dum horum mirabilium ſolidat affectum populi erga S. Patris Filios, horum bona converſatio paſſim ædificat , & in nobili quoque Juventute deſiderium rigidi Inſtituti amplexandi non rarò accendit: Horum Fratres duos ex unâ eademque Carafforum, Noiæ Ducum &c. Stirpe recenſuiſſe ſatis ſit , Fr. videlicet Antonium, & Fr. Felicem , qui Ducalis ortûs nitorem humili ſua virtute inter nos feliciter perfecêre, & fervidâ Evangelii prædicatione uberem fructum Hordeo Eccleſiæ intulêre.

Ea Conventuum copia, quæ anno 1560. *hanc Provinciam à Lucana diſſecuit, etiam anno* 1590. *Hydruntinam ab illa ſegregavit, adhuc tamen*

Numerat Conventus XXIX.

Hoſpitia II.

Monaſteria Monialium II.

Fr.

Fr. Jacobo à Melficto, vulgo à *Molfetta* ſe Raguſiam conferre, ibiqne Verbum Dei in Adventu, & Quadrageſima prædicare mandat.

A tergo: *Dilecto Filio Jacobo de Molfetta Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilecti Filii Præſidentes Regimini Civitatis Raguſin. Nobis nuper exponi fecerunt, Tu in Quadrageſima proximè præterita in Civitate prædicta Evangelium Chriſti ſummo cum fervore, & devotionis zelo, ac ſalubri Animarum directione prædicaveris, & exinde Chriſtifideles ejuſdem Civitatis non modicam ſpiritualem ſuſceperint conſolationem, ſperentque, ſi in Adventu, & Quadrageſima proximè venturis, prædicationem hujuſmodi continuaveris, ſe verbo, & exemplo tuis inſtructos, de bono in melius in dies progreſſuros; iidem Præſidentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis circa ſpem hujuſmodi ſatisfacere, aliàſque opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Animarum ſalutem ſummo Zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus, & mandamus, quatenus receptis præſentibus, cum primum commodè poſſis, Raguſiam Te conferas, inibi proximo tempore Adventûs, & Quadrageſimæ Evangelium prædictum pro tuo more prædicaturus, ut exinde, quot plures poſſint, Animæ Deo lucrifiant; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Aug. MDXL. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

Ex Archivo Vaticano.

NOTA.

FUngebatur prius & iteratò Jacobus à Melficto, Apuliæ Peuceutiæ Urbe nativus, inter RR. PP. Obſervantes Miniſtri Provincialis munere, zelo autem arctioris vitæ ſtimulatus anno 1536. ad novellam noſtram tranſiit Religionem, huicque in Patria ſua anno 1540. Domum conſtrui curavit. Donum prædicationis cum in illo emineret, à Superioribus Ordinis Forolivium, Ferrariam &c. ac poſtmodum à Summo Pontifice Paulo III. Raguſiam, ſeu Epidaurum, Dalmatiæ Urbem, ad ſpargenda divini Verbi ſemina fuit ablegatus. Ultima hæc vix eum Concionatorem audivit, à Papa ſuum Epiſcopum petiit. Renuit Jacobus Hierarchicum honorem, ut liberiore animo vacare poſſet fructui Evangelico, quem regreſſus ad Patriæ partes variis in locis collegit copioſum, tum vigentia uſuræ pacta perſtringendo, tum S. Fidei depoſitum conſervando. Tempus, quo à Prædicationis miniſterio liber erat, impendit calamo, quo varia pro publico typo conſcripſit opera, & quæ ſunt: *duo Commentarii, unus in Decalogum, & alter in pſalmum*, Domine quis habitabit &c. *Opus aliud de Symbolo Fidei, Aliud de præceptis Eccleſiæ, Aliud de mortificatione carnis, ac poſtremum de Beatiſſimæ Virginis Mariæ Conceptione.* Variè dignus habitus pro Nomine Jeſu contumeliam pati, clauſit diem ultimum Meſſapiæ in Hydruntina Provincia, Statuâ, quæ in ejus honorem publicè fuit erecta, memoriam ſuæ virtutis perpetuante.

Ex Boverio tom. 1. fol. mihi 581.

Ad inſtantias Comitiſſæ de Rubeo, ſeu *Ruvo* pro fabrica Domûs Civitatis Andrien. celeriùs abſolvendam, materiam etiam Feſtis diebus apportari indulget.

GREGORIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte dilectæ in Chriſto Filiæ nobilis Mulieris Comitiſſæ de Ruvo, quod, cum in Civitate Andrienſi Domus, ſeu Monaſterium pro receptione, & habitatione Fratrum Capucinorum de novo conſtruitur, ipſa cuperet, ut celeriùs fabrica hujuſmodi abſolvatur, etiam diebus feſtis materiam ad ipſam fabricam neceſſariam deferri poſſe. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper hoc licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos ad ea, quæ ad divini cultûs augmentum tendere conſpicimus, libenter attendentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut etiam diebus feſtis (ſolemnibus exceptis) poſt Miſſarum celebrationem res fabricæ prædictæ quomodolibet neceſſarias, per quoſcumque conduci, & aſportari liberè, & licitè, ac abſque conſcientiæ ſcrupulo, vel peccati reatu poſſint, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium concedimus, Non obſtantibus Conſtitutioni-

bus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xv. Junii MDLXXVII. Anno ſexto.

Ex Regeſto Arch. Vaticani Secreti Epiſt. 247.

Libros, & Icones Domûs Monopolitanæ aliò tranſportari &c. ſub cenſuris prohibet, ac prohibitionem hujuſmodi ſemel in anno in pleno Capitulo publicari, & illius copiam portæ Bibliothecæ affigi mandat.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteras Apoſtolicæ ſervitutis Nobis incumbentes curas, ea etiam, per quam Regularium locorum quorumlibet Bibliothecæ, ad communes in eis pro tempore Altiſſimo famulantium uſus deſtinatæ, ſartæ tectæ manuteneantur, non immeritò annumeratur, & propterea his, quæ pro illarum conſervatione utilia fore videntur, per noſtræ proviſionis miniſterium, etiam cenſurarum Eccleſiaſticarum comminatione intendimus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis, Ordinis Fratrum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Monopolitan. petitio continebat, quod in Domo Regulari ejuſdem Ordinis Monopolitan. Bibliotheca ſit variis libris inſtructa, & quatuor Icones non mediocris artificii eidem Domui, ſeu illius Eccleſiæ donatæ reperiantur, & timendum ſit, ne ſucceſſu temporis tam libri, quàm Icones hujuſmodi, ob mutationem, & commodationem illorum variis perſonis forſan faciendam, aut aliàs, in magnum dictæ Domûs damnum deperdantur. Quare pro parte dicti Procuratoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Fidelium quorumlibet, præſertim Regularium, & Religioſarum Perſonarum votis libenter annuimus, eaſque favoribus proſequimur opportunis, dictum Procuratorem Generalem, ac ipſius Domûs ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Quod ex nunc de cœtero perpetuis futuris temporibus nulla ex dictis Iconibus, nullique omnino libri in dicta Bibliotheca reconditi, & recondendi, ac in illa pro tempore exiſtentes, vendi, vel alienari, præſtari, mutuò dari, quibuſvis perſonis comodari, aliò tranſportari, aut aliàs auferri poſſint, aut debeant, in perpetuum, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium, ſtatuimus, & ordinamus. Et nihilominus omnibus, & ſingulis Superioribus Religioſis, tam præfatis, quàm alterius cujuſcunque Ordinis pro tempore exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pæna excommuuicationis per contravenientes incurrenda, ne libros in dicta Bibliotheca, ſeu Icones, ut præfertur, reconditas, & in poſterum recondendas, per ſe, vel per interpoſitas perſonas vendere, præſtare, mutuò dare, quibuſvis perſonis commodare, aliò tranſportare, aut aliàs quomodolibet ex præfata Bibliotheca extrahere quoquomodo audeant, ſeu præſumant, auctoritate, & tenore præmiſſis diſtrictiùs præcipimus, & mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Domûs, ac Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis, illi, ejuſque Superioribus, & perſonis, ſub quibuſcumque verborum formis conceſſis, confirmatis, & innnovatis: quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris litteris mentio ſpecialis, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentes noſtræ literæ, ſaltem ſemel quolibet anno, in pleno Capitulo dictæ Domûs publicentur, & illarum copia, ac exemplar authenticum ad hoc, ut ad omnium notitiam pervenire poſſint, in ipſius Bibliothecæ porta remaneant affixa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, præcepti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto pridie Nonas Septembris Pontificatus noſtri Anno quarto.

Octavius Azorius.
Hugo Chauſones.

Exemplar in Archivo generali Ordinis Arm. Provincia Barenſis.

Decretum S. Congregationis Rituum quo Fratres Medunei ſub propria Cruce in proceſſionibus incedere poſſe, contra Cleri oppoſitionem fuit declaratum, Apoſtolicæ firmitatis robore confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domûs Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Terræ Modogni, Baren. Dioec., quod nuper à Ven. Fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus ſacris Ritibus præpoſitis emanavit Decretum, tenoris ſubſequentis, videlicet. Fratres Capucini Terræ Modogni Baren. Dioec. conqueſti ſunt de Clero Sæculari illius loci prohibente eos in publicis Proceſſionibus incedere ſub propria Cruce, ſupplicantes provideri. Et Sacra Rituum Congregatio reſpondit: Regulares in publicis Proceſſionibus non poſſe prohiberi, quin incedant ſub propria Cruce, & ita in caſu propoſito ſervari mandavit. Die 11. Auguſti MDCXXXI. Non obſtante contraria conſuetudine.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Guardianus, & Fratres prædicti, plurimùm cupiant, Decretum hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtat, & inviolabiliter obſervetur, Apoſtolicæ Noſtræ confirmationis robore communiri. Nos Guardianum, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertum Decretum hujuſmodi, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, Decretumque hujuſmodi, ac præſentes literas valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ac Guardiano, & Fratribus prædictis pleniſſimè ſuffragari, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari debere, irritumque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, vel quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Auguſti MDCXXXI. Pontificatus Noſtri Anno nono.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſt. Arch. Secret. Brevium Apoſtolic. Menſ. & Anno prædict. fol. 449.

Conſervatorium Capucinellarum Loci Aquævivæ, ad Clauſuram redigi committit.

A tergo: *Dilecto Filio Vicario Capitulari Eccleſiæ Baren. illius Sede Archiepiſcopali Baren. vacante legitimè deputato.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut Dilectæ in Chriſto Filiæ Mulieres ſeu Virgines, Capucinellæ nuncupatæ, Conſervatorii Aquavivæ, Baren. Dioeceſ. Nobis nuper exponi fecerunt, aliàs Venerabilibus Fratribus Noſtris, S. R. E. Cardinalibus negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitis per Eas ſupplicato, ut præfatum Earum Conſervatorium ad perfectam Monaſterii Clauſuram redigi poſſit, Tu poſt commiſſam Tibi ab eiſdem Cardinalibus, & per Te captam Statûs dicti Conſervatorii informationem retuleris, præfatum Conſervatorium ſufficientes reditus, & alia ad debitam Clauſuram requiſita habere, cupiantque propterea dictæ Exponentes ſibi per Nos in præmiſſis opportunè provideri, Nos eaſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus illarum Nomine Nobis deſuper humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Fratrum Noſtrorum conſilio, habitâ

tâ & attentâ ſufficienter ſuper præmiſſis relatione prædictâ, Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut Conſervatorium præfatum ad Clauſuram auctoritate Noſtra redigas, legibuſque Clauſuræ Sanctimonialium juxta Sacrorum Canonum, ac Sacri Concilii Tridentini Decretorum, ac Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem ſubijcias. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunq;. Datum Romę apud S.Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Decembris MDCXXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto decimo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Autog. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſe & anno præd. fol. 402.

Libros Bibliothecæ Domûs Venuſinæ à Sylvio Maranta legatos, & uſui Fratrum non aptos vendendi, alioſque emendi facultatem largitur, ita tamen, ut pars emptorum Bibliothecis Barenſi, & Nojæ aggregetur.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilecti Filii Miniſtri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Barenſis, Nobis expoſitum fuit, quod aliàs quondam Silvius Maranta Domui Regulari, ſeu Conventui eorumdem Fratrum Venuſin. unam Bibliothecam reliquit; quoniam verò eadem Domus Regularis nonnullis dictæ Bibliothecæ libris uti nequit, nec illi ea librorum quantitas neceſſaria eſt; Nobis propterea idem Miniſter Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Miniſtrum Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Miniſtro Provinciali prædicto, & Diffinitoribus dictæ Provinciæ, quod ipſi de conſenſu hæredis, ejuſdem Silvii deſuper præſtito, ſeu præſtando, dictæ Bibliothecæ non neceſſarios vendi, vel permutari, & alios, qui utiles, & neceſſarii eſſe poſſunt, libros capi, ſeu emi, nec non etiam illorum partem ad Barenſem, & Terræ Nojæ Conventus, ejuſdem Provinciæ, transferri facere liberè & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica Authoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus ejuſdem Silvii voluntate, quam in- & quòad præmiſſa ſufficienter commutamus, ac, quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XX. Septembris MDCXLI. Pontificatus Noſtri Anno decimo nono.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 1.

DECRETO

S. Congreg. Rituum.

Fratres Putiniani in jure præcedentiæ contra RR. PP. Obſervantes manutenentur.

NULLIUS SEU BARENSIS.

IN cauſa Nullius, ſeu Barenſis præcedentiæ à Patribus Minoribus Obſervantibus Terræ Putignani contra Patres Capucinos ejuſdem Loci de- & ſuper jure præcedendi in Proceſſionibus, aliiſque actibus publicis, Sacrorum Rituum Congregatio, referente Emo & Rmo Domino Cardinali Sacchetto, nec non viſis & auditis juribus hinc indę deductis, & allegatis ab utraque parte informante, cenſuit manutenendos eſſe in poſſeſſione præcedendi Patres Capucinos, & ita decrevit. Die 25. Septemb. 1688.

Card. Cibo Præf.

Caſalius Secret.

Ex Reg. Secret. Congr. menſ. & anni præd. fol. 183.

NOTA

N O T A.

Agitata fuit in S. Congregatione Epiſcoporum & Regularium & alia præcedentiæ controverſia, orta RR. PP. Dominicanos inter -- ac RR. PP. Carmelitanos, & Fratres noſtros, quæ fuit deciſa, ut ſequitur;

In Cauſa Nullius Putiniani præcedentiæ vertente inter PP. Dominicanos ex una -- & PP. Carmelitas & Capucinos ex altera -- partibus, propoſitum fuit infraſcriptum dubium, videlicet:

An, & quibus debeatur præcedentia tum in Proceſſionibus, quàm in quibuſcumque aliis functionibus in caſu?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, viſis relationibus Archiepiſcopi Barenſis, & Vicarii Generalis Nullius Putiniani, partibus auditis, & informationibus, referente Eminentiſſimo Corſino ad ſupraſcriptum dubium ſequentem in modum reſpondendum cenſuit, nimirum:

In caſu, de quo agitur, præcedentiam deberi PP. Carmelitis & Capucinis, & amplius hujuſmodi cauſam non proponi mandavit. Romæ 22. Januarii 1717.

D. Paraccianus.

Ex Regeſto Autographo Secretariæ Congreg. menſ. & anni prædictorum.

D E C R E T O

Sac. Congreg. Rituum.

Feſtum Sancti Antonii Patavini à Fratribus noſtris Terlitii die currente celebrari, contra PP. Obſervantes ibidem ſtatuitur.

NULLIUS TERLICIEN.

Relatâ ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Card. Noris in Sacra Rit. Congregatione controverſiâ ſuper prætenſa à PP. Minoribus Sancti Franciſci Sanctæ Mariæ de Nova Terlitii privativè celebrandi eadem die Feſtum S. Antonii de Padua contra PP. Capucinos ejuſdem Loci exortâ. Sac. eadem Rituum Congregatio etiam dictis PP. Minoribus tantùm informantibus, cenſuit reſcribendum: Licere etiam PP. Capucinis celebrare die currenti Feſtum S. Antonii de Padua; & ita decrevit, & ſervari mandavit. Die 30. Martii 1697.

Card. Cybus Præf.

Inghiramus Secret.

Ex Reg. Autographo Congreg. menſ. & anni præd. fol. 157.

N O T A.

Decretum hoc ex parte fuit eodem anno ab eadem S. Congregatione confirmatum, ex parte autem quoad concionem modificatum, ut ſequitur:

Nullius Terlicii.

Repropoſita ab Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinale Noris in Sac. Rit. Congregatione controverſiâ, à PP. Minoribus Obſervantibus Sancti Franciſci S. Mariæ de Nova Terlitii ſuper prætenſa privativa celebrandi eadem die Feſtum S. Antonii de Padua quoad PP. Capucinos ejuſdem Loci excitata, ſuper quo ſub die 30. Martii proximè præteriti, referente eodem Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo D. Cardinale Noris, licere etiam PP. Capucinis celebrare Feſtum S. Antonii eadem die *reſcriptum fuit, Sacra Eadem Rituum Congregatio, utriſque partibus informantibus, tam in voce, quàm in ſcriptis auditis, cenſuit reſpondendum: Poſſe PP. Obſervantes celebrare Feſtum S. Antonii de Padua eo tempore & forma, quibus ante ingreſſum Capucinorum celebrabant; Capucinos verò poſſe eadem die, ſed habere concionem hora ac parte diei diverſa. Et ita decrevit, & ſervari mandavit die 3. Auguſti 1697.*

Card. Cybus Præfectus.

Inghiramus Secret.

Ex Regeſto Secretariæ Congreg. menſ. & anni præd. fol. 206.

DE-

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſ. & Regul.

Patres Diſcalceati S. Petri de Alcantara in Terra Caſtellanæ, ultra quatuor milliaria diſtantiæ ab eorum Conventu, & in Locis, ubi morantur Fratres noſtri &c., quæſtuare prohibentur.

IN Cauſa Nullius Caſtellanæ vertente inter Fratres Diſcalceatos Sancti Petri de Alcantara, & litis conſortes ex una, & Conventum, & Fratres Reformatos Turi, alioſque eorum Conventus partibus ex altera, de – & ſuper infraſcriptis dubiis, nempe:

I. *An liceat Fratribus Diſcalceatis S. Petri de Alcantara fundare novum Conventum in Terra Caſtellanæ, & quatenus, & affirmativè?*

II. *An liceat dictis Fratribus Diſcalceatis quæſtuare ultra quatuor milliaria diſtantiæ ab eorum Conventibus, & in Locis, ubi ſunt Conventus Reformatorum, vel Capucinorum?*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcop. & Regul. præpoſita, visâ relatione Vicarii Generalis Caſtellanæ, Partibus auditis, referente Eminentiſſimo Sancti Clementis, cenſuit ad ſupraſcripta dubia infraſcriptum in modum reſpondendum, videlicet;

Ad primum affirmativè, ſine præjudicio Religioſorum ceterorum, qui ſunt in quaſi Poſſeſſione quæſtuandi in Oppido Caſtellanæ.

Ad ſecundum negativè quoad Conventum, de quo agitur.

Romæ 15. Septembris 1713.

G. Card. Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congregat. menſ. & anni prædict.

DECRETO

S. Congregat. Rituum.

Circa funeralia Cadaverum Sæcularium ad Eccleſiam Domûs Terræ Corati delatorum, Decreta jam aliàs emanata ſervari, & functiones funeralium non à Parocho, ſed Fratribus peragi mandatur.

TRANENSIS.

CUm ex parte Guardiani, & Fratrum Ordinis Capucinorum Terræ Corati Diœceſ. Tranen. expoſitum fuerit, quod occaſione funeralium & aſſociationis Cadaverum, quæ ad eorum Eccleſiam ſepelienda deferuntur, Clerus Terræ prædictæ functiones ſupra illa exercere prætendat; cumque non ſolùm ad evitanda diſſidia, verùm etiam pro ſervanda pace inter ipſos & Clerum, Sac. Rituum Congregationi pro opportuna reſolutione ſuper præmiſſis humillimè ſupplicatum fuerit, Sacra eadem Rituum Congregatio, remiſsâ prius de more inſtantiâ ad Ordinarium pro informatione, & pluries in dicta Curia Partibus citatis, & intimatis, ſed nequaquam comparentibus, ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis S. Clementis reſcribendum cenſuit: dentur Decreta, & ſignanter infraſcripta edita in cauſis, nempe Civitatis Potentiæ = *Sacra Rituum Congregatio inhærendo aliis Decretis in ſimilibus emanatis, iterum declaravit, Parocho & Clero Eccleſiaſtico Sæculari Civitatis Potentiæ in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis Cadaverum non licere ingredi Eccleſias Regularium, in quibus dicta Cadavera erunt ſepelienda, ſed teneri dimittere eadem ad Januam Eccleſiarum, ibique ſolùm benedicere, & dare ultimum vale, & poſtquam ad Eccleſias Regularium dicta Cadavera pervenerint, functiones funeralium peragendas ſuper Cadaveribus ad ipſos Regulares, & non ad Parochos pertinere, niſi adſit contraria conſuetudo immemorabilis legitimè probanda, & ita ad inſtantiam Fratrum Minorum Conventualium, & Reformatorum Obſervantium prædictæ Civitatis decrevit, & ſervari mandavit die 20. Novemb.* 1677.

Et Senogallienſis = *In Congregatione Sacrorum Rit. ordinaria habita die 9. Maii 1705. in Cauſa Senogallien. Jurium Parochialium vertente inter Abbatem Eccleſiæ Parochialis Beatæ Mariæ de Platea, & alios Parochos Terræ Montis novi ex una, & PP. Minores Conventuales ejuſdem Terræ Senegallien. Partibus ex altera, inter alia dubia propoſitum & reſolutum*

latum fuit infraſcriptum, nempe Decimum: An Parocho liceat facere Officium ſuper Cadaveribus ſepeliendis in Eccleſia PP. Minorum Conventualium, vel potiùs hoc ſpectet ad ipſos Regulares? Et Sacra Congregatio Eadem Rituum ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Cardinalis Rubini, tam in voce, quàm in Scriptis Partibus informantibus auditis reſpondendum cenſuit: Ad Decimum = ad primam partem negativè, & ad ſecundam affirmativè.

Et ita decrevit, ac etiam in cauſa Tranenſi ſervari mandavit die 9. Maii 1716.

F. Card. de Abdua Præf.

N. M. Tedeſchi Secret.

Ex Regeſto Sac. Congreg. menſ. & anni prædict. fol. 46. Vide & noſtrum Jus Deciſum fol. 240.

N O T A.

FUit jam priùs in hac eadem Provincia hujuſmodi quæſtio mota, & in ſpecie in Locis Vigiliarum, & Melphicti, ubi Clerus Sæcularis Exequias in Eccleſia Fratrum perſolvere prætendebat. Quoad Locum primum fuit illi hoc negatum Decreto Sac. Congreg. ſequente:

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Brancatio cenſuit ac declaravit, non licere Clero Vigiliar., ſeu Biſcelien. Officia Defunctorum in Eccleſia Capucinorum peragere, nec ceram, aut quartam funeralem exigere. Romæ 11. *Septembris* 1671.

Ex Regeſto Secretariæ &c. fol. 190.

Quoad Locum ſecundum, ſcriptum fuit à Sac. Congregatione Epiſcopo, ut ſequitur:

A tergo: *Illuſtri & A. R. D. Epiſcopo Melphicti uti Fratri.*

Illuſtris & A. R. D. uti Frater. Relatâ in hac Sac. Congregatione ab Eminentiſſimo D. Card. Caſanaten. FF. Capucinorum illius Civitatis inſtantiâ circa controverſiam eos inter -- ac illud Capitulum de exequiis Defunctorum faciendis pendentem, Emi Patres auditâ Amplit. Tuæ relatione, Eidem ſcribi mandavit, ut partem habentes citentur, & de Facto ſervatis ſervandis proceſſus fabricetur: jubent interim Emi Patres, ut Fratres Capucini in poſſeſſione manuteneantur. Quod &c. Romæ 26. *April.* 1675.

Uti Frater
Card. Gaſpar Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congr. menſ. & anni prædictorum.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Infirmariam, & Aromatariam Domûs Barenſis reintegrari, ac à PP. Guardianis ſummam præſcriptam quotannis ſubminiſtrari ſancitur.

IN Cauſa Ordinis Capucinorum pro Zelantibus Provinciæ S. Nicolai Barenſis. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, referente pro Eminentiſſimo D. Card. Pico Ponente, Emo D. Cardinale Barberino, cenſuit reſcribendum, prout reſcripſit, ac decrevit = Pro omnimoda reintegratione Infirmariæ, & Aromatariæ in Conventu Barenſi juxta Ordines datos à Superioribus Religionis, & Guardiani curent omnino per Syndicos eorum Conventuum quotannis ſummam præſcriptam à Definitorio Generali ſubminiſtrari ſub pœnis privationis officii, nec non vocis activæ, & paſſivæ contra Guardianos, qui præfatam contributionem neglexerint. In reliquis ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Protectorem Religionis ad mentem, quæ eſt, ut P. Generalis eligat alium Conviſitatorem, qui non ſit ex Regno Neapolit., ad quem effectum etiam ſe intelligat cum eodem Eminentiſſimo Protectore.*

Romæ die 26. Auguſti 1735.

Card. Franciſcus Barberinus.

Exempl. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Barenſis.

DECRETO.

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Fundatio Conventûs in Terra Capurſi Patribus S. Petri de Alcantara, inſtantibus noſtris Fratribus ſecunda vice inhibetur.

BEATISSIME PATER.

FRatres Capucini Nojæ, Triviani, & Rutiliani Diœc. Baren. humillimi Oratores exponunt, quod Monitorium relaxari fecerunt ſuper executione Decreti à Sac. Congregatione Epiſc. & Regul. 26. Martii 1716. Ponente Eminentiſſimo Ferreri emanati: *non eſſe locum fundationis, & amplius* cauſam non proponi, contra Patres S. Petri de Alcantara, prætendentes fundare Conventum in Territorio Capurſi, in cujus diſtrictu ad quatuor milliaria novem reperiuntur Conventus, & in ſpecie tres Capucinorum, & unus Reformatorum. Eo ipſo autem tempore, quo Monitorium dictum executioni mandari Oratores curârunt, reſciverunt, quod à s. m. Benedicto XIII. Breve ſub 31. Januarii 1729. expeditum obtinuerint, inſcriptum Archiepiſcopo Barenſi cum facultate exequendi dictam fundationem, etiamſi aliorum Regularium conſenſus integrè non afforet. Cum autem in memorato Brevi contrariam reſolutionem Sac. Congregationis Epiſc. & Regul. adeſſe, Summo Pontifici non fuerit expoſitum, & ideo illud manifeſtè ſubreptitium ſit, ad Summam Sanctitatis Veſtræ juſtitiam recurrunt, quatenus executionem præfati Brevis remittere dignetur vel Illmo D. Auditori Cameræ, coram quo Monitorium ſuper executione Decreti Sac. Congregationis fuit relaxatum, quatenus procedat, prout de jure, Brevi ſubreptitiè obtento non obſtante, vel ipſi Sac. Congregationi Epiſc. & Regul., quæ pendentiam litis cum clauſula: *& amplius non proponi* terminavit. Quod totum &c.

Libello ſupplici ad Sac. Congregationem remiſſo, prodiit Decretum, ut ſequitur:

In Cauſa Baren. prætenſæ fundationis Conventûs PP. Minorum Obſervantium de Alcantara in Terra Capurſi vertente inter PP. Capucinos Nojæ, Triviani, & Rutiliani, ac PP. Reformatos Valenzani ex una, & Patres S. Petri de Alcantara Provinciæ Neapolitanæ & litis conſortes ex altera Partibus propoſita fuerunt infraſcripta dubia, videlicet:

I. *An ſit locus aperitionis oris adverſus Breve in caſu, & quatenus affirmativè?*

II. *An, & quomodo ſit providendum in caſu? &c.*

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Gotti Ponente, Partibus auditis, ac re undique maturè perpenſâ ad ſupraſcripta dubia, ſequentem in modum reſpondendum cenſuit, prout reſpondit, & reſcripſit, videlicet:

Ad primum dubium affirmativè, &

Ad ſecundum perſiſtendum eſſe in deciſis, de anno 1716.

Et reſcribatur Archiepiſcopo, ut non permittat proſecutionem Fabricæ Conventûs, & amplius cauſam hujuſmodi non proponi mandavit. Romæ die 17. Martii 1741.

I. Card. Firrao Præf.

Coſm. de Hieronymis Secret.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

PRO-

PROVINCIA HYDRUNTINA.

Simultaneum cum Lucaniæ & Barenſi Provinciis habuit ortum, &, dum in prima harum partitione manſit ſecundæ unita, primùm anno 1590. ab hac ſciſſa, propria acquiſivit jura, nomine S. Mariæ de Finibus Terræ inſignita. In Regione Salentina viret in ædificationem, & Regularis vitæ rationem conſervat exactam; inde Alumnos ſemper numeravit de primæ Nobilitatis Familiis, quæ ſunt Alſarano-Capycia, Antollieta, Burgeſia, Cicala, Corſo-Colonna, Denapoli, Lobellia, Monteſuſcoli, Prata, Ratta &c. &c.

In hujus Provinciæ Civitate, quam Brunduſium appellamus, orta eſt Nobis Matutina illa Canonicæ Sanctitatis Stella, Ven. Dei Servus Laurentius, totius Ordinis noſtri Miniſter Generalis, quem in flore juventutis mors Patris Venetias ad Patruum diſtraxit, & ad cujus preces poſtmodum in Patria, referente Vghello Ital. Sac. tom. 9. edit. 2. fol. mihi 9. Septimo ſupra decimum Chriſti ſæculo Monaſterium ſub invocatione Sanctæ Mariæ Angelorum mirabili Bavariæ Ducum munificentiâ fuit excitatum, & Capucinis Monialibus perpetuò excolendum conſignatum.

Ex æquo quoque participat de honore Cardinalitiæ Purpuræ, qua Fr. Anſelmus à Monopoli in Eccleſia Dei luxit, cùm, Provinciæ Barenſi adhuc unita, in ſui diſtrictûs Domiciliis Eidem vitæ ſpiritualis lac inſtillaverit, & melle ſanæ doctrinæ nutriverit. Silent quidem (neſcio an incuriâ, an fato) Chronici Ordinis Libri de F. Franciſco à Soleto, hujus Provinciæ municipio, quem tamen ex Nobili Scarporum Stirpe natum, Virum poſterorum memoriâ digniſſimum reddit ipſa illius ad S. Oecumenicum Concilium Tridentinum miſſio, & habitus in eo Theologi character, prout acta originalia Concilii in Archivo Secreto Vaticano conſervata reg. 79. fol. 62. ita exprimunt:

Theologi ſuper examen articuli de Simonia ex Ordine Capucinorum

Euſebius Anconitanus Vicarius Generalis.
Franciſcus Soletus Procurator.
Joannes de Ventimilia Theologus.

Quod & confirmatur ſequenti ejuſdem Regeſti articulo fol. 80.

Prælati & alii, qui convenerunt coram Sua Sanctitate die Dominica 2. Februarii 1556. vocati per infraſcriptam Cedulam: Vocentur omnes Prælati coram Sanctiſſimo Domino Noſtro in Camera Papagalli pro die Dominica proxima ſecunda Februarii ante ingreſſum Suæ Sanctitatis in Capellam, ad audiendam mentem Suæ Sanctitatis:

Adſuêre ex Ordine Capucinorum

R. Euſebius Anconitanus, Vicarius Generalis.
R. Franciſcus Soletus Procurator.
R. Joannes de Ventimilia.

Eundem Franciſcum, qui Concilio Eccleſiæ Theologus adſuit, & juxta dictæ Scarporum Familiæ documenta Bibliothecæ Pontificiæ curam geſſit, habuit & poſtmodum Generale Ordinis Conſilium Definitorem, juxta acta Capitulorum Generalium in Archivo Procuræ aſſervata, anno 1558. *electum.*

Occupat & impræſentiarùm parem locum Fr. Benedictus à Maſſafra, pariquè prudentiæ conſilio, & Religionis zelo, quo & Provinciæ nativæ Miniſterium abſolvit, & exteras Provincias commiſſione Generali viſitavit, Ordinis cauſas juvat.

Concludit Conventus Fratrum XXXIII.
Hoſpitia III.
Monaſteria Monialium VIII.

Erectio novæ Domûs in loco Coriliani ad inſtantias Joannis de Montibus Marchionis dicti loci &c. ſignatur.

BEATISSIME PATER.

ALiàs quondam Joannes Baptiſta de Montibus, priuſquam occubuiſſet, piâ devotione ductus, pro animæ ſuæ ſalute, & Religionis propagatione, divinique cultûs augmento de bonis ſibi à Deo collatis, pro Mariæ de Bucalis, ejus Uxoris mentis, & diſpoſitionis adimplemento unum Monaſterium in loco Sanctæ Mariæ nuncupato Caſtri de Coriliano Hydruntin. Diœceſis, in quo tres vel 4. Presbyteri Græci, in illis partibus Calocri nuncupati, in Divinis continuò deſervirent, per quondam Franciſcum ejus Filium primogenitum conſtruendum, prædictiſque Græcis omnia, & ſingula ad eorum victum, & veſtitum neceſſaria ſuppeditanda eſſe mandavit, prout latiùs in ipſius quondam Joannis Baptiſtæ teſtamento continetur.

Et quia idem Franciſcus prædicti Teſtatoris mente executioni minimè demandatâ, vitâ functus eſt, devotus Sanctitatis Veſtræ Orator Joannes de Montibus Marchio prædicti Caſtri de Coriliano, qui prædicti Franciſci Filius exiſtit, ejuſdem Franciſci hæreditatem ære alieno gravatam adivit, unam Regularem Domum S. Antonio de Padua dicandam, non tamen in S. Mariæ hujuſmodi, ſed in alio ſibi bene viſo, & commodiori loco intra 8. annos proximè futuros conſtrui, & ædificari facere, ac ibi unum Guardianum, & alios S. Franciſci Capucinos nuncupatos, ſeu Minorum de Obſervantia Fratres ibidem conſtituere, aliaque præmiſſa adimplere cupit. Supplicat igitur humiliter Sanctitati Veſtræ devotus Orator, quatenus in præmiſſis opprtunè providere, Eum ſpecialibus gratiis, & favoribus proſequi, eidem Ordini unam Regularem Domum, S. Antonio de Padua dicandam cum illius Eccleſia in alio commodiore loco pro uſu, & habitatione unius Guardiani, & ſaltem aliorum decem Fratrum Capucinorum de Obſervantia prædictorum, qui inibi in Divinis deſerviant, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, gratiis, exemptionibus, ac aliis quibuſcumque Indulgentiis, & præeminentiis, quibus prædicti Ordinis cœterarum regularium Domuum Licienſis ac Gallipolitanæ Civitatum, ac Terræ S. Petri Fratres quomodolibet utuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, ac valent, conſtrui, & ædificari facere: nec non, ut legatum prædictum in fabricam Domûs, & Eccleſiæ hujuſmodi convertere, liberè, & licitè valeat, concedere, & indulgere: ipſamque Domum, & illius Eccleſiam, poſtquam, ut præfertur, conſtructæ fuerint, in Domum eorumdem Fratrum Capucinorum, ſeu Fratrum Minorum de Obſervantia hujuſmodi, prout ibi à principio introducuntur, cum illius Eccleſia, Clauſtro proprio convertere, erigere, & inſtituere: ac Guardiano, & Fratribus in ipſam Domum conſtruendam introducendis, ut præmiſſis omnibuſque aliis & ſingulis privilegiis, indultis, exemptionibus, quibus alii Fratres ejuſmodi Ordinis utuntur, uti poſſint, ac valeant, plenam, & liberam licentiam, ac facul-

facultatem impartiri, Teſtatoriſque voluntatem quoad hæc commutare dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus eadem voluntate, aliiſque præmiſſis, & quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

FIAT UT PETITUR V. (vel Hugo ita enim vocabatur ante ſuam ad Pontificatum exaltationem Gregorius XIII.)

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. de licentia, facultate, conceſſione, commutatione, aliiſque præmiſſis, ut ſupra, in forma gratioſa &c. & cum opportuno, ſi videbitur, Judicum, & Executorum deputatione, qui aſſiſtant cum poteſtate &c. &c. Et committatur Ordinario.

Romæ apud S. Petrum tertio Kal. Februarii Anno XI.

FIAT V.

Exemplar Authent. in Archivo Provinciæ, & Ordinis, Armario Provincia Hydruntina.

Litteris Pontificiis, ob mortem Archiepiſcopi Hydruntini executioni non datis, Vicario Generali Nerithonenſi hanc committit.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus ſervorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Ven. Fratris noſtri Epiſcopi Nerithonen. in ſpiritualibus Generali ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſiquidem fel. recordat. Gregorio PP. XIII. Prædeceſſori noſtro pro parte Dilecti Filii Joannis de Montibus, Marchionis Caſtri de Coriliano, Hydruntin. Dioec. expoſitô, qualiter quondam Joannes Baptiſta etiam de Montibus piâ devotione ductus, priuſquam occubuiſſet, unum Monaſterium in loco S. Mariæ nuncupato Caſtri, & Dioec. prædictorum, in quo tres vel 4. Presbyteri Græci in illis partibus Calocri nuncupati degerent, ibique in Divinis continuò deſervirent, per quondam Franciſcum ejus Primogenitum conſtrui, & ædificari voluit, atque mandavit; poſtmodum verò dicto Franciſco, ejus Patre, voluntate minimè executioni demandatâ, vitâ functo, prædictus Joannes, qui dicti Franciſci ejus Genitoris hæreditatem ære alieno gravatam adivit, ejus Patris obligationi, dictique Joannis voluntati ſatisfacere deſiderans, eidem Prædeceſſori noſtro ſupplicari fecit, quatenus ſibi unam Regularem Domum S. Antonio de Padua nuncupato dicandam, non tamen in B. Mariæ hujuſmodi, ſed in alio ſibi bene viſo, & commodiore loco intra 8. annos tunc proximè futuros pro uſu, & habitatione unius Guardiani, & aliorum ſaltem decem Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum conſtrui, & ædificari faciendi licentiam & facultatem concedere dignaretur, idem Prædeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ſub Datum videlicet tertio Kalendas Februarii Pontificatûs ſui Anno XI. Ven. Fratri Epiſcopo Hydruntino voluit, & conceſſit dari in mandatis, quatenus eidem Joanni unam Regularem Domum in alio præfatæ S. Mariæ commodiore, & ſibi bene viſo loco pro uſu, & habitatione unius Guardiani, & ſaltem decem Fratrum Ordinis hujuſmodi conſtrui, & ædificari faciendi licentiam & facultatem Apoſtolica Auctoritate concederet, prout in noſtris inde confectis litteris (cum dictus Prædeceſſor, antequam ejus litteræ conficerentur, ſicut Domino placuit, rebus humanis fuiſſet exemptus.) pleniùs continetur.

Cum autem, prout eadem expoſitio ſubjungebat, Archiepiſcopalis Hydruntina tunc Paſtore careret, & adhuc ad præſens careat, pro parte dicti Joannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, qui Civitati Hydruntinæ, ut præfatus Joannes aſſerit, vicinior exiſtis, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam prædictæ Litteræ Tibi pro parte dicti Joannis præſentatæ fuerint, ad illarum executionem ſervatâ aliàs formâ earumdem, procedas, in omnibus & per omnia, perinde, ac ſi illæ Tibi directæ fuiſſent. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in dictis litteris voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, decimo Januarii Pontificatûs noſtri Anno ſecundo.

Bulla formata in Archivo Provinciæ, de qua exemplar authent. in Archivo Generali Ordinis, Armario Provincia Hydruntina.

NO-

N O T A.

IN hujus Domûs loco ſurrexêre poſtmodum Eremitæ, qui ſe Capucinos Reformatos nuncupabant; cumque ementitâ hac Nominis & Habitûs figurâ non levem, & Ordini, & Fratribus inferrent injuriam, ad horum quærelas illos carcerari juſſum eſt epiſtolâ S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſubnexâ:

Perilluſtris, & R. Domine uti Frater.

Sub nomine Provincialis Capucinorum Apuliæ fuit expoſitum, quod in loco Coriliani illius Diœc. compareant nonnulli Eremitæ, qui ſe Capucinos Reformatos nominant, & ab horum Habitu non differunt niſi per Caputium. Cumque veroſimile non ſit, quod ad hoc debita licentia Apoſtolica fuerint muniti, & conſequenter ex novo hoc Inſtituto varia inconvenientia, & ſcandala enaſci poſſent, Illuſtriſſimi Domini mei Amplit. Tuæ ſcribi mandârunt, quatenus omnes & ſingulos carcerari faciat, & quamprimum plenam diſtinctamque relationem eorum, quæ in hac parte pro Illuſt. Dominorum informatione occurrent, tranſmittat. Inde præſentem Ordinem cum diligentia, & exactitudine exequi ſtudeat &c. Romæ 26. Junii 1626.

Amplit. Tuæ

Uti Frater

Laudivius Card. S. Sixti.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ., & anni prædict.

E P I S T O L A.

Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regular.

Revocatio licentiæ, in Terra Cryptaliarum Conventum erigendi RR. Patribus Obſervantibus Reformatis à Vicario Generali datæ approbatur.

Illmẽ, & Rmẽ Domine, uti Frater.

OPtimè egit, & prudenter Amplit. Tua, dum licentiam ſine ſuo præſcitu à ſuo Vicario FF. Obſervantibus Reformatis pro Conventu in Terra Cryptaliarum ædificando conceſſam revocavit, cum ibi jam aliàs Capucinorum Conventus reperiatur, qui ob paupertatem loci, & viciniæ, in quibus eleemoſynam quærunt, quaſi fame moriuntur. Et ſicut Amplit. Tuæ reſolutio Illm̃is D.D. meis ſummopere placuit, ita prædictis Reformatis, caſu quo contra Amplit. Tuam ob hanc cauſam ad eos recurrerent, certiùs repulſam dabunt. Maneat itaque pacato animo, ſalutique attendat, dum ego me Eidem commendo. Romæ 9. Septembris 1591.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater.

Card. Alexandrinus.

Foris: *Illuſtri, ac Rev. Dño uti Fratri.*
D. Archiepiſcopo Tarenti.

N O T A.

ACta controverſiæ ne dividantur, ſubnectitur in forma Decretum, quo D. Archiepiſcopus prædictam licentiam annullavit:

Die 17. menſis Auguſti 1591. Tarenti præſentata fuit per R. P. Fratrem Jacobum de Francavilla Capucinum, Cuſtodem loci Capucinorum, & Subſtitutum per R. P. F. Mathæum de Francavilla Vicarium Provincialem Capucinorum Provinciæ S. Mariæ Terræ Hydrunti, prout de ejus ſubſtitutione apparet per litteras directas Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo Tarentino ſub Datum in Terra Cryptaliarum die 20. Julii 1591. per quem fuit proviſum, ut infra &c.

Et per Illm̃um, & Rm̃um D. Archiepiſcopum Tarentinum viſa ſupplicatione, porrecta per R.P.F. Jacobum de Francavilla, Subſtitutum per R. P. Vicarium Provincialem Provinciæ S. Mariæ Terræ Hydrunti, ut per Litteras ſuæ Paternitatis apparet, præter plurimas inſtantias oretenus factas, habitoque reſpectu ad ſtatum Religionis dictorum PP. Capucinorum, quo prohibentur litigare, & conſtito per fides Perſonarum exterarum fide dignarum de quotidiana ſubventione victûs ipſorum Capucinorum, per quas manifeſtè patet, non poſſe eos ſubſiſtere in Terra Cryptaliarum, prout pluries proteſtati ſunt, ob alimoniæ deficientiam propter acceſſum FF. Reformatorum novi Conventûs ædificandi in ipſa Terra: conſideratiſque rationibus allegatis per FF. Capucinos, quod non poſſent ipſi cum FF. Reformatis ſufficientèr ali juxta eorum obſervantiam, fuit proviſum, & decretum, licentiam datam à. R. Vicario Generali Tarenti pro ædificatione dicti novi Conventûs Reformatorum in ipſa Terra Cryptaliarum fore, & eſſe ſuſpendendam, prout præſenti Decreto ſuſpenditur, & ab ædificatione ipſius Conventûs deſiſtendum, prout deſiſti mandatur, & donec ipſe Illm̃us Dominus conſuluerit

de præ-

de prædictis omnibus Sacram Congregationem Regularium, prædicta omnia notificanda, prout per Edictum affigendum in valvis Majoris Eccleſiæ dictæ Terræ notificari mandatur, quibuſcunque Perſonis ſuum quomodolibet intereſſe putari. Et ita per hoc ſuum &c. Datum Tarenti ſub 17. *menſis Auguſti* 1591. *præſentibus R. D. Leonardo Picello V. J. D. & D. Hieronymo Mariano de Cryptaliis, præſente dicto R. P. F. Jacobo de Francavilla, & audiente, & gratias referente.*

Lelius Archiepiſcopus Tarentinus.

Plenè ad hæc RR. PP. Reformatis necdum quieſcentibus, fuit denuo ad Vicarium Generalem ſcriptum, ut ſequitur:

Rev. Dñe. Cum jam aliàs à D. Card. Alexandrino fel. rec. Archiepiſcopo illius temporis fuerit ſcriptum, ne in Terra Cryptaliarum Loco illius Diœc. FF. Reformatos introduci ſineret, ex eo, quod Conventus Capucinorum, qui ob egeſtatem locorum, in quibus eleemoſynam quærunt, vix ſe ſuſtentare poſſunt, ibi reperiatur. Viſum eſt Illmis meis Dominis, ut idem ordo à me renovetur, quatenus nihil renovare ſinat ſine nova informatione, & ſi quid in coutrarium ållegaretur, mihi reſcribat. Maneat ſanus. Romæ 18. *Decemb.* 1601.

Card. Florentiæ.

Quæ omnia efficere nequibant, quin poſt modicos annos conceptum fundandi conſilium RR. PP. Reformati denuo exequi intenderint; animum autem dejecit epiſtola ſequens, D. Archiepiſcopo inſcripta.

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine uti Frater.

Debent Patres Religionum Mendicantium juxta Deciſiones jam aliis vicibus ab hac S. Congregatione factas, antequam pro Conventibus fundandis locum ſumant, exhibere conſenſum illarum Religionum, quæ in Civitate, Terra, Caſtris &c. in quibus fundationem facere intendunt, commorantur; Hinc, cum PP. Reformati ad hunc actum devenire intendant in Terra Cryptaliarum illius Diœc. quin fidem conſenſûs pro habendo fundandi ordine neceſſarii producant, Amplit. Tua nullo modo, aut quocunque prætextu, etiam Benefactorum, aut eleemoſynarum pro ipſorum beneficio jam deſtinatarum, quibus neceſſitatem quæſtuandi ſe non habere palliant, cum hoc ipſorum regula, & inſtituto contrarietur, id permittet. Quapropter EE. Dñi mei voluêre, ut Amplit. Tuæ per præſentes ſignificarem, quatenus non ſolùm dictam fundationem, ſed etiam illius initium ſine expreſſo hujus S. Tribunalis ordine impediat.

Punctualiter & ſtudioſè hoc exequetur, cum vigore præſentium Eidem omnis neceſſaria auctoritas tribuatur. Deus illam conſervet. Romæ 21. *Maii* 1638.

Amplit. Tuæ.

Addictiſſimus uti Frater
Cardinalis S. Honuphrii.

C. Fachenettus Secret.

Exempla Documentorum omnium in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Hydruntina.

EPISTOLA

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Domum in Terra Galatulæ erigi, & econtra aliam ſupprimi P. Generali committitur.

Reverende Pater.

Illuſtriſſimi Domini mei ex juſtis cauſis animum eorum moventibus, Pat. Veſtræ & Religionis Superioribus facultatem concedunt erigendi Conventum Fratrum hujus Ordinis in Terra Galatulæ, ſub hac tamen conditione, & non aliàs, ut ad minus duodecim Fratres in eo commorentur, & vel in illa, vel in alia vicinâ Provincia unus, aut alter Conventus ſaltem eorum, in quibus minoris numeri familia reperitur, ſupprimatur. Inde Paternitas Veſtra neceſſaria deſuper diſponat.

Romæ 25. Maii 1599.

Ex Regeſto Secretariæ Congregationis, menſis, & anni prædictorum fol. 50.

Alia de hoc Conventu vide infra.

Ere-

Erectio novæ Domûs in Terra Scorani ad inſtantias Communitatis ſignatur.

HYDRUNTIN.

BEATISSIME PATER.

CUM devoti Sanctitatis Veſtræ Oratores Univerſitas, & homines Terræ Scoranæ. Hydruntinæ Dioec. pio affectu erga Ordinem FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum ducti, & aliàs pro ſpeciali eorum conſolatione unam Domum ejuſdem Ordinis in dicta Terra, & loco ſatis commodo, jamque per eos deſignato, cum ſua Eccleſia, & omnibus aliis membris neceſſariis conſtrui, & ædificari facere intendant; jamque licentiam à Capitulo Generali ejuſdem Ordinis obtinuerint, pecuniaſque pro conſtructione hujuſmodi Domûs neceſſarias in promptu habeant, & jam lapides & cœmenta, & alia pro dicta fabrica parare inceperint, dictaque Terra ſatis commoda, & populo abundans exiſtat, & ex conſuetis illius eleemoſynis, præſertim verò Nobilium Virorum, qui omnia pro ſuſtentatione Religioſorum in dictam Domum introducendorum neceſſaria ſponte, & liberaliter offerunt, ſufficiens eorumdem Religioſorum numerus commodè ſuſtentari queat, ſi in dicta Terra & loco, jam (ut ſupra) deſignato, ſeu forſan deſignando una Domus Regularis hujuſmodi perpetuò erigeretur, & inſtitueretur; augmento divini cultûs, dictique Ordinis propagationi, ac Incolarum ejuſdem Terræ ſpeciali conſolationi non modicum provideretur. Supplicant igitur iidem Sanctitatis Veſtræ Oratores pio & laudabili propoſito, in præmiſſis favorabiliter annuere, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, eiſdem Oratoribus unam hujuſmodi Domum cum Eccleſia, & aliis ad Religioſorum habitationem requiſitis conſtruendi, ſeu conſtrui, & ædificari faciendi licentiam, & facultatem liberam, & opportunam auctoritatem concedere, & impartiri: Et inſuper Domum ipſam ex nunc, prout poſtquam ſic conſtructa, & ædificata fuerit, in Domum Regularem dicti Ordinis cum Eccleſia, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque membris & officinis neceſſariis, opportunis, & aliàs conſuetis pro perpetuis uſu, & habitatione duodecim ad minus Fratrum dicti Ordinis, qui inibi ſub regularis diſciplinæ obſervantia juxta ejuſdem Ordinis regularia inſtituta vivere, diviniſque officiis in ipſa Eccleſia inſiſtere, & eidem Eccleſiæ deſervire teneantur, Auctoritate Apoſtolicâ perpetuò erigere, & inſtituere: nec non Guardiano, aliiſque Fratribus & Perſonis quibuſcumque, ac Eccleſiæ Domûs per præſentes erectæ, ut omnibus & ſingulis privilegiis, facultatibus, immunitatibus, & exemptionum prærogativis, antelationibus, favoribus, & gratiis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus aliis ejuſdem Ordinis Domibus regularibus, earumque Eccleſiaſticis in genere, vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet conceſſis, & quibus illa & earum Guardiani, & Fratres, aliæque Perſonæ de jure, uſu, conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter & abſque ulla differentia frui, uti, potiri, & gaudere: nec non quæcunque Capitula, Ordinationes, & Conſtitutiones, ac ſtatuta, felix regimen, & adminiſtrationem dictæ Domûs, & Fratrum in eam introducendorum concernentia (licita tamen & honeſta, ac dicti Ordinis Regularibus Inſtitutis, ſacriſque Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non Concilii Tridentini Decretis minimè contraria) condere, illaque juxta rerum & Fratrum qualitates, ac aliàs, prout expediens videbitur, mutare, corrigere, reformare, & alterare, & etiam alia de novo facere, quæ, poſtquam immutata, reformata, ſeu alterata, aut de novo edita fuerint, eoipſo Auctoritate Apoſtolica confirmata, & approbata ſint, & eſſe cenſeantur, ac per ſingulos Fratres prædictos inviolabiliter obſervari debeant, ac ad id cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, aliiſque juris & facti remediis cogi & compelli poſſint, ſimiliter poſſint, & valeant, dictâ auctoritate perpetuò concedere, & indulgere: nec non præſentes, & deſuper conficiendas litteras nullo unquam tempore, ex quovis prætextu, cauſaque, & occaſione de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis veſtræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus & controverſiam vocari, aut adversùs eas quidquam opponi poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari, atque ita per quoſcunque Judices judicari &c. debere, irritumque &c. decernere dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii VIII. prohibentis Fratribus Mendicantibus novas Domos acquirere &c. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam illi, illiuſque Superioribus, & Perſonis ſub quibuſcunque tenoribus &c. ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis &c. quibus omnibus, etiamſi de illis &c. latiſſimè hac vice derogare placeat, cœteriſ-

que

que contrariis quibuſcunque cum clauſulis opportunis,

FIAT UT PETITUR H. (*ideſt, Hippolytus, quo nomine ceu Cardinalis vocabatur Clemens PP. VIII. ex Familia Aldobrandina.*)

Et etiam cum abſolutione, ac ad effectum &c. de licentia, conceſſione, erectione, inſtitutione &c. quæ hic pro ſingillatim repetitis ad partem habeantur, ut ſupra, perpetuò, & ad perpetuam rei memoriam in forma groſſa cum prohibitione, & aliorum quomodolibet contrariorum opportuna derogatione &c. Et committatur Ordinario, & ſine alicujus præjudicio &c. Romæ Id. Februarii Anno VIII.

FIAT H.

Exemplar in Archivo Provinciæ.

In Civitate Oritana novam Domum ad inſtantias Communitatis erigi, & 12. Fratres cum fruitione privilegiorum & Indulgentiarum Ordinis in ea in perpetuum habitare concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Oritan., ſeu dilecto Filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.*

CLEMENS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXigit pietas, ac ſingularis devotionis affectus, quo dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis Oritan. in Provincia Hydruntin. Beatum Franciſcum Confeſſorem, ejuſque Religionem proſequuntur, ut eorum piis votis prædictæ Religionis incrementum reſpicientibus, quantum cum Domino poſſumus, libenter annuamus.

Cum itaque, ſicut pro parte eorumdem Communitatis & Hominum Nobis nuper expoſitum fuit, ipſi pro ſpirituali Civium & Incolarum, ac aliorum CriſtifideliumCivitatis, & Dioeceſ. Oritan. profectu, conſolatione, & commodo, ac animarum ſalute, divinique cultûs augmento unam Domum & Conventum Ordinis Fratrum Capucinorum in Territorio ejuſdem Civitatis, ubi nulli prædicti Ordinis Religioſi exiſtunt, erigere cupiant, propterea Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut opportunam, Domum prædictam erigendi licentiam illis concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ad ea, quæ ad divini cultûs augmentum, Religionis propagationem, ac Animarum ſalutem pertinent, intendentes, attendenteſque ex hujuſmodi Domûs erectione, Civium, Incolarum, aliorumque Chriſtifidelium prædictorum ædificationi, ac animarum ſaluti, tum ex piis exercitiis, tum ex divinorum Officiorum frequentia plurimùm conſuli poſſe, ac propterea dictorum Communitatis, & Hominum pio deſiderio benignè annuere volentes, eoſque, & quemlibet eorum à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut accedente conſenſu Venerabilis Fratris Julii Antonii, Epiſcopi Prœneſtin. S. R. E. Cardinalis S. Severinæ nuncupati, dicti Ordinis Capucinorum Protectoris, eiſdem Communitati & Hominibus, quod in Territorio dictæ Civitatis unam Domum ac Conventum Fratrum Capucinorum, cum clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque officiis & Officinis neceſſariis auctoritate noſtra erigere, ac Fratribus ejuſdem Ordinis iſtuc eadem de cauſa cum ſuorum Superiorum licentia introducendis pro eorum perpetuis uſu, & habitatione, ita tamen, ut duodecim ad minus Fratres dicti Ordinis ibi pro divinis Officiis peragendis continuò reſidere debeant, concedere, & aſſignare poſſint, Auctoritate noſtra Apoſtolica licentiam & facultatem concedas. Ac ejuſdem Domûs, poſtquam erecta fuerit, ejuſque Conventûs futuris Guardiano, ſeu Miniſtro, & Fratribus, ut omnibus, & ſingulis gratiis, indultis, conceſſionibus, favoribus, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, & privilegiis, quibus alii ejuſdem Ordinis Domus, Conventus, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum, ſine aliqua prorſus differentia frui, potiri, & gaudere poſſint, & valeant, eadem auctoritate concedas & indulgeas. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri Fratribus Mendicantibus novas Domos ad inhabitandum recipere prohibente, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac etiam ejuſdemOrdinis Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores præſentibus

pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. Maii MDCII. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

Ex Regeſto Autographo Archivi Secretariæ Brevium Apoſtolicorum menſe, & anno prædictis fol. 461.

NOTA

EMersère cauſæ inopinæ, quæ executionem hujus Apoſtolici Brevis uſque in hodiernum diem impediverunt.

Ornamenta & Paramenta, à Maximiliano Bavariæ Duce Eccleſiæ Monialium Brunduſii à ſe conſtructæ donata, exinde extrahi prohibet, & prohibitionis copiam in valvis Eccleſiæ, vel alio loco perpetuò affixam manere mandat.

PAULUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut nomine dilecti Filii nobilis Viri Maximiliani Bavariæ Ducis, Nobis nuper expoſitum fuit, ipſe Eccleſiam Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupatam novi Monaſterii Monialium Capucinarum etiam nuncupatarum, Brunduſin. à ſe conſtructi, & ædificati, variis ornamentis & paramentis ad divini cultûs in ea decorem inſtruxerit; Nos eorumdem paramentorum & ornamentorum conſervationi, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ipſumque Maximilianum Ducem ſpecialibus &c. volentes & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Maximiliani Ducis Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam quavis auctoritate fungens, vaſa, Calices, Candelabra, Reliquiaria, ornamenta, & paramenta Eccleſiaſtica, & quamcumque aliam ſupellectilem ſacram pro uſu, & ſervitio dictæ Eccleſiæ, tam per dictum Maximilianum Ducem, quàm alios quoſcumque Chriſtifideles eidem Eccleſiæ hactenus donata, & aſſignata, ſeu impoſterum forſan donanda, & aſſignanda quovis quæſito colore, cauſa, prætextu, & occaſione ê dicta Eccleſia extrahere, ſeu aliis Eccleſiis, Monaſteriis, & Locis piis commodare, etiamſi animum illa deinde referendi habeat, ſive, ut extrahantur, vel commodentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, necnon privationis vocis activæ & paſſivæ per contrafacientes incurrendis pænis, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus; non obſtan. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Monaſterii, & illius Ordinis etiam &c. ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis Sacriſtiæ dictæ Eccleſiæ, aut aliquo alio perſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Octobris MDCXIX. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſtolicorum menſ., & anni præd. fol. 446.

NOTA.

EOuſque tenera & officioſa fuit Sereniſſimi Bavariæ Ducis Maximiliani I. erga Ven. Servum Dei noſtrum P. Laurentium à Brunduſio pietas, & charitatis affectus, ut non ſolùm Monaſterium Monialium Capucinarum, aliàs jam anno 1571. ſub Præſule Bernardino de Figueora in Civitate Brunduſii fundatum, at vario vitio corruptum, & infelicem caſum minitans, in ſitu ejuſdem Domûs, in quo Laurentius natus fuerat, de novo conſtrui, ſed & conſtructi Eccleſiam divite ſuppellectile, & rariſſimo Sacrarum Reliquiarum apparatu in gratiam dicti Ven. Servi Dei exornari curaverit. Lucet quidem in Monaſterii fabrica modeſtia, quæ Paupertatem inſtituti ſervat, eminet autem in ſacro munere religioſiſſimus zelus, quo Sereniſſimus Dux decorem Domûs Dei prædilexit, inde ſi opera Dei nuntiare gloriæ ſit actio, illud, tum ex inventario mihi tranſmiſſo, tum ex Vita Ven. P. Laurentii impreſſa fol. 266. ſpecificè hic enarrare gratitudinis eſt debitum. Servantur inde in prædicta Eccleſia, ejuſque Sacriſtia.

Calices ſeptem cum tot patenis, quorum unus ex puro auro, alius autem ex argento confectus eſt, cujus cuppa, ſeu pars ſuperior pariter ex auro: in omnibus autem tam labor artis, quàm relevantium figurarum varietas mirè reſplendet, habentque omnes ſua vela, & alia paris decoris & pretii.

Cuſtodia una, ſeu Tabernaculum, duæ Pixides, tria thuribula cum naviceliis, 6. *Candelabra cum Lampade majore ex puro argento.*

Lampades aliæ decem cum triginta ſex Candelabris ex aurichalco affabrè elaboratis.

Baldachinum, Pluviale, Tunicellæ, caſulæ &c. omnium, quibus Eccleſia utitur, colorum. Item & aliæ veſtes Sacerdotales, in quibus pariter ars, & pretium inter ſe decertant.

Duo Reliquiaria ex ebano nigro, cum 22. *loculis argenteis, in quibus totidem reperiuntur Reliquiæ:*

Sum-

Summitatem horum Reliquiariorum exornant Cruces duæ, quarum cuilibet quatuor incluſæ ſunt SS. Reliquiæ.

Crux ejuſdem cum dictis Reliquiariis altitudinis cum octodecim Reliquiis, in cujus medio videtur theca ex argento cum particula Ligni Sanctiſſimæ Crucis.

Duo alia Reliquiaria in forma Capellæ ex ligno nuceo, quorum quodlibet tres S. Reliquias inſignes, & alias duas parvas continet.

Duo Reliquiaria cum columnis ex ebore, quorum quodlibet tres S. concludit Reliquias.

Alia duo Reliquiaria cum columnis ex ebano, quorum cuilibet novemdecim S. Reliquiæ inexiſtunt.

Duo alia in forma Capellæ inferius aperta, duodecim S. Reliquiis cuilibet inſertis.

Duo alia ſimilia in quadro cum vigintiquinque S. Reliquiis cuilibet incluſis.

Duo alia ſimilia cum colore viridi interiùs, quorum quodlibet 12. S. Reliquias complectitur.

Duo alia cum pedibus ex ebore, in quorum quolibet duodecim S. Reliquiæ numerantur.

Aliæ duo ejuſdem formæ cum tabulato aurei coloris, & 21. Reliquiis cuilibet accluſis.

Alia duo ejuſdem formæ, in quorum medio Cera Papalis, quam in quolibet ſex Reliquiæ cingunt.

Reliquiarium ad formam Capellæ viridis coloris, miniatum ex auro cum ornatu ſerico rubro, in quo undecim S. Reliquiæ cernuntur.

Reliquiarium cum duabus figuris argenteis, cum pedibus inauratis, & tribus S. Reliquiis incluſis.

Quatuor Agnus Dei *cum Cera Papali in medio, in quorum duobus majoribus duodecim, & in duobus minoribus octo numerantur Reliquiæ.*

Crucifixus *cum Monte Calvario ex argento, cum Angelis, Myſteriis &c.*

Crucifixus *ex auro obrizo cum ſtatuis, ex aurichalco inauratis.*

Crucifixus *ex argento fino.*

Duo Agnus Dei *ex ebore parva, quorum unum Velum B. V. M., & alterum particulam de Induſio ejuſdem B. Virginis exhibet.*

Agnus Dei *ovatum cum cera Papali in medio, & in ejus circuitu 20. Reliquiæ.*

Ciſtula ex ebano cum Reliquiis accomodatis.

Decem Integra Capita Virg. Martyrum ex Societate S. Urſulæ, & quatuor alia de Sociis S. Mauritii M.

Pulvinaria, ſeu pulvini duo magni acu phrygio ornati cum duabus Reliquiis inſignibus, quarum una eſt de Sociis S. Mauritii, & alia S. Urſulæ.

Duo pulvini albi coloris, in quorum uno Reliquia de S. Stephano Protom., & in alio Reliquia de S. Rocho conſpicitur.

Pulvinus coloris citrinarii cum Reliquia S. Eligii.

Alius cum Reliquia S. Zachariæ, Patris S. Joannis Baptiſtæ.

Alius cum Reliquia S. Laurentii M. Levitæ.

Alius cum coſtis ejuſdem S. Laurentii, & aliâ Reliquia incognitâ

Alius cum duabus Reliquiis de S. Januario, & S. N.

Alii duo cum 2. Reliquiis incognitis.

Alius cum maxilla S. Agapiti.

Omnes iſti pulvini ſunt ex materia cremiſina.

Quatuor alii ex ſerico, Cataluffa *vocato cum diverſorum Sanctorum Reliquiis.*

Dens molaris S. Apolloniæ V. Martyris in apice floris collocatus.

Duæ Statuæ parvæ, quarum una S. Stephanum, & altera S. Laurentium, cum cujuslibet Reliquiis repræſentat.

Craticula ex argento cum ferro, ſeu radio craticulæ S. Laurentii cum quatuor carbonibus, humore ex corpore S. Levitæ fluente extinctis.

Vas ex argento deauratum cum chryſtallo intexto, in quo digitus S. Athanaſy ſervatur.

Crux ex ligno nuceo fino cum Guttis, ſeu Granis Sanctiſſimi Sanguinis Jeſu Chriſti, & particulâ de Ligno Sanctæ Crucis: in cujus pede videtur Sanguis ex Stigmatibus S. P. Franciſci

Reliquiarium magnum cum 2. porticellis, & figuris Paſſionis D. N. J. Chriſti, & centum quinquaginta Reliquiis accluſis.

Crux parva ex ligno, S. Patris dicto, in cujus una parte continentur octodecim S. Reliquiæ, & ex alia parte Chriſti Salvatoris Imago.

Hæc probabilius illa Crux eſt, quam Ven. Dei Servus Laurentius ante pectus, ceu ſcutum ſalutis, & memoriale Paſſionis Dominicæ geſtare ſolebat, acceptam ab altefato Duce cum conditione, ut illam ante ſuum è vita diſceſſum in Eccleſia Monaſterii Monialium Capucinarum Brunduſii collocari diſponeret: quod & factum eſt pio honore, cum Archiepiſcopus Pontificaliter indutus cum Clero, & populo eam cum aliis S. Reliquiis ceu pretioſiſſimam Venerabilis ſui Concivis hæreditatem proceſſionaliter (ut in vita P. Laurentii fol. mihi 292. legere eſt) ad dictam Eccleſiam tranſtulerit.

Conſervant de cætero Moniales & alia S. Spolia de Ven. Dei Servo, ſuntque portio Cordis, Breviarium, epiſtola propriâ illius manu Matri Abbatiſſæ inſcripta &c. &c.

Error dein nonnullorum eſt, dum Moniales has primùm ſub Pauli PP. V. Pontificatu Brunduſii inſtitutas fuiſſe opinantur; jam enim anno 1571. ſub- & à ſupradicto Antiſtite Bernardino de Figueora Hiſpano ibi inductas, & fundatas fuiſſe Ughellus tom. 9. Italiæ Sacræ edit. novæ fol. mihi 43. clarè perhibet, eruiturque convincenter ex epiſtolâ S. Congregationis Epiſc., & Regul. quâ Archiepiſcopo de translatione earumdem Monialium de antiquo ad novum Monaſterium ſequentia fuêre præſcripta:

Longiùs in S. Congregatione punctum de translatione iſtarum Monialium Capucinarum ad novum Monaſterium à Sereniſſimo Duce Bavariæ pro illarum commodo conſtructum, fuit diſcuſſum, & Illuſtriſſimi Domini mei Amplit. Tuæ ſcribi juſſerunt, ne tardet transferre dictas Moniales ad memoratum locum novi Monaſterii, non obſtante, quod earum tres vel quatuor reluctentur. Agatur primò cum his ſuaviter, & in manſuetudine, quatenus ad illuc voluntariè eundum alliciantur; ſi tamen adhuc in pertinacia perſiſterent, exequatur Amplit. Tua Sacræ Congregationis ordinem meliore modo, & majore, quâ poterit, decentia.

Cumque Moniales antiquum Monaſterium juxta Amplit. Tuæ vota Seminario relinquere renuant, iidem Illuſtriſſimi Domini mei ordinant, ut Amplit. Tua illud à peritis inſpici & æſtimari diſponat, pretiique, quo æſtimabitur, det notitiam. Deus &c. Romæ 15. Januarii 1619.

Ex Regeſto Secretariæ Congreg. menſ., & anni præd. fol. 9.

Alia de hocce Monaſterio reperies infra in præſenti Documentorum nexu:

Petium terræ, ad Eccleſiam ſæcularem B. Mariæ Virginis de Stigliano ſpectans, Domui Fratrum Loci Meſſapiæ incorporari, Ordinario committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Antonio Epiſcopo Brunduſin.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ de Meſagna Brunduſin. Diœc., quod, cum eorum Domus Regularis valde anguſta exiſtat, Dilectus Filius modernus Abbas ſine cura Eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis de Stigliano nuncupatæ, dictæ Terræ, quæ, ut aſſeritur, de Jurepatronatus Dilecti Filii nobilis Viri Joannis Antonii Albritii Principis *della Veterana* exiſtit, quoddam Terræ petium ad dictam Domum ſpectans, dictæque Domui contiguum, eiſdem Guardiano & Fratribus pro illorum Domûs Regularis hujuſmodi ampliatione, ac ad illorum uſum tantùm de dicti Joannis Antonii Principis conſenſu dare & concedere deſiderat, ſi noſtra ad id, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur. Nobis idcirco Guardianus & Fratres prædicti humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Guardianum & Fratres hujuſmodi, ipſumque Abbatem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut dicto Abbati petium Terræ hujuſmodi, Guardiano & Fratribus prædictis, ad effectum præmiſſum de dicti Joannis Antonii conſenſu dandi & concedendi, ipſis verò Guardiano & Fratribus idem Terræ petium in eventum illius conceſſionis quoad illius uſum & commodum tantùm recipiendi, & dictæ Domui Regulari uniendi, annectendi & incorporandi licentiam Auctoritate Noſtra concedas, eiſque deſuper indulgeas. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ, Domûſque, & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Per præſentes autem non intendimus dictum Juſpatronatus approbare. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Octobris MDCXXV. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 29.

Domum ſuppreſſæ Congregationis Minorum Conventualium in Loco Squinzani cum omnibus juribus, Fratrum uſui relinqui jubet.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs fel. record. Sixto Papæ V. Prædeceſſori Noſtro pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum Sancti Franciſci expoſito, quod ipſi ſtrictiorem vitam agere, & ſe reformare cœperant, aliquoſque Conventus acquiſierant, & in iis ſub obedientia Protectoris & Superioris Ordinis hujuſmodi vivebant: Idem Sixtus Prædeceſſor, ne ipſos Fratres Reformatos, eorumque Congregationem ſuper Reformatione hujuſmodi inquietari contingeret, ſupplicationibus eorumdem Fratrum Reformatorum nomine ſibi humiliter porrectis inclinatus, Reformationem prædictam ubique locorum cœptam & introductam, & ex tunc in dies introducendam, ac pro ea & illius felici directione facta ſtatuta, & ordinationes, cum inde ſecutis quibuſcunque, Apoſtolica Authoritate perpetuò approbavit, & confirmavit. Noviſſimè autem per Nos accepto, ex Congregatione Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, non eos in Eccleſiam Dei ſpirituales fructus, qui ſperabantur, prodiiſſe, ſed perplures differentias inter

inter eoſdem Fratres Reformatos, & Fratres Conventuales non Reformatos ortas eſſe, & pariter oriri. Nos præmiſſis obviare, ac aliàs deſuper opportunè providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ex præmiſſis, aliiſque juſtis, & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus Congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, omnia & quæcunque illius officia & miniſteria, nec non Domos & Loca Regularia quæcunque, & in quibuſvis Provinciis exiſtentia, & ad eos ſpectantia, ac ſtatuta & conſuetudines, & decreta, nec non privilegia & indulta tam ſpecialia, quàm generalia, perpetuò ſuppreſſimus, & extinximus, ac ab eiſdem Fratribus Conventualibus Reformatis, Domos, Conventus, & Loca, ac bona mobilia & immobilia, & ſe moventia, ubique gentium conſtituta, ſacram quoque & communem ſupellectilem, ipſorumque omnium uſum, uſufructum, adminiſtrationem, & poſſeſſionem ſpiritualem, & temporalem, nec non jus, & actionem eis quomodolibet competentia abſtulimus, & ablata eſſe, & cenſeri voluimus: nec non Domos, Conventus, Loca, ſupellectilem, bona, res, actiones, & jura prædicta, eorumque proprietatem Ordini Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum certis modo & forma tunc expreſſis conceſſimus, & aſſignavimus, aliaque fecimus, ſtatuimus, & ordinavimus, prout in dicti Sixti Prædeceſſoris ſub plumbo, & noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

Cum autem, ſicut accepimus, Dilecti Filii Fratres Minores Ordinis ejuſdem S. Franciſci Capucini nuncupati pro ſuis uſu, & habitatione, Domo Regulari ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi Loci Squinzani Licien. Dioec. maximè indigeant, & Dilectus etiam Filius Miniſter Generalis eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, ut Domus Regularis prædicta eiſdem Fratribus Capucinis concedatur, expreſsè conſenſerit. Nos ad eximios atque multiplices fructus, quos ipſi Fratres Capucini ardenti Religionis zelo, & ſpectatâ in toto Orbe Regularis diſciplinæ obſervantiâ, ac jugi ſpiritualium operum exercitio in Vinea Domini afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, dignum, quin potius debitum reputavimus, eorumdem Fratrum Capucinorum neceſſitatibus aliqua in parte conſulere. Itaque eoſdem Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Fraternitati Tuæ, per præſentes committimus & mandamus, ut attento conſenſu prædicto, Domum Regularem ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi dicti Loci cum omnibus & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis univerſis Fratribus Capucinis prædictis, quos Procurator Generalis ejuſdem Ordinis ad hoc deputandos duxerit, Authoritate noſtra concedas, & aſſignes, inducens eos dicta Authoritate per Te vel alium, ſeu alios in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Domûs Regularis, ac jurium & pertinentiarum ſuarum hujuſmodi, contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque juris, & facti opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus literis Noſtris prædictis, ac quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis quibus omnibus & ſingulis; illorum omnium tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diœceſis ſub Annulo Piſcatoris die xx. Novembris MDCXXVI. Pontificatus noſtri anno quarto.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſe, & anno præd. fol. 33.

N O T A.

Erectionem novæ Domûs in hoc loco RR. PP. Obſervantibus Reformatis molientibus, fuit id prohibitum per ſubnexas litteras.

A tergo: *Rev. Domino Vicario Capitulari Hydrunti.*

Rev. Domine. Eminentiſſimi Domini mei auditis iis, quæ per litteras ſub 29. elapſi circa præjudicium, Capucinorum Conventui S. Eliæ Caſalis Squinzani Diœc. Licien. acceſſurum à Monaſterio, quod FF. Obſervan.

ſervantes Reformati haud procul ædificare intendunt, mihi intimandum commiſère, quatenus ſub pœnis, quas convenientes judicaverit, dictis FF. Reformatis præcipiat, ut à memorata fundatione penitus abſtineant; & ſi quid aliud occurreret, EE. Dominis, qui vigore præſentium omnem ad hoc neceſſariam auctoritatem impertiuntur, ſignificabit. Maneat ſanus. Romæ 11. Julii 1633.

Ad placitum.
Cardinalis S. Onuph.

A. Torniellus.

Exemp. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Hydruntina.

Terrenum ad Menſam Epiſcopalem Alexanen. pertinens, pro horto novæ Domûs Fratrum ibidem alienari concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Jacobus à Caſtellaneta, Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Hydruntin., quod multi Civitatis Alexanen. Incolæ ſitum pro fundanda inibi una ipſius Ordinis Regulari Domo, accedente etiam ad hoc Ven. Fratris Epiſcopi Alexanen. conſenſu, conceſſerunt, jamque Domûs hujuſmodi fundamenta jacta ſunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, hortus ſufficiens juxta ipſius Domûs neceſſitatem non adſit, & ad hoc, ut fieri poſſit, certa quantitas terreni ad menſam Epiſcopalem Alexanen. ſpectantis, valoris in proprietate vigintiquinque ſcutorum monetæ neceſſaria ſit, Nobis propterea dictus Jacobus humiliter ſupplicari fecit, quatenus deſuper, ut infra, opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictæ Domûs neceſſitatibus in præmiſſis proſpicere, ipſumque Jacobum ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Epiſcopo, quod ſolutis vigintiquinque ſcutis prædictis, quantitatem terreni hujuſmodi dicto Jacobo ad effectum præmiſſum concedere, liberè & licitè valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ Alexanen. etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod vigintiquinque ſcuta prædicta penes ædem ſacram, ſeu Mercatorem fide & facultatibus idoneum deponantur, nec inde, niſi ad effectum illa in utilitatem menſæ Epiſcopalis prædictæ inveſtiendi, amoveri poſſint.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Octobris MDCXXVIII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secretariæ Brev. Apoſtolicorum menſ. & anni præd. fol. 106.

Aliud Terrenum ad eandem Menſam Epiſcopalem ſpectans pro Horto in beneficium ejuſdem Domûs Fratrum permutari committit.

Venerabili Fratri Epiſcopo Alexanen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Hydruntinæ, quod, cum una Domus Regularis dicti Ordinis in Civitate Alexanen. prope quoddam Territorium Menſæ Epiſcopalis Alexanen. conſtrui cepta, parſque ejuſdem Territorii dictæ Domui valde neceſſaria ſit, ipſe quemdam hortum muris cinctum ad dictam Domum ſpectantem, & juxta æſtimationem de illo à perſonis practicis factam valoris in proprietate centum & decem, annui verò reditûs ſex ducatorum auri de Camera, pro Territorio hujuſmodi, quod apertum ac ſeminatorium, triumque Tumulatarum Terræ menſuræ iſtarum partium, valoris autem in proprietate juxta æſtimationem ab eiſdem perſonis etiam factam nonaginta ducatorum ſimilium exiſtit, &, ut aſſe-

aſſerunt, fertili cum infertili computato quinque ducatos ſimiles annuatim reddere poteſt, permutare ſummopere deſiderat, Tuque ad id &c. paratus exiſtis, ſi noſtra Tibi, illiſque in præmiſſis ſuffragetur licentia & facultas: Quare dictus Provincialis Miniſter Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſtante neceſſitate dictæ Domûs, Menſæque Epiſcopalis prædictæ utilitate, licentiam hujuſmodi concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Te, & dictum Miniſtrum Provincialem à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, ac eidem Miniſtro Provinciali, quod Territorium & hortum hujuſmodi ad invicem pro Menſa Epiſcopali ac Domo prædictis reſpectivè permutare, deſuperque Inſtrumentum ſeu Inſtrumenta neceſſaria & opportuna celebrare, ſeu celebrari facere, liberè & licitè poſſitis, & valeatis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus & impertimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli PP.II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiæ & Ordinis prædictorum, etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIV. Martii MDCXXIX. Pontificatus noſtri anno ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſt. Arch. Secret. Brevium Apoſtolic. menſ. & anno prædict. fol. 74.

N O T A.

IN Eccleſia hujus Domûs Cappellam à D. Laura ab Ajello cum omni apparatu perfici, petitum & conceſſum eſt, ut ſequitur.

BEATISSIME PATER.

Domna Laura ab Ajello D. Fabritii Guarini, Civitatis Alexanæ Domini & Patroni Conjux, Sanctitati Veſtræ humillimè ſupplicat, quatenus Votum de Capella in campo, à dicta Civitate milliario incirca diſſito, amplianda factum, in aliud majoris utilitatis opus, videlicet ad Capellam in Eccleſia Capucinorum, quæ defacto conſtruitur, perficiendam, & cum omni apparatu terminandam commutare dignetur, cum dicti Patres ſummopere hoc ſubſidio indigeant &c.

Die 23. Decemb. 1631. Sanctiſſimus Dominus noſter petitioni ſuperius expoſitæ benignè annuit.

R. Card. Ubaldinus.

Franc. Paulut. Secret.

Exemplar in Arch. Generali Ord. Armario Provincia Hydruntina.

E P I S T O L A.

Sac. Congregat. Epiſc. & Regular.

Epiſcopo Ugentinenſi Conventum Ruffani, ante Decretum Innocentii XI. *de parvis Conventibus* erectum, ſub prætextu, quod 12. Fratres in eo non degant, viſitare inhibetur.

M. Illuſtris ac Reverende Domine uti Frater.

CUm S. Congregationi pro parte Provincialis & Deffinitorum F. F. Capucinorum Provinciæ Hydruntinæ fuerit expoſitum, quod Ampl. Tua Conventum Terræ Ruffani ſuæ Diœc. viſitare, & ſuæ juriſdictioni ſubdere prætendat, ſub prætextu, quod juxta Sanctiſſimi Domini Noſtri Decretum 12. Fratres ibi non habitent; Illuſtriſſimi Domini mei mihi ordinârunt, ut Eidem ſcriberem, quod, ſi Conventus ſit canonicè erectus, & in eo Capucini multis annis ante prædicti Decreti publicationem habitare cœperint, à prætenſa viſitatione, omnique alio actu, privilegiis & exemptionibus dictorum Fratrum præjudicante, abſtinere debeat, cum hoc licitum duntaxat foret, ſi poſt memorati Decreti publicationem Conventus fuiſſet erectus.

Conformet ſe proin ſenſibus Illuſtriſſimorum Dominorum meorum, & Deus eam præſervet. Romæ 28. Sep. 1629.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater.

Fr. Ant. Card. S. Onuphrii.

P. Fagnanus.

Exempl. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Hydruntina.

Con-

Concordiam ratione horti Conventûs Civitatis Brunduſii inter Cives & D. Archidiaconum confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Guardiani & Fratrum Domûs Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Civitatis Brunduſii Nobis expoſitum fuit, quod aliàs ipſis quidam hortus dictæ Domui contiguus, quo indigebant, donatus fuit, ipſique poſſeſſionem horti hujuſmodi adepti fuerunt. Subinde verò, quia compertum erat directum dominium dicti horti, ſeu ſuper eo aliquod aliud forſan jus ad Archidiaconatum Eccleſiæ Brunduſii ſpectare, & dilectus Filius ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus donationi hujuſmodi non conſenſerat, & propterea poſſeſſionem dicti horti ad ſe avocare prætendebat, dilecti Filii Communitas, & Homines dictæ Civitatis ad concordiam cum dicto Archidiacono devenerunt, per quâm ipſi eidem Archidiacono, ejuſque Succeſſoribus dictum Archidiaconatum pro tempore obtenturis octo Ducatos ſingulis annis pro prætenſo jure, ſeu dominio ſolvere promiſerunt, prout in Inſtrumento Concordiæ hujuſmodi deſuper celebrato pleniùs dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Exponentes præfati Concordiam hujuſmodi, pro illius validitate, & ſubſiſtentia Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri ſummopere deſiderent. Nos illos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Concordiam prædictam, & prout illam concernunt, omnia, & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, licita tamen, & honeſta, authoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos, tam juris quàm facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes Concordiam hujuſmodi, nec non præſentes literas validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, & ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari. Sicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi quid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictæque Eccleſiæ Brunduſin. etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Octobris MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 75.

Hortum Domûs Civitatis Licienſis annuo canone gravatum liberari, & onus ad alium fundum transferri, Epiſcopo &c. committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Licienſi, ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus, & Fratres Domûs Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Civitatis Licien., quod aliàs eis à Dilecto Filio Flaminio Proto, Licien., ſeu alterius Diœceſis, quidam hortus dictæ Domui contiguus eiſdem Fratribus neceſſarius donatus fuit, ipſique illius poſſeſſionem adepti ſunt. Verùm, quia hortus hujuſmodi quodam cenſu annuo, ſeu onere, propter quem, ſeu quod, unus Ducatus annuus Abbati pro tempore exiſtenti Eccleſiæ Sanctæ Mariæ *dell' Alto* nuncupatæ Licien. Diœceſis debetur, gravatus exiſtit; Nobis propterea Exponentes prædicti humiliter ſupplicati fecerunt, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, ut dictum hortum à cenſu, ſeu onere hujuſmodi, dummodo expreſſus

ſus ad id Abbatis præſentis accedat aſſenſus, authoritate noſtra Apoſtolica, vel totaliter liberes, vel ipſum cenſum, ſeu onus hujuſmodi in alium fundum annui redditûs, ſaltem unius Ducati ſimilis, eadem authoritate transferas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Aunulo Piſcatoris Die x. Octobris MDCXXIX. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secr. Brev. Apoſt. menſ. & anno præd. fol. 120.

DECRETO

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Eccleſia B. V. Mariæ Incoronatæ extra muros Civitatis Nerithonenſis ſita Fratribus pro Habitatione ſeu Conventu conceditur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Communitas Civitatis Nerithonenſis E.E. V.V. humillimè ſupplicat pro facultate concedendi PP. Capucinis Eccleſiam cum habitatione B. V. Mariæ Incoronatæ extra dictæ Civitatis muros ſituatam, & de jurepatronatûs ejuſdem Communitatis, quæ eam ædificari fecit, exiſtentem. Quam &c.

Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpoſita ſtante relatione Epiſcopi Nerithonenſis, atque audito Procuratore Generali Ordinis hujuſmodi benignè annuit, ut Eccleſia unà cum ædibus ibi annexis aſſignari poſſit Fratribus Capucinis dicti Ordinis pro eorum Conventu, dummodo ibidem perpetuò ſaltem 12. *Fratrum numerus manuteneatur, ac ſervatâ in reliquis formâ Decreti Sanctiſſimi Domini Noſtri ultimo loco editi, nec non fel. rec. Clem. VIII. ac Greg. XV. ſuper novorum Conventuum erectione editorum. Romæ die* 28. *Mart.* 1630.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

P. Fagnanus Secret.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. Tom. III.

Theſaurum in loco Rudiarum cum Fratrum moleſtiis perquiri, aut, ut perquiratur, permitti ſub cenſuris prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, ſicut dilectus Filius modernus Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Hydruntinæ, Nobis nuper exponi fecit, publica fama volet in loco de Rugge, in quo una Domus Fratrum ejuſdem Ordinis fundata reperitur, Theſaurum abſconditum eſſe, ad quem perquirendum multi diverſis temporibus concurrerunt, & perquiri mandârunt maxima cum dictorum Fratrum inquietitudine. Nobis propterea dictus Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eorumdem Fratrum quieti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere, dictumque Provincialem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, Ne de cætero quiſquam quâvis auctoritate fungens Theſaurum prædictum perquirere, ſive, ut perquiratur, permittere quovis prætextu aut quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, vel occaſione audeat, ſeu præſumat ſub excommunicationis, & quoad Regulares perſonas etiam privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis reſpectivè per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium interdicimus, & prohibemus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Domûs, & Ordinis hujuſmodi, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in Valvis dictæ Domûs, aut aliquo alio loco, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Auguſti MDCXXXIV. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

M. A Maraldus.

Ex Archivo Vaticano Secreto.

Cenſum annuum & redimibilem ſuper bonis Communitatis Brunduſinæ Debitricis, in favorem Monaſterii Monialium ibidem Creditoris imponi concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Brunduſin.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectarum in Chriſto Filiarum Monaſterii Monialium Capucinarum nuncupatarum, Brunduſin. Nobis expoſitum, fuit, quod, cum dictum Monaſterium Communitatis Civitatis Brunduſin. pro tot fructibus decurſis & non ſolutis quorumdam cenſuum ſuper dictæ Communitatis bonis impoſitorum in ſumma quingentorum ſcutorum monetæ Regni creditor exiſtat, dictaque Communitas ſummam prædictam dicto Monaſterio ad præſens ſolvere non poſſit, propterea dicta Communitas alium cenſum annuum & redimibilem pro dicta ſumma ſuper Communitatis prædictæ bonis ſtabilibus, pecunia numerata juxta Conſtitutionem fel.rec. Pii PP.V. Prædeceſſoris noſtri deſuper editam non interveniente, ad favorem dicti Monaſterii imponere poſſe ſummopere deſiderat: Quare Nobis pro parte dictarum Exponentium humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictas Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de vero credito prædicto eidem Communitati & Hominibus, quod ipſi unum alium cenſum annuum & redimibilem uſque ad ſummam quingentorum ducatorum prædictorum in ſorte principali aſcendentem ſuper dictæ Communitatis bonis ſtabilibus, etiamſi pecunia numerata juxta dictam Conſtitutionem non interveniat, ſervatâ in reliquis in omnibus, & per omnia dictæ Conſtitutionis formâ, ad favorem dicti Monaſterii pro credito prædicto imponere, & vendere liberè, & licitè poſſint, & valeant, Auctoritate Apoſtolica arbitrio tuo concedas. Non obſtantibus prædicta Conſtitutione Pii PP.V. Prædeceſſoris, aliiſq; Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus &c. innovatis. Quibus &c. derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die x. Januarii MDCXXXV. Pontificatûs noſtri Anno duodecimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 202.

N O T A.

REi Oeconomicæ hujus Monaſterii ut in æquitate & providentia conſuleretur, fuit abuſus de Dotibus Novitiarum per ſubnexas Litteras interdictus;

Illuſtris & Reverende Domine, uti Frater.

Auditâ in S. Congregatione Amplit. Tuæ relatione circa inconvenientia, in Monaſterio Capucinarum ex eo enaſcentia, quod Dotes Novitiarum realiter & effectivè non deponantur, imò ab illarum Parentibus fiant contractus cenſuales, quorum fructus nunquam ſolvuntur, Emin. Dñi mei Amplit. Tuæ à me ſcribi juſſerunt, ut Decreta Generalia obſervari curet, & Novitias non admittat, Dote reali priùs inter manus Perſonæ ſecuræ integrè non depoſitâ. Romæ 13. Jan. 1645.

Ex Regeſto Secret. Congreg. Epiſc. &c. menſ., & anni præd.

Alia de hoc Monaſterio vide ſupra fol. 122.

Fr. Bonaventuram ab Alexano cum ſociis Miſſionariis Alvaro Regi Congi commendat.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio Alvaro Regi Congi Illuſtri.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PRæclaro pietatis exemplo & inſigni zelo, quo animum ad divini Nominis gloriam promovendam maximè intenſum oſtendit Majeſtas tua, Paternam benevolentiam noſtram ſibi plurimùm obſtrinxit, & ingentem apud veros Romanæ Eccleſiæ filios ſolidæ virtutis comparavit gloriam, idcirco aſſidua pro tua incolumitate Deo vota nuncupamus, qui dat ſalutem Regibus, atque ab illo enixè petimus, ut Te immortali ſuo præſidio tueatur, & conatibus, quos ad propagandam Catholicam Fidem continenter adhibes, propitium, atque obſecundantem Te præbeat. Nunc autem, ut re ipſa teſtatum ſit, quantùm de Majeſtatis Tuæ, atque univerſali illius Regni bonis ſolliciti ſimus, iſtuc mittimus dilectum Filium Religioſum Bonaventuram de Alexano, ac tres alios ejuſdem ſocios, qui in Capucinorum Cœnobiis virtutes quæſiverunt Deo gratas, & hominibus ſalutares: Illos non terrent Regionum longinquitas, ſeu viarum diſcrimina, quin ad Vos ſe conferant, non alium laborum ſuorum fructum expectantes, quàm, ut Divino Cultui famulentur, & Populos ſibi ſubjectos in viam mandatorum dirigant eiſque tum prædicatione, tum Sacramentorum uſu preſtò ſint. Idcirco, majorem in modum adpetimus, ut eos in Patrocinium ac tutelam recipias, nihilque deſiderare patiaris, quod ipſorum muneri uſui futurum cognoveris, ut ſcilicet Regia tua auctoritate communiti liberè & abſque alio impedimento Sacerdotalibus functionibus operam dare poſſint, ad quas obeundas eiſdem varias ſpirituales conceſſimus facultates, quibus animarum conſolationi, ac neceſſitatibus ſuffragentur. Sanè, ſi tuam beneficentiam atque humanitatem experti fuerint, dubitandum Tibi non eſt, ejus meriti maximum ab Altiſſimo bonorum omnium Auctore præmium referas, in cujus adjutorio Te habitare, & in illius protectione commorari cupientes Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ die XVI. Julii MDCXL. Pontificatûs noſtri Anno decimoſeptimo.

Julius Roſpiglioſus.

Ex Regeſto Autographo Secret. Brevium ad Principes *fol.* 186.

N O T A.

SCribitur quidem P. Bonaventura prælibatus ab Alexano, ceu loco notiore, natales tamen habuit in loco Caſtriniani, ab Alexano parum diſſito, ex nobili Terſinorum Sanguine. Mundi voluptates impolluto calle Juvenis tranſivit, & albo Capucinorum inſcriptus rudimenta Vitæ Regularis, virtute & ſtudio conſtanter excoluit, dignumque inde ſe effecit, ut Miſſionarius Apoſtolicus ad plagas Orientis ablegaretur. Spei de ipſius zelo conceptæ felix correſpondit fructus, cum primùm Thraciæ terras ſemine divinæ doctrinæ fœcundârit, & poſtmodum Miſſionis Congenſis Præfectus Decreto S. Congregationis *tomo ſecundo fol.* 76. videndo fuerit conſtitutus. Diutius in hoc Regno in extirpanda genticarum ſuperſtitionum abominatione laboravit, & dum corpus ſuum ſummâ inediâ maceravit, ſæpius modico pane contentus, & aliquoties per integros dies penitus jejunus, alios econtra pane Evangelii indefeſſus pavit, dumque facies, pallore jejunii obducta illum nuntiavit Virum tenacem & auſterum, hilaris converſatio eum reddidit omnibus, etiam ipſis idololatris, dilectum. Inter alios Hollandum & ſectâ & conditione inſignem ad Fidem Chriſti ibi perduxit, & Apoſtolico juſſu ad Abyſſinos ſecedens in Inſula, vel Civitate S. Salvatoris ſpolia mortalitatis anno 1651, reliquit.

Habuit Fratrem Uterinum, Gregorium nomine, qui cum ipſo & Sacrum Habitum induit, pari zelo in Regno Congi animas quæſivit, & poſt labores Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Dei, ut piè credere eſt, accepit.

De P. Bonaventura redibit memoria in Tomo, qui Miſſiones Orientis extendet.

Reſiduum Legati Pii fabricæ & Sacriſtiæ Domûs Tarentinæ relicti in neceſſitates Provinciæ erogari indulget.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarentin.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilectus Filius Miniſter Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Provinciæ Hydruntinæ, Nobis nuper exponi fecit, quingenta ſcuta Domui Regulari eorumdem Fratrum Tarentin. in illius fabricam & Sacriſtiæ neceſſitates expendenda relicta fuerint, dicta verò Domus Regularis ad præmiſſos effectus modica pecuniarum hujuſmodi ſumma indigeat, permultis autem diverſi ejuſdem Provinciæ Conventus, dicti Ordinis, terræ premantur anguſtiis, quibus provideri nequit; Nobis proptera dictus Miniſter Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut eorumdem Conventuum neceſſitates hujuſmodi aliqua in parte ſublevare de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Miniſtrum Provincialem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus conſtito Tibi de præmiſſis, eidem Miniſtro Provinciali, quod ipſe de conſenſu Diffinitorii dictæ Provinciæ, ac, poſtquam fabricæ & Sacriſtiæ dictæ Domûs Regularis neceſſitati ex pecuniis legati hujuſmodi abunde fuerit ſatisfactum, illarum reſiduo in alias Conventuum dictæ Provinciæ neceſſitates uti, illiſque providere liberè & licitè poſſit, & valeat, auctoritate noſtra Apoſtolica licentiam concedas. Non obſtan., quatenus opus ſit, fel. record. Pauli PP.II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac eorum, qui pecunias hujuſmodi legaverunt, voluntatibus, quas in-& quoad præmiſſa ſufficienter commutamus, nec non Ordinis & Provinciæ hujuſmodi, dictæquæ Domûs Regularis, & aliorum Conventuum prædictorum, etiam &c. Conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcat. die VIII. Junii MDCXLI. Pontif. noſtri Anno decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brev. Apoſt. regeſto menſ. & anni prædictorum fol. 1.

Manuſcripta Fr. Laurentii à Matera, ex hujus Loci Bibliotheca extrahi, ſub cenſura & pœna prohibet.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut Dilectus Filius Laurentius à Matera Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſor, & Verbi Dei Prædicator, Nobis nuper exponi fecit: ipſe non ſine magnis ſtudio & labore multa compoſuit, ac tractatus ſcripſit, illaque conſervari, & manuteneri poſſe ſummopere deſiderat. Nos dictum Laurentium ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excomunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Ne de cœtero quiſquam, quavis auctoritate fungens, compoſitiones, & tractatus, aliaque per eumdem Laurentium ſcripta & facta in Bibliotheca Domûs Regularis eorumdem Fratrum Minorum Capucinorum Civitatis Materæ exiſtentia, è Bibliotheca hujuſmodi quovis prætextu, cauſa, ratione, ingenio, colore, aut occaſione extrahere, ſeu aſportare, aut, ut extrahantur, ſeu aſportentur, permittere, quoquomodo audeat, ſeu præſumat ſub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis ipſo facto per contrafacientes incurrendis, authoritate Noſtra Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, &, quatenus opus ſit, Domûs, & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Bibliothecæ, aut aliquo alio loco perſpicuo, ut ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Maii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 175.

NO-

N O T A.

NUmerant Annales hujus Provinciæ Fr. Laurentium inter Viros illuſtres, eumque Nobilitate, Virtute, & doctrina præſtantem Religioſum commendant. Sprevit magnanimè, quæ claritas ortûs ei exhibuit, mundanæ felicitatis decora, & inter Nos virtute ita adolevit, ut Magiſtratus Provinciæ ei fuerit collatus. Inter negotia Fratrum Sacrarum Litterarum Studium non dimiſit, & præter Scripta ſuperius memorata, Librum edidit, *Aurifodina* vocatum, inſigne doctrinæ ſuæ monumentum.

De Libris mille & ſexcentis à Federico Termularum Epiſcopo Bibliothecæ Domûs S. Petri in Galatina legatis inutiles vendi Syndico committit, conditione donationis non obſtante.

A tergo: *Dilecto Filio Syndico ad hunc effectum eligendo.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilecti Filii Miniſtri Provincialis, Provinciæ Hydruntinæ, Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quòd aliàs bonæ memoriæ Federicus, dum vixit, Epiſcopus Termularum in ſuo ultimo, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, teſtamento, eiſdem Fratribus Capucinis Conventûs S. Petri in Galatina nuncupati mille & ſexcentos Libros legavit, eâ tamen lege, ut nec iidem dicti Conventûs Fratres, nec eorum Superiores, nec alia quævis Perſona, ſub quovis prætextu, vel cauſa, ne unum quidem ex libris hujuſmodi, etiam minimum ex eodem Conventu extrahere poſſint, ſub amiſſionis usûs eorumdem Librorum pœna &c.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ex Libris hujuſmodi permulti de litteris Græcis, de juriſprudentia tractantes, nec non alii extant, quibus ipſi Fratres Capucini numquam uſi ſunt, nec utentur, qui que tempore procedente à tineis & carie nihilominus conſumuntur. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit idem Miniſter Provincialis, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eundem Exponentem ſpecialibus &c. abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi per præſentes committimus & mandamus, ut eos ex Medicinæ, Legum, & aliis prædictis Libris dicto Conventui, ut præfertur, relictis, qui non ſunt, nec erunt eiſdem Fratribus Capucinis neceſſarii, quibuſvis Perſonis meliorem conditionem offerentibus, Auctoritate noſtra Apoſtolica vendas, & pretium inde redigendum in tot aliorum librorum, ejuſdem dicti Conventûs Fratribus Capucinis neceſſariorum, & quibus illi indigere poſſunt, emptionem convertas. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Decemb. MDCXLV. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſt. Regeſto menſis Jan. anni 1646. fol. 5.

N O T A.

BEnefactorem, ut clariùs, Lector, noſcas, illum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Federicum Metium fuiſſe in memoria gratitudinis tene. Claruit ille primò inter Julii Cardinalis Santorii Domeſticos, doctrinâ & bonitate vitæ præſtans. Pluries commendatur à Baronio, præcipuè ad annum 1116. num. 7. & ad annum 1178. num. 15. huicque interpres adfuit, & ad Latinam linguam traduxit, quæ Græcè Baronio occurrebant. Memoratur & à Voſſio de Hiſtoricis Latinis. Fuit ad Epiſcopatum Termularum promotus anno 1602. & fato functus anno 1612.

A Monialibus Civitatis Caſtroniti ſeu *Caſtellanetæ* partem primæ earum Domûs vendi, & pretium in novæ fabricæ uſum converti indulget.

A tergo: *Ven. Fratri Epiſcopo Caſtellaneten. ac Dilecto Filio Archidiacono Eccleſiæ Caſtellaneten.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Ven. Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Abbatiſſæ & Monialium Capucinarum nuncupatarum Monaſterii S. Mariæ Refugii nuncupati, Civitatis Caſtellaneten. Nobis expoſitum fuit, quod ipſæ annis ſuperioribus, antequam Monaſterium prædictum, quod prius Conſervatorium Puellarum ſeu Virginum erat, clauſtrale foret, coactæ fuerunt è prima earum habitatione, in qua omnes ob äeris inclementiam adversâ valetudine utebantur, diſcedere, aliumque ſitum ſalubriorem, in quo ad præſens degunt, ſibi eligere.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, eidem Monaſterio in fabricis neceſſariis impenſa ducatorum centum & quinquaginta monetæ Regni Neapolis ad præſens neceſſaria ſit, illamque ipſæ Exponentes nulla alia utiliori ratione facere poſſint, quàm ex unius partis earum primæ Domûs & habitationis, valoris in proprietate centum & quinquaginta ducatorum ſimilium conſtituentium ſummam nonaginta circiter, annuæ verò penſionis quatuor ducatorum auri de camera ad effectum præmiſſum venditione. Nobis propterea eædem Abbatiſſa & Moniales humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi de opportuna in præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eaſdem Abbatiſſam & Moniales ſpecialibus &c. volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ac Diſcretioni Tuæ, Fili Archidiacone, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac præmiſſis omnibus & ſingulis, illorumque circumſtantiis univerſis prius coram Vobis ſpecificatis, de venditione & pretii converſione hujuſmodi, quodque illæ, ſi fiant, in evidentem dicti Monaſterii ceſſuræ ſint utilitatem, Vobis conjunctim procedentibus legitimè conſtiterit, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, eiſdem Abbatiſſæ & Monialibus venditionem, & pretii converſionem hujuſmodi, ut ſupra, faciendi licentiam, auctoritate Noſtra Apoſtolica concedatis. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd pecuniæ ex venditione hujuſmodi provenientes unico contextu in rem, ut ſupra, expreſſam omnino convertantur, vel ſaltem penes Montem Pietatis, vel Perſonam fide & facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendæ, niſi ad effectum illas convertendi, ut petitur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Januarii MDCLI. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſt. Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 67.

Duabus duntaxat Monialibus ob ætatem 40. annorum ad Officium Abbatiſſæ in prædicto Monaſterio concurrere valentibus, & nullâ aliarum Monialium hiſce duabus votum ſuum dare volente, Moniales 35. annorum in Abbatiſſas eligi poſſe, ad Sexennium diſpenſat.

Venerabili Fratri Epiſcopo Caſtellaneten.

INNOCENTIUS PAPA X.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilectarum in Chriſto Filiarum Monialium Ordinis S. Franciſci Capucinarum nuncupatarum Monaſterii S. Mariæ de Refugio dicti Caſtellaneten. Nobis expoſitum fuit, quod, cum de Menſe Auguſti proximè præteriti de eligenda nova dicti Monaſterii Abbatiſſa ageretur, nulla ex eiſdem Exponentibus in alterutram ex duabus ejuſdem Monaſterii Monialibus, quæ ſolæ inter Moniales dicti Monaſterii quadraginta annis in eligenda in Abbatiſſam Requiſitis non minores exiſtunt, votum ſuum dirigere voluit propter utriuſque illarum inexperientiam, ac exiguam ad ſpirituale, & temporale præfati Monaſterii regimen aptitudinem; quibus attentis eædem Exponentes aliis exemplis

plis edoctæ rationabiliter verentur, ne alterutrius ex iiſdem duabus Monialibus directio ſibi in Spiritualibus parum proficua, in temporalibus verò diſpendioſa futura ſit.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictæ Exponentes, quo Scandalis, & inconvenientibus, quæ præmiſſorum occaſione oriri poſſent, obviam eatur, ac dicti Monaſterii Abbatiſſâ deſtituti neceſſitatibus conſulatur, ipſæque Exponentes quiete ſpirituali frui, & ſub Abbatiſſæ ad earum regimen aptæ directione ſpiritualia exercitia frequentare valeant, aliis ejuſdem Monaſterii Monialibus quadraginta annorum ætate minoribus, fervore tamen ſpiritûs, ac prudentiâ, & reliqua ad regendum Monaſterium hujuſmodi requiſita aptitudine præditis, de opportuna ad Abbatiſſatum Monaſterii hujuſmodi ſuſcipiendum diſpenſatione provideri ſummopere deſiderent. Nos eaſdem Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & earum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, quatenus conſtito Tibi de narratis eiſdem Exponentibus, ut ad ſexennium proximum dumtaxat, & interim, quoties Monaſterium prædictum Abbatiſsâ deſtitutum fuerit, alias quaſcumque ejuſdem Monaſterii Moniales triginta quinque annis non minores, ac cæteris omnibus ad id requiſitis præditas in Abbatiſſas dicti Monaſterii ſucceſſivè ſervatis aliàs ſervandis eligere liberè & licitè poſſint, auctoritate noſtra Apoſtolica arbitrio tuo concedas, ac cum quacumque Moniali dicti Monaſterii ſic, ut præfertur, ſexennio hujuſmodi durante, in Abbatiſſam ejuſdem Monaſterii, eligenda ſi, & quando quinque anni dumtaxat de ætate quadraginta annorum completorum ad Abbatiſſatum requiſita ei deficient, ita, quod eo non obſtante, dummodo nullum aliud Canonicum eis obſtet impedimentum, ipſaque aliàs idonea exiſtat, ſervatis ſervandis officium Abbatiſſatûs dicti Monaſterii ſibi alias canonicè delatum ſuſcipere, & exercere etiam liberè, & licitè valeat, authoritate & arbitrio præfatis diſpenſes. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dictorum Ordinis & Monaſterii hujuſmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetutinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die..... Septembris MDCLIV. Pontificatus Noſtri Anno undecimo.

G. Gualterius.

Ex Archivo Vaticano Secreto.

DECRETO.

S. Rit. Congreg.

In Cauſa Proceſſionis S. Antonii inter PP. Reformatos & Fratres noſtros Civitatis Caſtroniti vertente, per alteros eam in die Feſtivitatis S. Antonii, & per alteros Dominicâ infra octavam fieri, & primos in poſſeſſione faciendi dictam Proceſſionem, manuteneri mandatur.

SAcra Rit. Congregatio ad componendas controverſias ortas inter Fratres Strictioris obſervantiæ Reformatorum Ordinis S. Franciſci Civitatis Caſtroniti ex una, & Fratres Capucinos ejuſdem loci, Partibus ex altera, ſuper jure faciendi ſolemnem Proceſſionem S. Antonii de Padua, eodem die feſto ejuſdem, & deferendi illius Simulachrum in eorum Habitu, utraque parte hinc inde informante, cenſuit Proceſſionem eſſe faciendam per alteros in die Feſtivitatis, & per alteros in Dominica infra octavam, & primos in poſſeſſione faciendi dictam Proceſſionem eſſe manutenendos; & ita declaravit, & ſervari mandavit. Romæ hac die 17. Junii 1673.

NOTA.

STante hujuſmodi Decreto RR. PP. Reformati non amplius diem Proceſſionis turbabant, ſed econtra Habitum Capucinum, quo Statua D. Antonii tecta in Proceſſione &c. circumferebatur, impetebant, ita ut Fratres denuo ad S. Rit. Congregationem recurrere oportuerit Libello ſupplici ſequente.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Fratres Capucini Civitatis Caſtroniti ſeu Caſtellanetæ EE. VV. humillimè exponunt, qualiter ab anno 1636. à tota Civitate in Protectorem fuit electus glorioſus & Sanctus Antonius Patavinus in eorum

rum Eccleſia, de quo & Inſtrumentum publicum fuit confectum, ac poſtea Imago Sancti, Habitu Capucinorum veſtiti in Solemni proceſſione cum utriuſque Cleri interventu, contradicentibus etiam PP. Reformatis, in dicta Civitate degentibus, fuit circumportata, ſicque ſemper poſtea fuit practicatum. Imò cum Civitas anno 1663. aliam dicti Sancti, pariter Capucini, Statuam advehi curâſſet, fuit illa ſine ulla contradictione in eorum Eccleſia collocata & annuatim poſtea in Sancti feſto cum Solemnitate, & populi devotè accurrentis frequentia expoſita.

Jam verò cum eadem Civitas aliam Statuam, priore detritâ, cum ſimili Habitu confici diſpoſuiſſet, in prædicta Eccleſia reponendam, & Syndicus cum Civitatis Electis ad Illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum ſe contuliſſet, rogando, ut Statuam benediceret, & in gloriam ac honorem Sancti Protectoris Proceſſionem indiceret, id permittere renuit, allegando, quod dicti PP. Reformati cum Decreto S. Congregationis in favorem PP. Conventualium Civitatis Neapolitanæ emanato ſeſe oppoſuerint.

Cum autem memoratum Decretum in caſu duntaxat particulari Civitatis Neapolitanæ ad favorem PP. Conventualium fuerit factum, prout aliàs Eadem S. Congregatio decclaravit, & tam unius, quàm alterius Decreti hic exhibetur copia, PP. Reformati Capucinis in eo maximè caſu, in quo à 40 annis ſunt in poſſeſſione, ſe opponere nequeunt. Quapropter humillimè ſupplicant, quatenus EE. VV. Illuſtriſſimo Domino Ordinario præcipere dignentur, ne Oratores in ſua poſſeſſione turbentur. Quod totum &c.

Ad quod Reverendiſſimo D. Epiſcopo Parti contrariæ faventi juſſu S. Congregationis ſcriptum eſt, ut ſequitur:

A tergo. *Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Caſtellanetæ.*

Reverendiſſime Domine uti Frater. Sacra Rit. Congregatio veris exiſtentibus narratis in annexo Exemplari ſupplicis libelli pro parte FF. Capucinorum iſtius Civitatis porrecti, cenſuit poſſe per Amplitudinem Tuam petita Oratoribus concedi, non obſtante Decreto à Fratribus Min. Reformat. ejuſdem Civitatis allegato, per eandem Sacram Congregvtionem emanato die 19. Nov. 1667. pro Civitate Neapolit. ad favorem FF. Min. Conventualium prædictæ Civitatis ſuper Simulachro S. Antonii de Padua, in Habitu Capucinorum nullo modo exponendo, nam eadem S. Congregatio die 21. Julii 1668. declaravit illud emanaſſe, & intelligi pro- & in ſola Metropolitana Civitate Neapolit. Et in Una Burgen. S. Sepulchri die 18. Julii 1654. ſuper delatione Simulachri prædicti Sancti in Proceſſione reſpectu Habitûs Capucinorum, Eadem reſpondit, Habitum hujuſmodi non eſſe vetitum, ideoque permittendum arbitrio Epiſcopi.

Ne gravetur itaque Amplitudo Tua exequi, quod Eidem injungitur, diuque vivat incolumis. Romæ hac die 26. Nov. 1675. Amplit. Tuæ.

Uti Frater

G. Card. Carpineus.

Bernardinus Caſalius S. Rit. Congr. Secret.

Exactâ obedientiâ S. Congregationis juſſa executioni mandavit D. Epiſcopus, ſeu ejus Vicarius Generalis Sententiâ Definitiva ſequente:

In Cauſa & Cauſis in hac Epiſcopali Curia Caſtellaneten. in prima, ſeu alia veriori verten. Inſtantia inter RR. PP. FF. Capucinos ex una, & RR. PP. Fratres ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci Ordinis Minorum Reformatorum Civitatis prædictæ, Partibus ex altera, de- & ſuper quaſi poſſeſſione ipſorum Fratrum Capucinorum exponendi, & expoſitam in eorum Eccleſia tenendi Statuam Sancti Antonii de Padua in Habitu Capucinorum; Necnon de- & ſuper benedictione alterius Statuæ ejuſdem Sancti Antonii ſub eodem Habitu Capucinorum facienda in Cathedrali Eccleſia, & exinde ſolemni Proceſſione, & pompa deferendæ ad ipſorum Fratrum Capucinorum Eccleſiam, ibique publicè exponendæ, & expoſitam tenendæ, & ſub eodem Habitu Capucinorum à Chriſtifidelibus utriuſque ſexûs adorandæ & latius, ut ex actis &c. fuit diffinitivè Decretum, ut infra.

Nos Abbas Carolus Ciminelli V. J. D. Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ Caſtellaneten. Prothonotarius Apoſtolicus, & Vicarius Generalis. Viſo publico Inſtrumento rogato per manus quondam Notarii Franciſci de Renzio ſub die octava Junii 1636. quo conſtitit Magnificum Syndicum Civitatis Caſtellaneten. vigore publici Parlamenti, ac nomine totius Civitatis elegiſſe, & in Protectorem acceptaſſe Divum Antonium de Padua, Proceſs. fol. 22. illiuſque Imaginem in Habitu Capucinorum in Cathedrali Eccleſia benedictam, ſolemni Proceſſione totius Cleri, & RR. PP. Ordinis Prædicatorum, & Confraternitatum cum aſſociatione tunc bo: mem: Epiſcopi Aſcenſii Guerrerii, & pompa totius Populi deferri in Eccleſiam ipſorum Fratrum Capucinorum, & in particulari Cappella exponi feciſſe, ipſoſque Fratres Capucinos in eadem eorum Eccleſia expoſitum tenuiſſe Simulachrum ipſius Sancti in Habitu Capucinorum à Chriſtifidelibus utriuſque ſexus adoratum, Proceſſ. fol. 23. & ſeqq. Viſaque Declaratione Sac. Rit. Congreg. emanata ſub die 26. Auguſti 1675., qua fuit declaratum, non eſſe vetitum dictis Fratribus Capucinis habere Simulachrum Sancti Antonii ſub Capucinorum Habitu, & ad noſtrum arbitrium remiſſum, illud proceſſionaliter poſt illius Benedictionem transferri ad illorum Eccleſiam Proc. fol. 13. Viſiſque reiteratis inſtantiis Mag. Univerſitatis, & prædictorum Fratrum Capucinorum, Proc. fol. 6. & ſeqq., ac Viſis Teſtium depoſitionibus hinc inde formiter examinatorum, Proc. fol. 28. 51. Viſiſque hinc inde in facto, & in jure deductis fol. 55. ad fol. 61. Auditiſque in voce Partibus; viſiſque demùm inſtantia Mag. Univerſitatis Proc. fol. 62. & citatione ad ſententiam Partibus ex adverſo Principalibus perſonaliter exequta ſub die 27. præſentis Menſis Maji, Proc. fol. 62. &c. Viſiſque videndis, & conſideratis de jure conſiderandis, Chriſti nomine repetito, per hanc noſtram definitivam

ſen.

pretii converſionem in ejuſdem Domûs fabricam, ut præfertur, factas Apoſtolicâ Auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui deſuper intervenerint, ſupplemus. Decernentes præſentes litteras validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inviolabiliter obſervari; ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, & etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ in Arce Gandulfi Albanenſis Diœc. ſub Annulo Piſcat. die v. Maii MDCXXXIV. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſtolicorum regeſt. menſis & anni præd. fol. 218.

Novam Domum Loci Brontis ex pretio venditæ antiquæ conſtrui indulget.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Montis Regalis.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte Dilecti Filii Procuratoris & Commiſſarii Generalis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis expoſitum fuit, quòd ad præſens una nova Domus Regularis pro ſervitio Fratrum ejuſdem Ordinis in Terra de Bronte Montis Regalis Diœceſis excitatur, pro qua Domo Regulari perficienda neceſſaria eſt Domûs Regularis antiquæ eorumdem Fratrum Terræ hujuſmodi venditio, ut ex pretio inde redigendo, quantùm pro dictæ Domus Regularis novâ fabricâ opus fuerit, deſumi poſſit: Nobis propterea dictus Exponens humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi de opportuna prædictam Domum Regularem antiquam vendendi licentia, ac aliàs, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eumdem Exponentem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus conſtito Tibi legitimè de præmiſſis, Syndico Domûs Regularis, Fratrum prædictorum, quod ipſe Domum Regularem antiquam prædictam cuivis Perſonæ meliorem conditionem offerenti vendere, & ex pretio inde redigendo, quantum pro dicta nova Domo Regulari perficienda opus fuerit, deſumere, & ad hunc effectum inſumere, nec non Fratribus prædictis, ut ex dicta antiqua Domo Regulari ad eamdem novam Domum Regularem hujuſmodi, in qua jam ad præſens eoſdem Fratres degere aſſeritur, pauca quædam Religioſorum dicti Ordinis Corpora inibi ſepulta transferre, liberè & licitè reſpective poſſint & valeant, licentiam auctoritate noſtra Apoſtolica concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd pecuniæ ex hujuſmodi venditione provenientes unico contextu in prædictam fabricam converti incipiant, vel ſaltem penes Montem Pietatis, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam deponantur, exinde non amovendæ, niſi ad effectum illas, ut petitur, convertendi.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. Martii MDCXL. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 1.

Oſſa Fratrum defunctorum ad Eccleſiam novæ Domûs Loci de Troyna transferri committit.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Meſſanen.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci, Capucini nuncupati, Terræ ſeu loci de Troyna Meſſanen. Diœc. quod ipſi oſſa Fratrum dicti Ordinis, quæ, ut aſſerunt, in Eccleſia fere diruta Domûs per eos derelictæ jacent, ad Eccleſiam novæ Domûs in Terra ſeu loco hujuſmodi, ad quam translati fuerunt, transferre, inibique ſepeliri facere poſſe ſummopere deſiderant, Nobis própterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus eiſdem Exponentibus prædictorum Fratrum oſſa, dummodo tamen illa diſcerni poſſint, & ſine cujuſquam præjudicio, ê primodicta ad ſecundodictam Eccleſiam transferendi, & in ea ſepeliri faciendi, remanente tamen primodicta Eccleſia in ſuo ſtatu, licentiam & facultatem Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas & impartiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domûs & Ordinis prædictorum etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Junii MDCXL. Pontificatus noſtri Anno decimoſeptimo.

M. A. Maraldus.

Ex Autographo reg. Archivi Secret. Brevium Apoſtolicorum menſis & anni prædictorum fol. 1.

EPISTOLA

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

Fratres Prædicationis officio deſtinatos ad examen vocare, Archiepiſcopo Meſſanenſi inhibetur.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine uti Frater.

CUM Sacræ Congregationi à Patre Provinciale iſtius Provinciæ fuerit expoſitum, quod Amplitudo Tua Fratres ſui Ordinis, qui ad prædicandum in iſta Provincia Verbum Dei deſtinantur, examinare prætendat, non obſtante, quod tempore retroacto, nunquam fuerint examinati, Emin. Domini mei Eidem à me ſcribi juſſerunt, quatenus, ſi expoſitum veritate nitatur, & dicti Fratres ſuorum Superiorum Regularium approbationem exhibeant, Eadem nihil novi diſponat, præſertim cum hi ex ſuæ Regulæ indulto confeſſiones, ob quas principaliùs dictum examen requiri videtur, excipere non ſoleant. Quæ eò libentiùs Amplit. Tuam executioni daturam eſſe confido, quatenus ſe S. Congregationis ſenſui conformet. Romæ 10. Januarii 1642.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater Affectuoſiſſimus.

Card. S. Honuphrii.

Ex Reg. Secretariæ Congreg. menſ. & anni præd.

NOTA.

ALiquoties dictum Examen ab Illuſtriſſimis DD. Epiſcopis prætenſum fuiſſe reperio, & in ſpecie potentiùs illi inſiſtebat Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Larinen. anno 1698. dato S. Congregationi Concilii Libello ſupplici, qui ſequitur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Patres.

Epiſcopus Larinen. humillimus famulus Eminentiarum Veſtrarum ſupplicat pro declaratione infraſcripti dubii:

An

An Epiſcopus poſſit examinare quoad doctrinam Concionatores Ordinis Capucinorum in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentes, antequam eiſdem licentiam prædicandi concedat: ad tenorem Bullæ fel. rec. Clementis Papæ X. quæ incipit Superna *§. 3. editæ anno* 1670.; *Et*

An Epiſcopus poſſit compellere ſupradictos Capucinos Concionatores ad emittendam Fidei profeſſionem, antequam prædicationis munus incipiant, juxta Decretum S. Congregationis Concilii, relatum à Barboſa in ſumma Apoſtolicarum deciſionum Verbo Profeſſio Fidei num. 3. eò magis, quod extat Lex Synodalis Diœceſana circa prædictam Fidei Profeſſionem, quæ abſque controverſia ab aliis Regularibus obſervatur, nec non viget praxis in Diœceſi Metropolitana circa eandem Fidei Profeſſionem à Regularibus emittendam, antequam munus prædicationis incipiant?

Antequam Sacra Congregatio Statum quæſtionis reſolveret, exploravit deſuper ſenſa P. Franciſci Mariæ ab Aretio, tunc Procuratoris Generalis, & poſteà S. R. E. Cardinalis, qui S. Conſeſſum informavit, ut ſequitur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Procurator Generalis Capucinorum, ut juſſis EE. VV. obediat, reverenter exponit, ſibi videri, quod Illmus D. Epiſcopus Larinen. arbitrio, quod ſecundùm Conſtitutionem Clementis X. Superna *abs Ipſo in Libello ſupplici allegatam,* moderatum & diſcretum *eſſe debet, in favorem Capucinorum uti poſſet, & quidem ex validiſſimis rationibus.*

I. Intuitu Regulæ, quam profitentur, & in qua S. P. Franciſcus c. 9. prohibet, ne Fratres ſui populo prædicent, ſi priùs à Miniſtro Generali ad hoc officium non fuerint examinati & approbati. Quo præcepto S. Pater ſubditos ad non prædicandum, & Miniſtrum Generalem ad munus Concionatorium ſine prævio examine non conferendum obligavit: Nullus Fratrum penitus populo audeat prædicare, niſi à Generali Miniſtro hujus Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & officium prædicationis ſibi fuerit conceſſum. Reg. c. 9. *Hoc præceptum in Religione Capucina eâ ſeveritate ſervatur, ut examen hujuſmodi in præſentia totius Definitorii Provinciæ inſtituatur, hocque juratò P. Generali tum de probitate morum, tum de doctrinæ ſufficientia Examinati pro admiſſione ad munus prædictum teſtari debeat, exactè in hoc Decreta S. Concilii Lateran. ſub Leone X. conſtit. 21. & Tridentini ſeſſ. 5. c. 2. obſervando, quatenus ſcilicet Concionatores teſtimonio Superiorum Ordinis de ſufficientia & probitate muniantur. Inde cum Concionatores tranſiverint per examen rigoroſum intra Religionem, Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi poſſunt eſſe perſuaſi, quod doctrinam habeant ſufficientem, & tranſiverint per ignem & aquam.*

II. Ex ratione curſûs Scientiarum; cum in Ordine Capucino vigore Conſtitutionum, à S. Sede Apoſtolica approbatarum munus Prædicationis nulli conferatur, niſi qui per tres annos Artibus Liberalibus, & per quatuor alios Theologiæ operam navaverit, & conſequenter admiſſus ad dictum munus eſt Theologus curſûs Theologici perfectè completi. Quod in alio aliorum Ordinum non practicatur, cum in illorum aliquibus, Philoſophiæ Studioſis, populo prædicare permittatur. Quæ ratio ab Illuſtriſſimo D. Larinen. non ſolùm deberet eſſe benè ponderata, ſed etiam admiſſa ad effectum, ut ad favorem Capucinorum ſuo diſcreto & moderato uteretur arbitrio.

III. Ex ratione modi, quem Religio Capucina tenet, videlicet, ne Concionatores, nec pulpitis obtinendis ſe ingerant, nec commodum temporale, vel eleemoſynas quærant, victu modico & ad ſuſtentationem neceſſario contenti. Sicque non ſolùm ſine eleemoſynæ Ordinariæ, ſed nec etiam viatici prætenſione, & conſectariò unicè pro fructu Animarum concionantur. Ex hoc motivo autem examinari non debent, cum ſuppoſito aliàs hujuſmodi examine videatur prætendi, ut operarius operetur, & poſtmodum loco remunerationis carò, & cum periculo rejectionis ſolvat operam, quod Viro docto ob quæſtionem exoticam & improviſam cum S. Habitûs & Miniſterii dedecore obtingere poteſt.

IV. Ex ratione Conſuetudinis; cum nec tempore retroacto, ſeu à tempore, quo Religio Capucina ortum habuit, nec etiam poſt prædictam Conſtitutionem Clementis X. Superna *fuerint examinati. Et ſufficere deberet pro examine non prætendendo, quod Roma Eccleſiaſticæ Obſervantiæ Mater eos examinaverit nunquam.*

Tractavit de hac materia congenio ſuo ſpiritu P. Hieronymus Narnienſis, prædicans S. M. Gregorio XV. in S. Palatio, & hiſce æquè ac aliis rationibus, Concionatores Ordinis S. P. Franciſci in ſpecie, poſt hujuſmodi rigoroſum Ordinis examen ab Epiſcopis re-examinari non debere demonſtravit. Ex quo Illmus Larinen. abſtinere potuiſſe videtur à dicendo, quod Capucini Juriſdictionem Epiſcopalem contemnant, dum loquitur de Religione, quæ vi Regulæ & Conſtitutionum totum Ordinem Eccleſiaſticum ſummâ veneratur devotione, & forſan ideò ſolùm hoc dicit, quod Capucini potiùs à prædicando, abſtinere, quàm examini ſe ſubjicere velint, in ipſo enim §. Conſtitutionis Clementis X., in qua Illmo D. Epiſcopo arbitrium diſcretum & moderatum Concionatores examinandi conceditur, hoc ipſum arbitrium concernere Concionatores prædicare volentes, adjungitur: Regularibus prædicare volentibus. *Taliter autem à prædicando abſtinentes Capucini aliud non agunt, niſi prædicationis officium, quod juxta Tridentinum præcipuum Epiſcoporum munus eſt, ipſi Illuſtriſſimo D. Epiſcopo, & ejus Parochis, quibus eadem obligatio inhæret, relinquunt.*

Fuit quoque anno 1642. *ſimilis prætenſio mota ab Archiepiſcopo Meſſanenſi, cui S. Congregatio Epiſc. & Regul. ſcribi juſſi Epiſtolam antepoſitam.*

Circa Profeſſionem Fidei, omnes Concionatores Capucini illam, antequam munus Prædicationis exercere incipiant, in manibus ſuorum Superiorum emittunt, & in hoc alius DD. Epiſcoporum non reclamat. Et quamvis abs Illmo Larinen. aliqui auctores, qui ſuæ opinioni clauſulam abs Illmo non adductam, vid. ſi ita videbitur expedire, *adjungunt, producat, plures nihilominus forſan ſunt, qui Regulares ab hujuſmodi onere eximunt, inter quos Caſp. de exempt. Regul. c.* 10. *dub.* 193. *Lezana Verbo Concionator. n.* 8. *Donat. Laymen. t.* 3. *tract.* 6. *de Præd. q.* 25. *qui in hoc fundantur, quod Tridentinum ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de Reform. ubi de iis, qui ad Fidei profeſſionem tenentur, agit, Concionatores non memoret.*

Quibus &c.

Fr. Franciſcus Maria ab Aretio P. G.

Agnita fuit hæc relatio à S. Conſeſſu talis efficaciæ, ut de ſe dubium reſolveret, hinc *Parti* eam *oſtendi* juſſum eſt, quæ etiam ulteriora eâ lectâ non prætendit: nec ab illo tempore aliquid poſitivè & expreſsè contra Nos definitam reperio.

Privilegium Altaris de Eccleſia antiquæ Domûs Catanæ ad Eccleſiam novam transferri concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs à fel. record. Paulo PP. V. Prædeceſſore Noſtro ad favorem Eccleſiarum Domorum Regularium Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum emanârunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet: Paulus PP. V. ad perpetuam rei memoriam; Omnium ſaluti paternâ charitate intenti, ſacra interdum loca ſpiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium Defunctorum animæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum ſuffragia meritorum conſequi, & illis adjutæ è Purgatorii pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci valeant. Cum itaque nomine Superiorum, & Fratrum Ordinis Minorum Capucinorum ultra montes degentium Nobis nuper expoſitum fuit, fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor Noſter, ut quotieſcumque Sacerdos aliquis ejuſdem Ordinis Miſſam Defunctorum pro anima cujuſcumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrâſſet, ad tria Altaria trium Eccleſiarum cujuſcumque Provinciæ dicti Ordinis per Superiores prædictos deſignanda celebraret, Anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur, vivæ vocis oraculo conceſſerit, & indulſerit, & ab inde citra Provinciæ ipſius Ordinis benedicente Domino adauctæ fuerint. Nos Superiorum & Fratrum prædictorum ſupplicationibus Nobis humillimè porrectis inclinati, authoritate Nobis à Domino tradita, & de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, conceſſionem & indultum hujuſmodi, dummodo à dicto Gregorio Prædeceſſore verè emanaverit, etiam ad alias Eccleſias Provinciarum dicti Ordinis poſtmodum erectarum, & futuris temporibus erigendarum, eiſdem modo & forma, quibus ab eodem Gregorio Prædeceſſore conceſſa fuerunt, perpetuò extendimus, & ampliamus, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die IX. Junii MDCVIII. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

Cum autem, ſicut Dilecti Filii moderni Provinciales Provinciarum Mediolanen., Meſſanen. & Januen. Ordinis prædicti Nobis nuper exponi fecerunt, & in Mediolanen. & Catanen. Civitatibus duæ ejuſdem Ordinis Domus Regulares, una quidem antiquitus & altera recenter conſtructæ, omnibus tamen ad eas facientibus inſtructæ exiſtant, quarum veterum Eccleſiæ privilegio prædicto, conceſſionis & indulti Gregorii Prædeceſſoris Noſtri prædicti vigore decoratæ ſunt, minor autem Sacerdotum numerus in eis, & populi ad eas concurſus major, quàm in recenter extructis exiſtat, & propterea Mediolan. & Meſſanen. dictum privilegium de veteribus ad novas Eccleſias hujuſmodi, Ianuen. verò Provinciales prædicti de una Capella ad Altare majus Eccleſiæ Civitatis Alexandrinæ Domûs Regularis ejuſdem Ordinis per nos transferri ſummopere deſiderent, ſupplicationibus eorumdem Provincialium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, privilegium prædictum vigore conceſſionis & indulti Gregorii Prædeceſſoris prædicti, per Pauli etiam Prædeceſſoris Noſtrorum literas præinſertas ad dictas veteres Mediolanen. & Catanen. Civitatum Domorum Regularium Ordinis hujuſmodi Eccleſias extenſum, ad dictas recenter extructas, ac de Capella prædicta, ad dictæ Eccleſiæ Civitatis prædictæ Alexandrinen. Altare majus perpetuò modo & forma præmiſſis transferimus, ac translatum eſſe volumus & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac, quantum opus ſit, veterum Eccleſiarum & Capellæ prædictarum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annnlo Piſcatoris die IV. Novembris MDCXLIII. Pontificatus Noſtri Anno vigeſimo primo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 668.

NOTA

NOTA.

TRanslatio Domûs, quæ & transferendi Altaris privilegiati occaſionem dedit, dudum priùs Epiſcopo Catanenſi commiſſa fuerat, S. Congregationis Epiſc. & Regul. epiſtolâ, quæ ſequitur:

Factis Sacræ Congregationi à P. Provinciale Capucinorum iſtius Provinciæ inſtantiis pro facultate transferendi ex motivo nocivi aëris Conventum, milliario à Civitate diſtantem, ad locum in vicinia Civitatis jam ſelectum, Illuſtriſſimi Domini mei ordinârunt, ut hoc Dominat. Veſtræ (prout præſentibus facio) recommendem, quatenus, ſi id in alterius præjudicium non vergat, dictum P. Provincialem pro hujuſmodi translatione omni poſſibili favore & auxilio proſequatur. Et Deus &c. Romæ 9. *Decemb.* 1622.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 306.

Antiquam poſtmodum Domum cum jure adaquandi, ab Eccleſia Cathedrali conceſſo, ſub præſcriptis articulis vendi, conceſſum fuit ſequente ejuſdem S. Congreg. Epiſtola, eidem quoque Catanenſi Epiſcopo inſcriptâ:

Stante Dominationis ſuæ relatione circa inſtantias à PP. Capucinis factas pro facultate vendendi veterem ipſorum Conventum in loco nocivi aëris ſituatum, & convertendi pretium in fabricam Conventûs novi, Illuſtriſſimi Domini mei remittunt Dominat. Suæ arbitrio permittendi pro parte ipſorum executionem prædictæ alienationis Conventûs duntaxat (non verò Eccleſiæ, ſi ſit conſecrata) & inſimul juris adaquandi, ab iſta Cathedrali eidem Conventui cum obligatione ex parte Civitatis annuatim triginta ſcuta Censûs Emphiteutici propterea ſolvendi conceſſi, ac obligandi Emptorem ad dictum annuum Cenſum, aliaque pacta Emphiteutica, & ad ſolvendam pariter Cathedrali Decimam pretii, quoties Dominium transferetur. Inde Dominat. Sua id, quod magis expedire judicabit, ſtatuet. Romæ 5. *Martii* 1624.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 57.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Ex ære veteris Domûs Loci Engii vulgò *Gangè* novam fabricam conſtrui conceditur.

Emi, ac Rmi Domini.

CUm Fr. Marius à Liparo, Provincialis Capucinorum Provinciæ Meſſanen. Conventum Loci Engii, vulgò *Gangè* dicti, Diœcei. Meſſanen. penitus detritum, ad ſalubriorem ſitum transferre debeat, ſupplicat EE. VV. pro facultate dictum Conventum cum rebus ſtabilibus eidem connexis vendendi, & pretium in alterius fabricam convertendi, exceptâ Eccleſia, quæ illæſa ad uſum Confraternitatis cujuſdam perſiſtet &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita; attentâ relatione Archiepiſcopi Meſſanenſis eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, facultatem faciendi præfatam venditionem Conventûs & Horti pro ſuo arbitrio & conſcientia Syndico Apoſtolico impertiatur, ita tamen, ut pecunia ex hujuſmodi venditione retrahenda in fabricam dicti novi Conventûs, integrè & fideliter erogetur, & uſus Eccleſiæ ſupradictæ Confraternitati concedatur, 2. *Octobris* 1679.

G. Card. Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

DE-

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in loco Hironis, vulgò *Gerace* Archiepiſcopo Meſſanenſi committitur.

Emi ac Rmi Domini.

MArchio & Univerſitas Hominum loci Hironis Diæceſ. Meſſanen. in Regno Siciliæ EE. VV. debito exponunt obſequio, quod Conventum PP. Capucinorum in dicto loco fundare intendunt; quem in finem non ſolùm plures Perſonæ ad erogandam notabilem pecuniarum ſummam publico inſtrumento ſe obligârunt, & Marchio Orator id totum, quod dicti Conventûs fabricæ deerit, ex ſe ſupplere promittit, verùm etiam dictæ Perſonæ, & Univerſitas Religioſis in caſu de veſtiario, aliiſque quotidianis Religioſi victûs neceſſitatibus providere pollicentur. Interim eò efficacius pro prædictæ fundationis facultate EE. VV. ſupplicant, quod tam Ordinarii, quàm aliorum Regularium conſenſus, uti ex tranſmiſſis conſtat ſcripturis, adſit, totumque ad majorem Dei cultum, animarumque fructum tendat. Quod &c.

Sacra Congregatio Emin., ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Spinula, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore committit Archiepiſcopo Meſſanenſi, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti novi Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, Sacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, & ex eleemoſynis piorum Benefactorum inibi duodecim hujuſmodi Religioſos commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam erectionem & Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio & conſcientia procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per SS. Canones, S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum erectiones præſcripta ſunt, Religiosè ſerventur 3. Martii 1689.

G. Card. Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congregat. menſ. & anni prædict.

DECRETO

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Conſtitutionem Clementis PP. IX. præcedentiam PP. ex Definitoribus denegantem ſervari jubetur.

STante ordinatione, quâ Clemens PP. IX. per Conſtitutionem ſuam incip. *Debitum Paſtoralis &c.* â PP. Definitoribus completo officio nullam aliam præcedentiam, quàm quæ iis ex antiquitate Profeſſionis debetur, prætendi poſſe inter alia ſancivit, & vertente dubio in Provincia FF. Capucinorum Meſſanenſi, an dicta Conſtitutio, in variis articulis poſtmodum mutata, ſuum adhuc quoad dictos ex-Definitores habeat vigorem?

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, audito P. Procuratore Generali Capucinorum, & referente Eminentiſſimo de Lauræa, cenſuit circa præmiſſa ſervandum eſſe Breve S. M. Clementis IX. prout præſentis Decreti vigore ſervari mandat.

Romæ 14. *Martii* 1689.

Ex Regeſt. Secretar. Congregat. menſ. & anni prædict.

NOTA

ET ordinariè idem circa dubium à diverſis Provinciis ſucceſſivè motum à Sac. Congregatione fuiſſe deciſum tene; præſertim ſi uſus longiore annorum ſerie probatus, aut aliàs legitimè inductus contrarium non ſuaderet &c.

EPI-

EPISTOLA

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Petium terræ de Domo Catanæ Principi Biſcarienſi alienari, & pretium aliàs ad Reverendam Cameram Apoſtolicam ſpectans titulo charitatis in beneficium ejuſdem Domûs converti, committitur.

BEATISSIME PATER.

FRatres Capucini Conventûs, *della Speranza* nuncupati Sanct. Veſtræ humillimè exponunt, quod extra Conventum petium terræ incultæ, ſaxoſæ, & ſterilis, valoris ſeptem ſcutorum cum dimidio incirca, omni ex parte cuidam Domunculæ ad Principem Biſcarienſem ſpectantis contiguæ reperiatur, qui pro eo ducentas libras annuatim offert, cumque oblatio hæc Oratoribus utilis ſit, pro hujuſmodi ceſſionis facultate S. V. ſupplicant. Quam &c.

Reverendiſſime &c. uti Frater. Sanctiſſimus Dominns Noſter benignè condeſcendit, ut Amplit. Tua Syndico Apoſtolico Conventûs Fratrum Capucin. della Speranza nuncupati facultatem largiatur alienandi Principi Biſcarienſi petium terræ incultæ, ſaxoſæ. & ſterilis extra Conventum quidem ſitum, ſed ad uſum Fratrum exiſtens. Sicut autem petium hujuſmodi ad Reverendam Cameram Apoſtolicam pertinet, ita retractum exinde pretium Sanctitas Sua donat, ac illud titulo charitatis in beneficium ejuſdem Conventûs Capucinorum converti mandat. Quod dum ſignifico &c.

Romæ 17. *Maii* 1726.

Ex Regeſt. Secret. Congregat. menſ. & anni prædict.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Retractum de Domo antiqua pretium in beneficium novæ fabricæ in loco Tortorices converti committitur.

BEATISSIME PATER.

PRovincialis Caupcin. Provinciæ Meſſanen. in Sicilia S. V. humillimè exponit, qualiter pro ſecuritate ſuorum Religioſorum loci Tortorices Diœc. Meſſanen. qui ob egreſſum fluminis intra ſepta periclitantur, eorum habitationem ad alium ſecuriorem, & ſolidiorem locum transferre coactus fuit, prout & impræſentiarum illius fabrica continuatur. Cum autem ad hanc perficiendam, & ad alia illi connexa curanda neceſſe ſit, nonnullas adhuc illæſas, & de Conventu antiquo reſiduas cellas cum horto & ſylva vendere, proprietas autem, & dominium earum non ad Fratres, ſimplicis rerum uſûs dumtaxat capaces, ſed ad Sanctam ſpectet Sedem, S. V. ſupplicat pro licentia, dictas cellas cum horto & ſylva juſtâ æſtimatione per Syndicum Apoſtolicum vendendi, & æs redactum ad novi Conventûs fabricam applicandi. Quam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſ. ac Reverendiſſ. S. R. E. Cardinal negot. & conſult. Epiſcop. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Eminentiſſ. D. Cardin. Barberini, præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectoris, benignè committit Archiepiſcopo Meſſanen. ut veris exiſtentibus narratis, & prævììs edictis, ac Peritorum æſtimatione petitam facultatem Syndico Apoſtolico enunciati Conventûs faciendi præfatam venditionem pro ſuo arbitrio, & conſcientia impertiatur, ita tamen, ut pretium ex hujuſmodi alienatione redigendum in beneficium, & utilitatem novi Conventûs, qui conſtruitur, integrè & fideliter erogare teneatur, ſub pœnis contra Regularium bona alienantes impoſitis, in caſu contraventionis omnino incurrendis die 4. *Junii* 1734.

Franc. Cardin. Barberinus.

Ex Regeſt. Secret. Congregat. menſ. & anni prædict.

Ad inſtantias Ferdinandi Franciſci Gravina, Principis Palagoniæ &c. erectionem novæ Domûs Loci Pedemontis, Archiepiſcopo Meſſanenſi committit, obligatione ſupplendæ eleemoſynæ priùs ſublatâ.

A tergo: *Ven. Fratri Archiepiſcopo Meſſanen.*

CLEMENS PAPA XII.

Ven. Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX commiſſo Nobis cœlitus Apoſtolicæ ſervitutis munere ad ea, per quæ Conventus, & alia Regularia Loca, ad Divini Cultûs

tûs & Religionis incrementum, animarumque ſalutem erigi, & inſtitui valeant, libenter intendimus, ac in idipſum tendentia Chriſtifidelium vota paternâ charitate exaudimus, prout in Domino expedire arbitramur.

Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius, Nobilis Vir Ferdinandus Franciſcus Gravina, Princeps Palagoniæ, Caltabiani, Pedemontis, Fluminis Frigidi, aliorumque locorum in Regno Siciliæ conſiſtentium, quòd, cum ipſe non minùs pro ſuæ devotionis affectu erga Ordinem Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, cujus Inſtitutum Primogenitus Familiæ ſuæ aliàs profeſſus fuerat, quàm pro Spirituali progreſſu Vaſſallorum ſuorum, & præſertim Incolarum dicti loci Pedemontis iſtius Meſſan. Dioec. Eccleſiam & Conventum pro duodecim Fratribus ejuſdem Ordinis in prædicto loco Pedemontis erigere ſtatuiſſet, & poſt acceptatam à Deffinitorio Provinciali dictorum Fratrum in eorum Capitulo die 14. Octob. 1730. habito oblationem, ſuper erectione ejuſmodi pro parte ejuſdem Ferdinandi Franciſci Principis factam, obtentamque ad hoc à Te, ſeu tunc exiſtente Archiepiſcopo Meſſanen. licentiam, necnon conſenſum tum Archipresbyteri ſupradicti loci Caltabiani, ſub cujus Parochia prædictus locus Pedemontis exiſtit, tum Cleri reliquorum locorum, hujuſmodi fabricæ Eccleſiæ, & Conventûs prædictorum, ac Sacriſtiæ & Officinarum manus admoveri curâſſet, idem Ferdinandus Franciſcus Princeps fabricâ prædictâ ſubinde, impensâ ſex millium ſcutorum circiter monetæ abſolutâ, atque ſacris ſuppellectilibus ac utenſilibus, aliiſque rebus neceſſariis inſtructâ, petiit ab hac S. Sede facultatem deveniendi ad erectionem dicti Conventûs, ac in illum introducendi Fratres Ordinis prædicti, quibus, ſi ex queſtu eleemoſynarum ſe alere, Eccleſiamque & Conventum hujuſmodi manutenere nequirent, ipſe Ferdinandus Franciſcus Princeps, ac dilecti Filii Univerſitas, & Homines prædicti loci Pedemontis die 14. Julii 1730. ſeſe obligârunt ſubminiſtrare, ac ſupplere, quod eis deeſſet. Verùm, quia variæ ſubinde difficultates, præcipuè per Univerſitatem, & Homines vicini Oppidi, Civitat. nuncupat. *de Lingua Groſſa* adverſus erectionem dicti Conventûs, quas coram infraſcripta Congregatione Cardinalium diſcutere oportuit, excitatæ fuerunt, dictus Ferdinandus Franciſcus Princeps hactenus voti ſui compos fieri, remque ad effectum ducere non potuit, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur laudabili ejuſdem Ferdinandi Franciſci Principis deſiderio hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & poenis, à jure vel ab homine quavis auctoritate vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxt conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardlnalium negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, qui relationem tuam ſuper præmiſſis ad eoſdem Cardinales tranſmiſſam attenderunt, conſilio, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam Tibi conſtiterit, fabricam prædicti Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis eſſe omnibus numeris abſolutam, & ſuppellectili tam ſacra, quàm profana ſufficienter inſtructam, ac eleemoſynis piorum Benefactorum inibi duodecim Religioſos ſuſtentari poſſe, ſublatâ tamen obligatione die 14. Julii 1730. ab ipſis Ferdinando Franciſco Principe, ac Univerſitate, & Homnibus loci Pedemontis quoad præſtationem ſupplementi eleemoſynarum, ſicut præmittitur, emiſsâ, ad petitam erectionem, & Religioſorum introductionem, Auctoritate noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio & conſcientia procedas, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per ſacros Canones, Concilium Tridentinum, Apoſtolicas & dicti Ordinis Conſtitutiones circa hujuſmodi novorum Conventuum Regularium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hâc vice duntaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, coeteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Junii MDCCXXXV. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

F. Card. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Provinciæ.

PRO-

tas proficiſcitur, ſolida pietate & conſtantia retineant, firma deinde, quam de tua pietate, & in eandem Sedem Apoſtolicam fide, atque erga Nos obſervantia concepimus, opinio, Nos inducunt, ut à Te id nunc maximè requiramus, non modò, ut nec impoſterum Civitatis, ac Civium Maſſilienſium res, terrâ marique quovis prætextu turbari patiaris, Verùm etiam datâ quacumque occaſione ita illorum commoda tuenda, & augenda ſuſcipias, ut præclara tua ea de re promiſſa optatus ipſarum rerum exitus conſequatur. Erit hoc ſingulari tua virtute valde dignum, & eorum, qui Te Romanæ Eccleſiæ cauſa plurimum eſſe affirmant, teſtificationi vehementer conſentaneum. Cætera ex Fratre Archangelo Meſſanenſi, Ordinis Fratrum Capucinorum S. Franciſci, Viro non mediocris probitatis, ac prudentiæ, cui haſce Tibi reddendas dedimus, plenè cognoſces. Illius interea verbis, eam fidem adhibere poteris, quàm Nobis adhiberes, ſi præſentes Tecum ageremus. Quod ſupereſt, actionibus tuis ita proſit Deus, ut eas ad nominis ſui augendi gloriam, ad Catholicæ Fidei conſervationem retinendam, ad Sedis denique Apoſtolicæ tuendam auctoritatem dirigat, & quidquid privatæ tuæ, & publicæ ejus, quæ tuæ fidei nunc credita eſt, ditionis, & univerſi adeo Galliæ Regni ſalutis ratio expoſcit, cumulatè largiatur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 1. Aprilis MDCIII. Pontificatûs noſtri Anno duodecimo.

Ex Regeſto Aut. Brevium ad Principes n. 57. fol. 83. in Archivo Vaticano Secreto reſervato.

EPISTOLA

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Proſecutio Fabricæ novæ Domûs Loci Nicoſiæ, contradictione non obſtante Archiepiſcopo Meſſanenſi committitur.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

PRocurator Generalis PP. Capucinorum S. Congregationi inſtitit pro facultate fabricam Conventûs, qui in loco Nicoſiæ iſtius Diœceſis pro ſua Religone de novo ædificatur, proſequendi: & rationibus à PP. Minoribus de Obſervantia Reformatis in contrarium adductis, attentè auditis, Sacra Congregatio declaravit, quod dictum novum ædificium nullo modo impediri poſſit, ſed provideri debeat, ut in muro, cujus conſtructio ad proſpectum in PP. Reformatorum Conventum impediendum jam ordinata eſt, podium, vel feneſtræ non erigantur, & econtra taliter conficiatur, ut verè, & realiter proſpectum impediat. Confiſi Illuſtriſſimi Domini mei de Dominat. Veſtræ dexteritate & prudentiâ, executionem hujus Decreti Eidem remittunt, quatenus ſervato, qui factus eſt, ordine de muro conſtruendo, ſeu, uti dictum, abſque podio, apertura aut feneſtris, adjungendo, PP. Capucinis proſecutionem novi illorum ædificii permittat, ſemoto quocunque, quod forſan opponi poſſet, impedimento. Et Deus &c. Romæ 29. April. 1606.

Ex Regeſto autographo Secret. Congregat. menſis & anni prædictorum fol. 41.

Eccleſiam S. Mariæ *Annuntiatellæ* nuncupatam cum Viridario, Ciſterna &c. pro Infirmaria in Civitate Meſſanenſi conſtruenda alienari, & Fratribus donari ſignat.

MESSANEN.

BEATISSIME PATER.

CUM Devotus Veſter Salvator la Celſa Rector ſine cura Eccleſiæ Sanctæ Mariæ *della Nuntiatella* nuncupatæ, Meſſanen. conſiderans Devotos Sanctitatis Veſtræ Oratores Guardianum & Fratres Domûs Sanctiſſimæ Trinitatis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum extra muros Meſſanen. ob eorum vitæ aſperitatem, & aëris loci, in quo dicta Domus ſita eſt, intemperiem, in diverſas infirmitates frequenter incidere, & ob ejuſdem Domûs à Civitate Meſſanenſi diſtantiam difficilè à Medicis viſitari, eiſque de remediis pro eorum infirmitatibus curandis neceſſariis provideri poſſe, dictam verò Eccleſiam S. Mariæ in præfata Civitate unam Domum cum viridario & Ciſterna, aliiſque membris & pertinentiis eidem Eccleſiæ S. Mariæ contiguam, ſeu convicinam, ac in loco ſalubri, & ad unam Infirmariam pro uſu, cura, & gubernio Fratrum primodictæ Domûs pro tempore infirmorum conficiendam commodo ſitam habere & poſſidere. Propterea & ex certis aliis cauſis animum ſuum moventibus eamdem Eccleſiam S. Mariæ, quæ de Jurepatronatûs Laicorum ex fundatione ſeu dotatione exiſtit, & quam ipſe Salvator tunc obtinebat, extra Romanam Curiam coram Notario publi-

publico & Teſtibus, ac Vicario per Capitulum & Clerum Eccleſiæ Meſſanenſis, ejus Sede Archiepiſcopali Paſtoris ſolatio tunc deſtitutâ deputato, & in ipſius Vicarii manibus ſponte & liberè reſignavit & dimiſit: quam reſignationem ſeu dimiſſionem dictus Vicarius admiſit licèt de facto, ad effectum, ut dicta Eccleſia S. Mariæ, & illius Domus cum viridario & ciſterna, aliiſque ſuis membris, juribus & pertinentiis primodictæ Domui pro ibi conficienda & conſtruenda Infirmaria ad uſum & commoditatem medicandi & ab infirmitatibus ibi curandi Fratres primodictæ Domûs pro tempore ægrotantes, ac aliàs pro ſervitio Dei, & quod ipſi Oratores ibidem etiam Divinum officium & Miſſas liberè celebrare poſſent, de devotorum veſtrorum modernorum ipſius Eccleſiæ S.Mariæ Patronorum ſeu Patronarum conſenſu perpetuò uniretur ſeu concederetur; quod ſi fieret ex hoc dictorum Fratrum commoditati & Divino cultui ſalubriter & opportunè conſuleretur.

Supplicant igitur humiliter Sanctitati Veſtræ Oratores præfati, quatenus reſignationem ſeu dimiſſionem præfatam, quatenus opus ſit, admittere, necnon in præmiſſis paternè providendo, ipſoſque ſpecialibus favoribus & gratiis proſequendo Eccleſiam S.Mariæ præfatam, cujus fructus nulli ſunt, cum illius Domo ſeu Domibus, viridario & ciſterna, aliiſque membris, juribus, & pertinentiis eidem Eccleſiæ S. Mariæ, ac illius Domui ſeu Domibus hujuſmodi annexis & connexis, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem, aut aliam reſignationem dicti Salvatoris, vel cujuſvis alterius de illa in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, aut aſſequutionem &c. vacet, etiamſi devoluta, affecta, electa, Sacerdoti ſpecialiter, vel aliàs ex quavis cauſa in literis, etiam diſpoſitivè exprimenda generaliter reſervata, litiq; &c. cujus litis ſtatus &c. exiſtat, de eorumdem modernorum Patronorum conſenſu primodictæ Domui pro dicta Infirmaria inibi, ut præfertur, erigenda ſeu inſtituenda, & conficienda, ita quod liceat eiſdem Oratoribus, & pro tempore exiſtentibus primodictæ Domûs Guardiano & Fratribus corporalem, realem & actualem Eccleſiæ S. Mariæ & illius Domûs, ac viridarii, ciſternæ, membrorum, jurium, & pertinentiarum ſuarum præfatarum poſſeſſionem liberè apprehendere & perpetuò retinere, ac inibi Infirmariam, ut præfertur, conſtruere, necnon etiam in eadem Eccleſia S. Mariæ Miſſas & alia Divina Officia celebrare, etiam Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, perpetuò unire, annectere, & incorporare, ſeu etiam concedere, & aſſignare, ac præſentes & deſuper conficiendas litteras nullo umquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis vitio, ſeu intentionis Sanctitatis Veſtræ, vel alio quovis defectu, etiam ex eo, quod in præmiſſis intereſſe habentes vocati non fuerint, vel quod unio &c. ſeu conceſſio &c. hujuſmodi debitum non ſint ſortitæ effectum, atque legitimè & canonicè non exprimantur, aut inſtitutæ fuerint, aut tales conceſſiones & uniones fieri debeant, & aliàs notari, impugnari, invalidari, & ad terminos juris reduci nullatenus poſſe, neque debere, ſed illas ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri & obtinere debere, irritum quoque &c. decernere dignemini de gratia ſpeciali, non obſtantibus præmiſſis, ac regula Sanctitatis Veſtræ de unionibus committendis ad partes vocatis &c. exprimendoque valore &c. nec non Lateranenſis Concilii noviſſimè celebrati, uniones perpetuas, niſi in caſibus à jure permiſſis, fieri prohibentis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam forſan hujuſmodi Infirmarias Fratrum niſi infra certam diſtantiam ab aliis Domibus aliorum Fratrum fabricari vetantibus, nec non etiam primodictæ Domûs & hujuſmodi Ordinis, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis &c. privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apoſtolicis, etiam illis, illorumque Superioribus & Perſonis, ac quibuſvis, aliiſque in genere, vel in ſpecie ſub quibuſcumque tenoribus &c. etiam Motu proprio &c. ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis &c. quibus omnibus, etiamſi de illis &c. latiſſimè hac vice derogare placeat, ceteriſque contrariis quibuſcumque cum clauſulis opportunis.

FIAT UT PETITUR U. (*ideſt Ugo, vel Hugo, quod Itali plerumque abſque H. ſcribunt: nomen, quod Gregorius XIII. ceu Cardinalis geſſit, & ideo juxta dicta tomo ſecundo fol.* 113. *in præſenti ſubſcriptione annotatum.*)

Et cum abſolutione à cenſuris ad effectum &c. & quod aliarum unionum &c. conceſſionum &c. vel applicationum &c. primodictæ Domui quomodolibet factarum & inde ſequutarum, nec non aliorum neceſſariorum quorumcumque, etiam veriores & toti tenores, ac verus & ultimus Eccleſiæ Sanctæ Mariæ prædictæ vacationis modus, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, nec non lites & cauſæ, ſique ſint, ſtatus & merita, nominaque & cognomina Judicum & collitigantium, eorumque ac dicti Salvatoris & quorumcumque aliorum proviſiones, conceſſiones, præſentationes, inſtitutiones, aliaque Jura, & tituli, etiam nulli & infecti, cauſaque etiam proprii tituli

ac

ac litis & poſſeſſionis &c. nec non primodictæ Domûs,ac viridarii,Ciſternæ,aliorumque membrorum, Jurium & pertinentiarum præfatarum ſituationes, confines, qualitates, quantitates, vocabula, denominationes, quacumque regulâ contrariâ non obſtante, habeantur pro expreſſis, ſeu in toto vel parte exprimi poſſint & cum clauſula generalem reſervationem importante ex quavis cauſa in litteris etiam diſpoſitivè exprimendo.

Et de admiſſione reſignationis ſeu dimiſſionis hujuſmodi, ac unione &c. ſeu conceſſione &c. dictæ Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, illiuſque domûs, viridarii, Ciſternæ aliorumque membrorum, jurium & pertinentiarum prefatarum primodictæ Domui, ſeu illius Sacriſtiæ vel Fabricæ. Ita quod etiam liceat &c. cum decreto, derogatione etiam regulæ de unionibus committendis ad partes, vocatis &c. exprimendoque valore &c. ac Lateranenſis Concilii hujuſmodi aliiſque præmiſſis, ut ſupra, perpetuò, & in forma gratioſa latiſſimè extendendo.

Et quod litteræ deſuper in forma ſimplicis perpetuæ unionis &c. ſeu conceſſionis &c. gratioſæ ſubrogationis, etiam quoad poſſeſſionem gratiæ, ſi neutri, ſi nulli, ſi alteri perinde & etiam valere cum gratificatione opportuna, quatenus illi locus ſit, extendendi, ſimul vel ad partem expediri poſſint.

Et cum derogatione aliarum regularum Sanctitatis veſtræ de annuali poſſeſſore quoad primam ejus partem, ac Statutorum &c. privilegiorumque &c. ſupradictorum & quorumcumque aliorum quomodolibet contrariorum, nec non dicti Juriſpatronatûs, etiamſi Laicorum tantùm, etiam nobilium & Illuſtrium, eiſque ex fundatione vel dotatione competat in totum, attento conſenſu modernorum Patronorum ſeu Patronarum, & cum ſuſpenſione quarumcumque ſpecialium, vel generalium, etiam mentalium reſervationum, aliarumque unionum &c. ſuppreſſionum &c. etiam perpetuarum, ac mandatorum etiam de providendo &c. expectativarum & aliarum gratiarum &c. quibuſvis &c. etiam Cardinalibus &c. ac aliàs quomodolibet conceſſis cum Decreto, quod ſe ad præmiſſa non extendant, latiſſimè extendendi, citra tamen acceſſum & regreſſum, ac de conſenſu coadiutorias & cum opportuna, ſi videbitur, exequtorum deputatione, qui aſſiſtant &c. etiam ſub cenſuris &c. cum facultate citandi & inhibendi &c. etiam ſub ſimilibus vel diſſimilibus cenſuris &c. ac etiam per edictum publicum &c. declarandi, aggravandi, reaggravandi, excommunicandi, intercedendi &c. invocato &c. auxilio Brachii ſecularis, cum derogatione dietarum, non tamen trium, latiſſimè extendendi & quod præmiſſorum omnium & ſingulorum, etiam invocationibus, denominationibus, annexionibus, qualitatibus, nuncupationibus, confinibus, dependentiis, circumſtantiis, aliorumque neceſſariorum major & verior ſpecificatio & expreſſio fieri poſſit in litteris ſimul vel ad partem expediendis.

FIAT V.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Kalendis Novembris Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

Autographum in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Meſſanenſis.

Eandem Infirmariam â Domo Fratrum Meſſanæ diſmembrari, & hos ad novam poſſeſſionem induci, Archiepiſcopali Vicario committit.

Dilecto Filio Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Meſſanen. Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus & Fratres Domûs Ordinis FF. MM. Capucinorum nuncupat. Meſſanen, quod aliàs, cum dicta Domus à Civitate Meſſanen. ita diſtaret, ut Fratres dicti Ordinis infirmi difficulter à Medicis viſitari, & ab eorum infirmitatibus curari poſſent, fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter Eccleſiam *Annuntiatellam* nuncupatam Meſſanen., quæ de jurepatronatus laicorum ex fundatione vel dotatione exiſtebat, tunc per liberam reſignationem Dilecti Filii Salvatoris la Celſa Rectoris dictæ Eccleſiæ de illa, quam tunc obtinebat extra Romanam Curiam coram Notario publico, & Teſtibus, ac Vicario per Dilectos Filios Capitulum Majoris Eccleſiæ Meſſanen., ejus Sede Archiepiſcopali Paſtoris ſolatio tunc deſtitutâ, deputato factam, & per eumdem Vicarium, licèt de facto; poſtea verò à dicto Gregorio Prædeceſſore admiſſam, vacantem, cum illius domo ſeu domibus, ac viridario, & ciſterna, aliiſque membris, juribus & pertinentiis eidem Eccleſiæ, ac illius domui ſeu domibus hujuſmodi annexis & connexis, primodictæ Domui ad inibi unam Infirmariam pro curandis dictis Fratribus infirmis erigendam & inſtituendam, ita quod liceret eiſdem Guardiano, & Fratribus corporalem, realem & actualem poſſeſſionem Eccleſiæ, ac illius Domûs, & vi-

& viridarii, Ciſternæ, membrorum, jurium, & pertinentiarum ſuarum prædictarum liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac inibi Infirmariam, ut præfertur, conſtruere, nec non in eadem Eccleſia Miſſas & alia divina officia celebrare, etiam Diœceſani loci, vel cujuſvis licentiâ deſuper minimè requiſitâ, de dictæ Eccleſiæ Patronorum conſenſu, auctoritate Apoſtolica perpetuò univit, annexuit & incorporavit, ſeu etiam conceſſit & aſſignavit, prout in literis ipſius Gregorii Prædeceſſoris ſub plumbo deſuper expeditis pleniùs continetur. Et quia prædicta ad fabricam dictæ Infirmariæ non ſufficiebant, dicti Fratres piis Chriſtifidelium eleemoſinis terrenum, & aliquot domos vicinas emerunt, & ſuis labore, opera, & induſtria Infirmariam, qua hactenus uſi ſunt, conſtruxerunt: & deinde his annis proximè elapſis quondam Hieronymus Comes in ſuo ultimo, quod condidit, teſtamento magnum Hoſpitale Meſſanen. hæredem univerſalem bonorum ſuorum inſtituit, cum pacto, quod dictumHoſpitale deberet eiſdem Fratribus conſtrui facere unam novam Infirmariam in loco eis beneviſo & commodo, ita tamen, quod ipſi Fratres antiquam Infirmariam prædictam, qua hactenus uſi erant, eidem Hoſpitali concederent.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ipſi Guardianus & Fratres propter magnam commoditatem hujus novæ Infirmariæ, quæ juxta dictum Hoſpitale conſtruetur, deliberaverunt dictum legatum ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito recipere, pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis opportunè providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Guardianum, & Fratres, ac eorum ſingulos à quibuſvis &c. cenſentes, ac domorum & terreni prædictorum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, & qualitates; necnon literarum & teſtamenti hujuſmodi tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Infirmariam antiquam cum ſuis domibus, terreno, & aliis juribus & pertinentiis ab eademDomoFratrum Capucinorum Auctoritate Noſtra perpetuo diſmembres & ſepares, illamque ſic diſmembratam & ſeparatam eidem magno Hoſpitali perpetuò concedas, ita quod liceat dicto Hoſpitali, & illius Rectori, ſeu Adminiſtratori, aut quibuſvis aliis corporalem, realem & actualem poſſeſſionem antiquæ Infirmariæ, & illius domorum & terreni, ac jurium & pertinentiarum propria auctoritate liberè apprehendere, ac in ipſius Hoſpitalis uſus & utilitatem convertere, Diœceſani loci, aut cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ. Denique eiſdem Guardiano & Fratribus in dicta nova Infirmaria, poſtquam, ut præmittitur, conſtructa fuerit, habitandi licentiam & facultatem, auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſsè, ne cujuſvis Ordinis Fratres Mendicantes loca ad inhabitandum recipere, ſeu recepta mutare abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi expreſſam mentionem faciente, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Domûs, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſq; contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Aprilis MDCX. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Ex Regeſto Archivi Secretariæ Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 351.

Concordiam Fratres inter -- & Gubernatores Magni Hoſpitalis Pietatis Meſſanæ &c. de antiquæ Infirmariæ ceſſione & novæ poſſeſſione factam, Apoſtolica auctoritate approbari, Vicario Generali &c. committit.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Archiepiſcopi Meſſanenſis in ſpiritualibus Generali ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Circa Regularium, & piorum Locorum quorumlibet ſtatum proſperè dirigendum ſtudiis invigilantes aſſiduis, ea, quæ pro illorum, ac perſonarum in eis pro tempore degentium pace, quiete, & commoditatibus, ſemotis impedimentis quibuslibet providè facta, & concordata fuiſſe dicuntur, ut firma, & illibata perpetuò ſubſiſtant, libenter, cum à Nobis petitur, Apoſtolico præſidio communiri, ac in his Paſtoralis Officii noſtri partes favorabiliter interponi mandamus, prout in Deo conſpicimus expedire.

Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum modernorum Guardiani, & Fratrum Domûs Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum Meſſanen., ac Rectorum & Gubernatorum magni Hoſpitalis, Pietatis nuncupati, etiam Meſſanen., nec non Antonii Munaxho Presbyteri Meſſanen.

nen. Diœceſis petitio continebat, quod alias, poſtquam fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædec. noſter ſupplicationibus tunc exiſtentium Guardiani, & Fratrum dictæ Domûs aſſerentium eamdem Domum à Civitate Meſſanæ nimiùm diſtare, illiuſq; Fratres infirmos difficulter à Medicis viſitari, & ab eorum infirmitatibus curari poſſe, in ea parte tunc inclinatus Eccleſiam, Annuntiatellam nuncupatam, dictæ Diœceſ., quæ ſine cura, & de jure patronatus Laicorum ex fundatione, ſeu dotatione exiſtebat, certo tunc expreſſo modo vacantem, cum illius Domo, ſeu Domibus, ac Viridario, & Ciſterna, aliiſque membris, juribus, & pertinentiis ſuis dictæ Domui Regulari, ad effectum inibi unam Infirmariam pro curandis dictis Fratribus infirmis conſtruendi, & ædificandi, de dictæ Eccleſiæ Patronorum conſenſu, per ſuas literas perpetuò univerat, annexuerat, & incorporaverat, ſeu conceſſerat, & aſſignaverat; dictique Fratres piis Chriſtifidelium eleemoſynis terrenum, & quaſdam Domos vicinas emi curaverant, ſuiſque labore, & operâ, ac induſtria Infirmariam hujuſmodi ibidem conſtruxerant, ac illa eatenus uſi fuerant, & ſubinde quondam Hieronymus Comes in ſuo ultimo Teſtamento Hoſpitale prædictum hæredem univerſalem bonorum ſuorum inſtituerat, & per viam legati diſpoſuerat, quod Rector, ſeu Adminiſtrator dicti Hoſpitalis tunc exiſtens deberet eiſdem Fratribus conſtrui facere unam novam Infirmariam in loco eis bene viſo & commodo, ea conditione, quod ipſi Fratres antiquam Infirmariam prædictam Hoſpitali concederent, & ſucceſſivè Nos ſupplicationibus Guardiani, & Fratrum prædictorum Nobis in ea parte porrectis etiam inclinati, Vicario tunc exiſtentis Archiepiſcopi Meſſan., per alias noſtras deſuper in forma Brevis expeditas literas dederamus in mandatis, quatenus dictam Infirmariam antiquam cum ſuis Domibus, terrenis, juribus, & pertinentiis ſuis ab eadem Domo Regulari authoritate noſtra perpetuò diſmembraret, & ſepararet, illamque ſic diſmembratam, & ſeparatam dicto Hoſpitali etiam perpetuò concederet: denique Guardiano, & Fratribus prædictis in dicta nova Infirmaria, poſtquam conſtructa foret, habitandi licentiam & facultatem authoritate noſtra elargiretur; prout in ſingulis literis prædictis pleniùs continetur. Cum poſtmodum prædictus Antonius de dicta Eccleſia tanquam per obitum quondam Joſephi Regillo illius, dum viveret, Rectoris extra Romanam Curiam defuncti vacante, ordinaria ſibi authoritate provideri obtinuiſſet, ac priores, eò quod ipſi Guardianus, & Fratres in illis fructus, redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ nullos eſſe per errorem aſſeruerant, poſteriores verò literas hujuſmodi, ob non factam in eis mentionem unionis, annexionis, & incorporationis prædictarum, invalidas, ſeu nullas, vel ſaltem ſubreptitias, & obreptitias eſſe pateret, liſque & controverſia inter eoſdem Guardianum & Fratres, ac Rectorem & Gubernatorem, nec non Antonium prædictos deſuper orta, ſeu oriri formidaretur, tandem ipſi cupientes litem & cauſam hujuſmodi evitare, laboribuſque & expenſis parcere, nonnullorum forſan communium amicorum interventu, ac aliàs pro bono pacis ad infraſcriptam ſub Noſtro, & Sedis prædictæ beneplacito, verbis, vel in ſcriptis devenerunt Concordiam, videlicet, quod Antonius liti, & cauſæ hujuſmodi, & tam ipſe Guardianus, quàm Fratres omni, & cuicumque juri, & actioni eis in dicta Eccleſia, & ad illam quomodolibet competentibus, ac per eos prætenſis, in manibus noſtris ſponte, & liberè, in favorem tamen dicti Hoſpitalis, ad hoc, ut poſteriores literæ prædictæ ſuum ſortiantur effectum, ac reſervatis eidem Antonio dictæ Eccleſiæ fructibus, cedere, Rectores & Gubernatores prædicti eidem Antonio triginta uncias monetæ illarum partium, ſummam quinquaginta Ducatorum Auri de Camera, vel circiter conſtituentes, pro evitandis expenſis in progreſſu litis hujuſmodi ob præmiſſa à Rectoribus & Gubernatoribus dicti Hoſpitalis de neceſſitate faciendis poſt obtentum beneplacitum hujuſmodi realiter, & cum effectu ſolvere debeant, & tenerentur, prout in publico Inſtrumento deſuper forſan confecto dicitur contineri. Quare pro parte Guardiani & Fratrum, ac Rectorum & Gubernatorum, nec non Antonii prædictorum aſſerentium dictæ Eccleſiæ, & illi forſan annexorum fructus, redditus, & proventus duorum Ducatorum auri de Camera cum uno tertio alterius ſimilis Ducati ſecundùm communem exiſtimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Concordiæ prædictæ, pro illius firmiori ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui pacem & quietem inter Chriſtifideles quoslibet vigere ſinceris deſideramus affectibus, & in quorum manibus Antonius liti & cauſæ, & tam ipſe, quàm Guardianus, & Fratres prædicti juri hujuſmodi, pro dictæ Concordiæ complemento ſponte, & liberè ceſſerunt, quique ceſſiones hujuſmodi duximus admittendas, ſingulares perſonas Guardiani & Fratrum, ac Rectorum & Gubernatorum, nec non Antonii prædictorum à quibuſvis excommunicationis &c. abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, poſterioribus ſupplicationibus hujuſmodi ſimiliter inclinati, Diſcretioni Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus,

mus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, de præmiſſis diligenter Te informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe reperies, Concordiam prædictam, illiuſque vim, formam, continentiam, & tenorem dicta auctoritate Noſtra approbes, & confirmes, illique perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adijcias, ac omnes, & quoſcumque tam juris, quàm facti defectus cogitatos, vel non cogitatos, ſi qui principaliter, vel acceſſoriè intervenerint, in eiſdem ſuppleas. Et nihilominus unionem, annexionem, & incorporationem prædictas authoritate noſtra perpetuò diſſolvas, ac dictam Eccleſiam, quæ ſine cura eſt, ſive per diſſolutionem hujuſmodi, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona, ſeu per liberam reſignationem dicti Joſephi, vel cujuſvis alterius de illa in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos alios lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datarum præſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quæſitum, cum annexis hujuſmodi, nec non Infirmariâ antiquâ, ac Domo, ſeu Domibus, & Terreno, aliiſque juribus, & pertinentiis ſuis à dicta Domo Regulari authoritate noſtra præfata etiam perpetuò diſmembres, & ſepares, illamque ſic diſmembratam, & ſeparatam eidem Hoſpitali authoritate noſtra prædicta perpetuò concedas, & aſſignes, ita quod liceat illius Rectoribus, & Gubernatoribus nunc, & pro tempore exiſtentibus per ſe, vel alium, ſeu alios dicti Hoſpitalis nomine corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem Eccleſiæ, & antiquæ Infirmariæ, nec non Domûs, & Domorum, ac terreni & pertinentiarum prædictarum propria authoritate liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, illorumque fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque poſt obitum dicti Antonii percipere, colligere, exigere, & levare, ac in dicti Hoſpitalis uſus, & utilitatem convertere, & eodem Antonio vita functo, Eccleſiam prædictam profanare, & ad profanos uſus, non tamen ſordidos, reducere, illiuſque cœmenta, trabes, rudera, & reliquam illius maceriem ſimiliter in uſus ejuſdem Hoſpitalis convertere, Diœceſani Loci, vel cujuſvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ, cum hoc tamen, quod omnia onera dictæ Eccleſiæ incumbentia per unum Cappellanum per eos eligendum, & ab Ordinario Loci approbandum, adimpleri, & ſupportari facere, ipſeque Cappellanus pro tempore exiſtens preces ad Omnipotentem pro Animabus Fundatorum dictæ Eccleſiæ in uno ex Altaribus Eccleſiæ dicti Hoſpitalis continuò fundere debeat, & teneatur. Præterea ipſis Guardiano, & Fratribus nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut dictam novam Infirmariam, poſtquam inſtructa & ædificata fuerit, recipere, & illam perpetuò futuris temporibus inhabitare, eaque frui, & gaudere liberè & licitè poſſint & valeant, dicta authoritate noſtra etiam concedas & indulgeas. Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque, aut, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrârint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſecuta quæcunque ad dictam ſine cura Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, & indultis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus eorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: per præſentes autem non intendimus dictum juſpatronatus in aliquo approbare.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſextodecimo, decimo Kalendas Auguſti, Pontificatus Noſtri Anno duodecimo.

Exemplar in Arch. Generali Ordinis Arm.
Provincia Meſſanenſis.

NOTA

N O T A.

COquinam Conventûs aquis undique ſeptam ad locum opportuniorem transferri, cellaſque eidem ſuperimponi petitum, & indultum eſt, ut ſequitur:

Meſſanen.

Conventus Capucinorum habet Coquinam aquis undique circumdatam; & humentem, ac expoſitam ingreſſui Sæcularium, qui indecenter ingredientes multoties Ollas revolvunt, & quandoque alia ad illius uſum accomodata furantur, cui malo occurrere ſatagens P. Hilario Conventûs Guardianus, procuratâ neceſſariâ eleemoſynâ ſtatuit eamdem Coquinam in ſitu remotiori, & viciniori PP. Triclinio conſtruere, eidem ſuperimponendo diverſas Cellulas pro eorumdem commoditate, qui quandoque ob Conventûs anguſtiam contra formam Conſtitutionum coguntur numero duorum, & trium in eodem cubiculo cubare, & ad hunc effectum reportavit neceſſariam licentiam à ſuis Superioribus Regularibus. Timens tamen opus jam deſtinatum remorari poſſe à ſuis malevolis, ſupplicat pro confirmatione dictæ licentiæ ab enarratis ſuis Superioribus obtentæ.

Die 14. Junii 1704. Sacra Congregatio Concilii, ad quam Sanctiſſimus Dominus Noſter ſupplicem hunc libellum remiſit, attenta relatione Archiepiſcopi Meſſanen., benignè commiſit eidem, ut, veris exiſtentibus narratis, poſtquam compererit in evidentem Conventûs utilitatem fore ceſſuram, petitam facultatem aliò transferendi Coquinam, & novas Cellulas ædificandi pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratori gratis impertiatur.

B. Cardinalis Panciaticus Præfectus.

Ex Regeſto ſeu libro 54. Sac. Congreg. prædictæ fol. 247.

Monaſterium ſuppreſſæ Congregationis FF. Minorum Conventualium Reformatorum Loci Roccæ Fratribus noſtris cum omnibus juribus &c. conſignari mandat.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Meſſanenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ALiàs fel. rec. Sixto Papæ V. Prædeceſſori Noſtro pro parte dilectorum Filiorum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum S. Franciſci expoſito, quod ipſi ſtrictiorem vitam agere, & ſe reformare cœperant, aliquoſque Conventus acquiſierant, & in iis ſub obedientia Protectoris, & Superiorum Ordinis hujuſmodi vivebant, idem Sixtus Prædeceſſor, ne ipſos Fratres Reformatos, eorumque Congregationem ſuper Reformatione hujuſmodi inquietari contingeret, ſupplicationibus eorumdem Fratrum Reformatorum nomine ſibi humiliter porrectis inclinatus, Reformationem prædictam ubique locorum cæptam, & introductam, & ex tunc in dies introducendam, ac pro ea, & illius felici directione facta ſtatuta, & ordinationes cum inde ſecutis quibuſcumque Apoſtolica Auctoritate perpetuò approbavit, & confirmavit: noviſſimè autem per Nos accepto, ex Congregatione Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi non eos in Eccleſia Dei ſpirituales fructus, qui ſperabantur, prodiiſſe, ſed plures differentias inter eoſdem Fratres Reformatos, & Fratres Conventuales non Reformatos ortas eſſe, & pariter vigere, Nos præmiſſis obviare, ac aliàs deſuper opportunè providere volentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ex præmiſſis, aliiſque juſtis & rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, Congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, omnia & quæcumque illius officia, & miniſteria, necnon Domos & loca Regularia quæcumque, & in quibuſvis Provinciis exiſtentia, & ad eos ſpectantia, ac ſtatuta, & conſuetudines, & decreta, necnon privilegia, & indulta tam ſpecialia, quàm generalia perpetuò ſuppreſſimus, & extinximus, ac ab eiſdem Fratribus Conventualibus Reformatis Domos, Conventus, & loca, ac bona mobilia, & immobilia, & ſe moventia ubique gentium conſtituta, ſacram quoque & communem ſuppellectilem, ipſorumque omnium uſum, uſufructum, adminiſtrationem, & poſſeſſionem ſpiritualem, & temporalem, necnon jus, & actionem eis quomodolibet competentia abſtulimus, & ablata eſſe, & cenſeri voluimus; Necnon Domos, Conventus, loca, ſuppellectilem, bona, res, actiones, & jura prædicta, eorumque proprietatem Ordini Fratrum Minorum S. Franciſci Conventualium nuncupatorum certis modo, & forma tunc expreſſis conceſſimus, & aſſigna-

gnavimus, aliaq; fecimus, ſtatuimus, & ordinavimus, prout in dicti Sixti Prædec. ſub plumbo, & Noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut accepimus, dilecti Filii Fratres Minores Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci Capucini nuncupati pro ſuis uſu, & habitatione, Domo Regulari ſuppreſſæ Congregationis hujuſmodi loci Roccæ Meſſanen. Diœceſis maximè indigeant, & dilectus etiam Filius Miniſter Generalis eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, ut Domus Regularis prædicta eiſdem Fratribus Capucinis concedatur, expreſsè conſenſerit. Nos ad eximios, atque multiplices fructus, quos ipſi Fratres Capucini ardenti Religionis zelo, & ſpectatâ toto Orbi Regularis Diſciplinæ obſervantiâ, ac jugiter ſpiritualium operum exercitio in Vinea Domini afferunt, paternæ dirigentes conſiderationis intuitum, dignum, quin potius debitum reputavimus, eorumdem Fratrum Capucinorum neceſſitatibus aliqua in parte conſulere. Itaque eoſdem Fratres Capucinos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut attento conſenſu præfato, Domum Regularem ſuppreſsæ Congregationis hujuſmodi dicti loci, cum omnibus & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, Fratribus Capucinis prædictis, quos Procurator Generalis ejuſdem Ordinis ad hoc deputandos duxerit, auctoritate Noſtra concedas & aſſignes, inducens eos dicta auctoritate per Te, vel per alium, ſeu alios in corporalem, realem, & actualem poſſeſsionem Domûs Regularis, ac jurium, & pertinentiarum ſuarum hujuſmodi; Contradictores quoslibet, & rebelles per ſententias, cenſuras, & pænas Eccleſiſticas, aliaque juris, & facti opportuna remedia, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachii Sæcularis. Non obſtantibus litteris Noſtris prædictis, ac quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinum præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum omnium tenores pro plenè & ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum in Arce Gandulfi Albanenſis Diœceſis, ſub Annulo Piſcatoris die XX. Octobris MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

V. Theatinus.

Autographum in Archivo Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſis & anni præd. fol. 37. & Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Venditionem ſitûs antiquæ Domûs Oppidi Caſtri Regalis, & converſionem pretii redacti in fabricam novæ Domûs factas confirmat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilecti Filii moderni Provincialis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Meſſanenſis Nobis expoſitum fuit, quòd circa Annum 1624. decretum fuit in Capitulo Provinciali dictæ Provinciæ Domum Regularem dicti Ordinis in Oppido Caſtri Regalis Provinciæ Meſſanen. olim fundatam, ob aëris intemperiem ad alium ſalubriorem ſitum transferre, cumque pro nova Domo Regulari fabricanda neceſſarium eſſet veterem ſitum alienare; dicti Exponentis Prædeceſſor debitis modis eam per Syndicum Dilecto Filio Thomæ Cucuza dicti Oppidi Incolæ juſto pretio vendidit, promittens illi pro ſecuritate venditionis dictæ, illius approbationem à Sede Apoſtolica impetrare.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Exponens venditionem hujuſmodi, illiuſq; pretii converſionem in novæ Domûs hujuſmodi fabricam factam, Apoſtolicę Noſtrę cōfirmationis robore communiri ſummopere deſideret, Nos illum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus illius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, venditionem dicti ſitûs veteris, ad effectum novam Domum Regularem hujuſmodi fabricandi, illiuſque pretii

dato Sac. Congregationis per ſuas literas denunciaret in omnibus Provinciis Ordinis ejectiones Profeſſorum propria ſolùm auctoritate à Superioribus Ordinis fieri non poſſe, & ſi fiant, eſſe ipſo jure nullas, additâ etiam pœnâ privationis Officii, & vocis tam activæ, quàm paſſivæ ipſo facto incurrenda per eos, qui deinceps contrafecerint =, & conſonant alia duo Decreta, nempe editum die prima Septembris 1691. in *Syracuſana* ejectionis Sacerdotis Ioannis Latina Profeſſi in Religione Sancti Franciſci Minorum de Obſervantia dimiſſi ex inſanabili morbo lepræ inconſulto Ordinario, & alterum die 22. Septembris 1691. in *Cameracen.* Ejectionis Guglielmi Lelſviſſe Profeſſi in Monaſterio S. Dionyſii Ordinis Sancti Benedicti pariter à Superioribus Religionis Ordinario inconſulto ejecti ob aſſertam luem veneream & contagioſam.

Quibus ita ſe habentibus, peculiaris tantùm quæſtio videtur inſtitui poſſe ſuper ſingulari admodum privilegio, quo Catanenſis Epiſcopus aſſerit decoratum Curiæ ſuæ Tribunal, & cujus vi contendit ſibi licere de nullitate Profeſſionis à Regularibus emiſſæ tam decurrente quinquennio, quàm eo jam elapſo, nullâ licèt ab Apoſtolica Sede in integrum reſtitutione impetratâ, cognoſcere, Superioribus Religionis etiam non auditis; quodque amplius eſt, tametſi Regularis à Profeſſione reclamans, non intra Diœceſis ſuæ fines, ſed in quacunque totius Regni Siciliæ parte illam emiſerit, dummodo, quum reclamat, in aliquo Diœceſis ſuæ loco ex obedientia Superiorum conſtitutus reperiatur. At, quia tenor aſſerti hujus privilegii non exhibetur, imò verò neque exhiberi poſſe affirmatur, tributâ ejus jacturâ repetitis Terræmotuum & Incendiorum infortuniis, ob quæ plurimi Codices Catanæ periere, ponderandum erit, num ſimplex ejuſdem Privilegii aſſertio aliunde non comprobata, de quo nulla hactenus apud Apoſtolicam Sedem cognitio fuit,& cujus mentio fortaſſe doceri nequit, nec ab ullo ex probatis Authoribus unquam habita ejus momenti ſit, quanti æſtimatur ab Epiſcopo Catanenſi.

Interea verò, ne forte obtrudatur, generalem in Regno Siciliæ vigere conſuetudinem non adeundi Sanctam Sedem pro obtinenda in integrum reſtitutione adversùs lapſum quinquennii, præſtat hìc recenſere Cauſas plurium Religioſorum utriuſque ſexûs, qui de nullitate Profeſſionis ſuæ dicturi, hoc eodem ſæculo decurrente, ad Apoſtolicam Sedem in hunc finem reclamârunt, & quorum petitiones fuère in hoc Supremo Senatu diſcuſſæ: id nimirum contigit in *Meſſanen. Reſtitutionis in integrum* propoſita ad inſtantiam Fr. Nicolai Pagani Ordinis Eremitarum S. Auguſtini *diebus 8. Maii & 21. Auguſti* 1706. *lib. Decret.* 56. *pag.* 148. *&* 283. *in Melevitana ſeu Panormitana Reſtitutionis in integrum* Fr. Joannis Baptiſtæ Formoſa Ordinis Carmelitarum *die* 9. *Aprilis* 1712. *lib. Decret.* 62. *pag.* 111, *in Syracuſana Reſtitutionis in integrum* Sororis Annæ Antoniæ Conſulo Monialis S.Antonini, Oppidi Francifontis *diebus* 13. *Julii*, *&* 3. *Auguſti* 1715. *lib.* 65. *Decret. pag.* 299. *&* 335. *in Agrigentina Reſtitutionis in integrum* Fr. Nicolai Lombardo Ordinis Min. Obſerv. *diebus* 11. *Januarii*, 25. *ejuſdem menſis*, *&* 28. *Martii* 1716. *lib.* 66. *Decret. pag.* 4. 27. *&* 134. *in Siculana Nullitatis Profeſſionis* Fr. Gregorii de Bronte Ordinis Minorum Obſervantium *diebus* 18. *Maii*, *&* 27. *Julii* 1726. *lib.* 76. *Decret. pag.* 257. *&* 385. *in Panormitana Reſtitutionis in integrum* Sororis Urſulæ Felicis Migliacci Profeſſæ in Monaſterio S.Mariæ Montis Oliveti *die* 10. *Martii* 1731. *lib.* 81. *Decret. pag.* 138. *in Panormitana Reſtitutionis in integrum* Ioſephi Alcello Profeſſi in Ordine Excalceatorum de Mercede *die* 14. *Martii* 1733. *lib.* 28. *lit....* & demum noviſſimè *in Panormitana Reſtitutionis in integrum* Hieronymæ Andres Profeſſæ in Monaſterio Sanctiſſimi Salvatoris Civitatis Panormi 26. *Septembris anni* 1739. *nuper elapſi*; quibus omnibus apprimè conſonat diſpoſitum in Conſtitutione *de ratione pertractandi*, *& definiendi Cauſas Eccleſiaſticas in Regno Siciliæ ultra Pharum* à S. M. Benedicto XIII. ſub annum 1728. tertio Kalendas Septembris promulgata, ubi præ cæteris expreſsè ſtatuitur, *ut Cauſæ Nullitatis Profeſſionis tam ante, quàm poſt elapſum quinquennium ad normam omninò Sacrorum Canonum*, *& Sacri Concilii Tridentini Seſſ.* 25. *de Regul. cap.* 19. *cognoſcantur*, *& terminentur*, = quemadmodum videre eſt in §. 32. dictæ Conſtitutionis in fine.

Ceterùm præteriri non debet, hodiernum Epiſcopum Catanæ, qui ad Eccleſiam hanc fuit à Pactenſi translatus ſub finem anni 1729., vix iſtius Epiſcopalis Sedis poſſeſſionem adeptum, controverſam, quam ſibi aſſerit, facultatem concedendi reſtitutionem in integrum cœpiſſe illico exercere, uti conjicitur ex literis ab hac Sacra Congregatione ad eumdem datis die 9. Auguſti 1732., quæ ſic habent = *Quamquam Sanctiſſimo D. N.*, *& huic S. Congreg. Concilii fuerit pro certo aſſirmatum*, *Amplitudinem Tuam nonnullas protuliſſe Sententias pro prætenſa nullitate Profeſſionis favore Religioſorum poſt elapſum quinquennium à die eorum emiſſæ Profeſſionis non obtentâ prius à S. Sede reſtitutione in integrum adversùs illius lapſum*, *necnon ad favorem aliorum*, *qui extra iſtam Diœceſim Profeſſionem emiſerunt*, *contra diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini*, *nihilominus bene viſum fuit Sanctitati Suæ*, *& Eminentiſſimis Patribus hanc credulitatem ſuſpendere*, *donec ipſa de hoc ſibi impiſto procedendi modo apud hanc*

hanc Sacram Congregationem ſe juſtificet. Quomodo itaque ſe res habeat, prædictam S. Congregationem informet, tranſmittendo notulam Religioſorum ita egreſſorum cum diſtincta expreſſione temporum eorum emiſſæ Profeſſionis, ac Religionis, in qua profeſſi ſunt, necnon Sententias deſuper latas, eidem ulteriùs injungendo Eminentiſſimi PP., ut in hujuſmodi Cauſis, ſervatis ſervandis in poſterum procedat, illaſque dumtaxat Cauſas nullitatis cognoſcat, quæ intra quinquennium à die Profeſſionis introductæ fuerint, conjunctim cum Superiore locali, non autem Cauſas Religioſorum exterorum, & poſt lapſum quinquennium abſque prævia reſtitutione in integrum ab Apoſtolica Sede impetranda. Tenet ergo Amplit. Tua Sacræ Congregationis Sententiam, cui ſe conformet &c. =, neque poſthac ab ejuſdem prætenſæ facultatis uſu abſtinuiſſe præfatum Antiſtitem, ſatis exploratum redditur ex enunciata ejus Epiſtola. Et hæc ea ſunt, quæ propiùs contentionem Catanenſis Epiſcopi ſpectare videntur.

Quoniam verò plures, uti ſupra indicatum eſt, ſub clypeo prædictarum Sententiarum comperiuntur Regulari Habitu jam exuti, ac eorum nonnulli poſtulant ſibi fieri poteſtatem celebrandi Miſſam, de his pariter deliberare oportet, quæ methodus, ſive ratio ſervanda ſit tam ſuper ipſorum reditu ad Clauſtra, ubi perperam ab iis dimiſſi judicentur, quàm circa ulteriorem ejuſmodi cauſarum proſecutionem, quoties iſta vel à Religione, vel ab iiſdem ex illa egreſſis urgeatur. Itidemque decernendum erit, num eorum precibus ſuper petita facultate celebrandi Miſſam interea præſtet annuere, tum ſi iidem extra Clauſtra degentes congruo Beneficio, aut Patrimonio ſe doceant proviſos, tum ſi utroque careant, ac ſe orbatos ultrò fateantur.

In memorata cauſa Sacerdotis Franciſci Leanza dimiſſi ab Ordine Minorum Conventualium per Superiores Religionis abſque interventu & Judicio Ordinarii, noluit Sacer iſte Senatus facere illi poteſtatem celebrandi Miſſam in ſtatu Presbyteri Secularis, ſed ejuſdem reditum ad clauſtra, in quibus Habitum Regularem reſumeret, imperavit, ut inde cauſa allegatæ nullitatis Profeſſionis cognoſci poſſet; indulſit tamen, ut Archiepiſcopus Panormitanus Cauſam ex integro conficeret, & conſtito ſibi de cauſis reſtitutionis in integrum adverſus lapſum quinquennii audito Superiore Locali, eam poſſet auctoritate Sacræ Congregationis impertiri, deindeque cum eodem Superiore Locali, prout juris foret, ſuper nullitate Profeſſionis judicium ederet. Par facultas concedendi reſtitutionem in integrum adversùs lapſum quinquennii tributa fuit eidem Archiepiſcopo Panormitano in enunciatis cauſis Sororis Urſulæ Felicis Migliacci, & Joſephi Alcello. In quadam verò *Agrigentina* preces Sacerdotis Vincentii Pariſi, qui exponenes ſe Profeſſionem emiſiſſe in Ordine Carmelitarum circa annum 1705., & obtinuiſſe ab Ordinario Agrigentino ſub annum 1718. eam invalidam declarari, rogabat ſibi permitti Miſſæ celebrationem, die 19. Julii 1732. rejectæ fuerunt, ac unâ ſimul injunctum Epiſcopo, ut recognoſceret, an Orator obtinuiſſet à Sede Apoſtolica reſtitutionem in integrum, & quatenus de iſta non doceretur, eundem cogeret reſumpto Habitu regulari ad clauſtra redire.

Jam verò ne lateant Eminentiſſimos PP. nomina, ſuſceptus Religionis Ordo, & præſens ſtatus eorum, quorum hactenus S. huic Congregationi delatæ ſunt preces, utque ſingulis queat opportunum aptari reſcriptum ab uniuſcujuſque defenſore non ſemel expetitum, eorumdem Cathalogus hic adnectitur.

Joſeph Borgh ſub annum 1711. Profeſſionem emiſit in Ordine Eremitarum S. Auguſtini aſſumpto nomine Michaëlis Angeli; die verò 23. Novembris 1736. à Vicario Generali Archiepiſcopi Meſſanenſis conjunctim cum Priore Conventûs dicti Ordinis ſententiam obtinuit pro nullitate ſuæ Profeſſionis: Nunc autem congruo proviſus Patrimonio Melitæ degit.

Ioannes Bonelli in eadem Auguſtinianorum Religione Panormi Profeſſus anno 1722. nullam obtinuit declarari ſuam Profeſſionem à Curia generali Catanenſi ſub diem 12. Decembris 1735. & ipſe quoque in Diœceſi Melevitana, ubi ſufficiens Patrimonium ſibi conſtituit, hodie commoratur.

Guillelmus Petrollo Agrigentinus in Religione Capucinorum Profeſſiionem emiſit anno 1711. hanc autem invalidam declaravit anno 1736. Curia Archiepiſcopalis Panormitana: degit ille modò in Diœceſi Agrigentina congruo Patrimonio ſuffultus.

Archillius Chiarelli in Conventu Minorum Conventualium S. Franciſci Agrigentinæ Diœceſis ſolemnia circa annum 1710. nuncupavit Regularis Profeſſionis vota, quæ ſub obtentu luis venereæ in illo poſtmodum detectæ invalida declaravit Religio ſub annum 1731., irrequiſito Ordinario: Patrimoniô æquè, ac Beneficiô hactenus ille carere dicitur.

Fr. Fidelis â S. Philippo jam diu Profeſſus Ordinis Capucinorum in Conventu Diœceſis Syracuſanæ facultatem anno 1738. obtinuit à Curia Epiſcopali Catanenſi egrediendi ê clauſtris ſuæ Religionis, nullo ex Regularibus Superioribus audito.

Ioſeph Leonardi anno 1725. Profeſſionem emiſit inter Fratres Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci in Conventu Diœceſis Catanenſis, ibique

ibique uſque ad Ordinem Diaconatûs Promotus eſt; impetravit deinde ſub diem 22. Octobris 1733. nullam à Curia Epiſcopali Catanæ declarari ſuam Profeſſionem, & modò degens in Diœceſi Syracuſana, ex qua orignem trahit, ad Presbyteratum cuperet promoveri, tametſi integrum juxta taxam Synodalem ſuæ Diœceſis non obtineat Patrimonium.

Georgius Orecchi Profeſſus uſque ab anno 1715. in Ordine Eremitarum S. Auguſtini ſub nomine Michaëlis Angeli ſententiam pro nullitate ſuæ Profeſſionis obtinuit die 3. Februarii 1739. ab Epiſcopali Curia Catanenſi, Patrimonio autem non minus, quàm beneficio carens facultatem exorat celebrandi in Diœceſi Syracuſana ſuo Patrio ſolo.

Iulius de Geraci in Ordine Capucinorum jamdiu Profeſſus ſub initium anni 1739. ſententiam à Curia Epiſcopali Cephaludenſi unà cum Superiore Regulari eſt aſſecutus ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis: Integrum autem Patrimonium ſibi conſtitui non poſſe fatetur.

Xaverius Siciliani de Mazarino à multo jam tempore Religionem Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci in Conventu Syracuſanæ Diœceſis Profeſſus facultatem nuper obtinuit dimittendi Habitum Regularem ab Ordinario Catanenſi, in cujus ſententia facta fuit illi poteſtas Miſſam celebrandi per quatuor menſes, dummodo intra illos de congruo provideretur Patrimonio, quo tamen hactenus caret.

Vitus Lerna in Ordine Capucinorum anno 1722. Profeſſus à Definitorio Fratrum Provinciæ Syracuſanæ ſub diem 4. Octobris anni 1738. declaratus fuit nulliter Profeſſus ex eo, quod luem veneream, qua laborabat, tempore Profeſſionis, reticuit, ſufficienti Patrimonio in Diœceſi Syracuſana, ubi degit, proviſus aſſeritur.

Antonius Aleſſandria itidem Diœceſis Syracuſanæ, & in Ordine Capucinorum Profeſſus à Superioribus ejuſdem Religionis Ordinario non audito, è Clauſtris dimiſſus fuit die 12. Septembris 1737. ſub obtentu nullitatis votorum ob conſimilem morbum ante Profeſſionem ab ipſo contractum, atque celatum: Hunc autem Patrimonio penitùs deſtitutum libellus ipſe ejus nomine porrectus exhibet.

Præter hos noviſſimè acceptum eſt, tres alios Sacerdotes, nimirum Michaelem Angelum à Modica, & Cœleſtinum pariter à Modica Germanos Fratres Provinciæ Syracuſanæ, necnon Antonium à Farzomina Provinciæ Meſſanenſis jamdiu Profeſſos in Ordine Capucinorum Regularem Habitum depoſuiſſe in vim ſententiæ ab Ordinario Catanenſi ſub annum proximè elapſum prolatæ, nec aliud quidquam de ipſis hactenus innotuit, cum nullæ preces eorum nomine fuerint adhuc expoſitæ.

His itaque omnibus maturè perpenſis, unà cum juribus facilè proferendis à Procuratore Epiſcopi Catanenſis de propoſitione præſentis Cauſæ opportuno tempore monito, quippe qui in actis hujus Secretariæ, ne quidquam in ejuſmodi negotio, ipſo inaudito, decerneretur, adnotationem, quæ vulgò dicitur = *Nihil tranſeat* = jam dudum appoſuit, rogantur Eminentiſſimi Patres pronunciare.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Die 24. Septembris 1740. *S. Congregatio Emin. S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit providendum eſſe juxta modum à Dño Secretario explicandum, facto verbo cum Sanctiſſimo.*

Modus autem eſt, quod ſcribatur Epiſcopo Catanenſi, aliiſque Præſulibus Provinciæ Siculæ nullum Epiſcopum ſive Ordinarium, inaudito Superiore Regulari Conventûs, in quo fuit emiſſa Profeſſio, neque ullum Superiorem Regularem independenter ab Epiſcopo, vel Ordinario poſſe ſub pœna privationis officii, & vocis activæ, ac paſſivæ ipſo facto incurrenda, cauſas nullitatis Profeſſionis agnoſcere, ſed eas conjunctim ab iiſdem Epiſcopo vel Ordinario Loci, ac Superiore Regulari eſſe decidendas, ſive Profeſſionis invaliditas à Religioſis, ſive ab ipſa Religione ex quocunque capite proponatur: reſtitutionem verò in integrum adversùs lapſum Quinquennii, quod à die Profeſſionis decurrit, etiamſi perduraverit cauſa metûs, aut aliquod aliud impedimentum fuerit ad reclamandum interjectum, à S. Sede omnino eſſe impetrandam juxta Decreta aliàs edita, non obſtante qnacunque contraria conſuetudine, etiam immemorabili, & quolibet aſſerto privilegio. Religioſos autem, de quibus agitur, & quorum Profeſſio contra formam S. Concilii declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni reſumere Habitum, & ad clauſtra redire, tam pro obtinenda à S. Sede reſtitutione in integrum, quatenus illa indigeat, quàm pro inſtituendo judicio, ſervatis ſervandis, ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis, quatenus hanc velint deducere: eoque termino elapſo, ſi non paruerint, habendos eſſe tanquam Apoſtatas, Et tandem quoad licentiam ab ipſis petitam celebrandi, firmâ pro nunc manente eorum ſuſpenſione, ſeorſim deinceps providebitur, juxta ſingulorum preces & circumſtantias. Hanc verò reſolutionem ſignificandam eſſe Procuratoribus Generalibus Ordinum, qui Superiores Locales de illa moneant, & S. Congregationem de executione certiorem reddant. Factâque de præmiſſis per infraſcriptum Secretarium relatione Sanctiſſimo, Sanctitas Sua prædictam S. Congre-

gregationis Sententiam in omnibus approbavit die 28. *Septembris* 1740.

A. Card. Gentili Præf.

C. A. Archiep. Philip. Secret.

Ex Theſauro Reſolutionum dictæ S. Congregationis anni 1740. *tomo* 9. *fol. mihi* 41. *& fol.* 138.

Altare Capellæ B. V. Mariæ Eccleſiæ Panormitanæ privilegiat, privilegio Altari SS. Crucifixi in perpetuum conceſſo non obſtante.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM, ſicut dilecti Filii moderni Miniſter Provincialis Provinciæ Panormitanæ, & Guardianus Conventûs Civitatis Panormitanæ Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, nonniſi Altare SS. Crucifixi in Eccleſia dicti Conventûs ſitum Privilegio Apoſtolico pro Animabus Chriſtifidelium defunctorum à pænis Purgatorii liberandis ſingulis diebus perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum, decoratum reperiatur; in dicta verò Eccleſia ſexaginta Miſſæ quotidie celebrentur, ſed tot Miſſæ ad illic celebrandum ſatiſfieri nequeant, multòque minùs ibidem celebrari poſſint aliæ Miſſæ, quas Chriſtifideles pro Defunctis celebrari flagitant, & propterea ipſi Exponentes Altare B. M. V. in eadem Eccleſia ſitum ſimili Privilegio à Nobis decorari plurimùm deſiderent. Nos dictos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis Excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pęnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, ut, quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujuſvis Ordinis Regularis Miſſam Defunctorum pro Anima cujuſcumque Chriſtifidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad Altare prædictum B. M.V. celebraverit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii indulgentiam conſequatur; ita, ut ejuſdem D. N. J. C., ac B.V. M., Sanctorumque omnium meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorii pęnis liberetur, concedimus, & indulgemus, in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Aprilis MDCCXLII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

D. Card. Paſſioneus.

ADDITIO.

SUnt & alia Decreta duo ſub hujus Provinciæ nomine emanata, quæ cum inter præpoſita Documenta locum oppottunum non repererint, aliàſque notatu & ſcitu digna cenſeantur, hîc annectuntur. Primo illorum fructûs præhabiti Canonicatûs Novitio tempore peobationis deberi per litteras Illmo Domino Archiepiſcopo Panormit. inſcriptas ſignificatur, ut ſequitur.

Reverendiſſime Domine uti Frater. Sub nomine Fr. Illuminati Capucini Novitii, qui in Sæculo Dominicus Petrus Marzius vocabatur, Sacræ Congregationi fuit expoſitum, quod, cum ipſe illius Eccleſiæ eſſet Canonicus, unus videlicet eorum S. Joannis de Eremitis, poſt illius in Religionem ingreſſum Collegæ lucrum fructuum anni probationis vigore & prætextu Statuti, quo Canonicus per octo menſes non reſidens, fructibus Canonicatûs privatur, prætendant, cum econtra ille aſtruat, quod ingreſſus in Religionem & Novitiatum juſta & ſufficiens videatur cauſa, quæ eum de prædicta Reſidentia excuſet, ideoque pro fructibus ipſi competentibus, ad providendum iis, quæ in Sæculo reliquit, inſtet, & quidem antequam Profeſſionem, quæ jam vicina dicitur, emittat. Ad quod dum Illuſtriſſimi Domini mei maturè deliberârunt, viſum iis fuit, quod Statuto prædicto non obſtante, Novitio prædicto fructus Canonicatûs, non vero diſtributiones dari debeant, mihique Amplit. Tuæ ſcribi mandârunt, quatenus illos iis, in quorum favorem Novitius diſponet, ſolvi curet. Ita amplit. Tuæ exequetur, dum &c. Romæ 6. Auguſti 1585.

Ex regeſto Secret. Congr. Epiſc. & Regul. anni & menſis præd. fol. 143.

In prologo hujus Provinciæ inter P. Hieronymi à Politio Miniſtri Generalis merita, fuiſſe recenſitam Expoſitionem in noſtram Sacram Regulam à prædicto Patre typis vulgatam, Lector facilè reminiſcetur, inde & hîc pro pleniore notitia advertet, quod dictum opus in primo ſuo partu nonnullos habuerit anfractus, & ideo fuerit prohibitus Decreto ſequente.

Nos Julius Antonius tituli S. Mariæ Trans Tyberim, S. Severinæ, & Auguſtinus tt. SS. Joannis

nis & Pauli Cuſanus nuncupati, Miſeratione divina Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinales, Congregationis Fratrum Capucinorum, & Fratrum Conventualium Ordinis Minorum reſpectivè Protectores à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati, quibus menſibus præteritis à Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Clemente divina providentia Papa VIII. commiſſa fuit reviſio & cenſura libri inſcripti Expoſitio Fratris Hieronymi à Politio Siculi, Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum, in Regulam Seraphici Patriarchæ S. Franciſci ejuſdem Ordinis fundatoris, &c. Romæ Apud Guillelmum Facciottum 1593. *cunctis Chriſtifidelibus, ad quos quomodolibet pertinet, ſeu pertinere poterit, fidem facimus & atteſtamur, qualiter viſo & reviſo, ac bene & maturè conſiderato dicto libro; tam per Noſipſos, quàm per alios Theologos & Viros doctos dicti Ordinis Minorum, ac etiam factâ ſimul collatione de ejuſdem libri erroribus, inutilitate & periculoſa doctrina ad relaxationem prædictæ Regulæ ex co notatis & animadverſis, hodierna die 27. menſis Novembris, feria ſecunda, Anno Domini 1595. in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum, in audientia Sacri Conſiſtorii, illa omnia, & quæ generatim in eodem libro pertractantur, retulimus Sanctitati Suæ; & Sanctitas Sua, iis auditis & intellectis, auctoritate ſua Apoſtolica judicavit prædictum librum expoſitionis in Regulam S. Franciſci, fore & eſſe prohibendum & ſupprimendum, prout illum prohiberi & ſupprimi decrevit & mandavit, ita ut de cætero non imprimatur, neque evulgetur, ejuſque exempla omnia ſeu volumina hactenus impreſſa vel evulgata dilacerentur ſeu deſtruantur, & quæ jam evulgata, vel impreſſa, Fratribus & Religioſis, vel aliis fidelibus data, donata, diſperſa vel erogata ſunt, aut in eorum manibur reperiuntur, per Ordinarios & Inquiſitores locorum perquirantur & colligantur, & collecta ſimiliter dilacerentur ſeu deſtruantur; & hoc ſuum præſens Decretum reponi & aſſervari in Officio Sanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, iſto & omni alio meliori modo,*

Jul. Ant. Card. S. Severinæ Prot. Congregationis Fratrum Capucinorum.
Aug. Card. Cuſanus Min. Convent. Protector.

Ne verò ob ſphalmata, quæ irrepsêre, ſolidæ de cætero doctrinæ commodo Religio noſtra privaretur, fuit opus reviſum, correctum, & approbatum, ut ſequitur:

In Generali Congregatione Indicis apud Illuſtriſ. & Reverendiſſ. D. D. Cardinalem Aſculanum habita die vigeſima ſexta Auguſti 1601. *coram Illuſtriſ. & Reverendiſſ. D. D. Cardinalibus,*

Aſculano, Bellarmino, Columna, Seraphino, Camerino, Pamphilio, Baronio, & Monopolitano.

Auditis Conſultorum votis, videlicet Reverendiſſ. D. Archiepiſcopi Tranenſis, & R. P. F. Joannis ab Arimino Lectoris Capucinorum, & re inter Cardinales maturè diſcuſsâ, Decretum fuit, quod expoſitio R. P. F. Hieronymi de Politio Ordinis Capucinorum in Regulam S. P. Franciſci expurgata permittatur & imprimatur, cujus cenſuræ cura demandata fuit Illuſtriſ. & Reverendiſſ. D. Card. Monopolitano.

Pag. 11 ubi dicitur in omnibus, quæ non ſunt contra animam, nec contra Profeſſionem Evangelicam, ſive Regulam noſtram, tollantur illa verba: ſive regulam noſtram.

Pag. 254. ubi agitur de Officio Beatæ Mariæ ſemper Virginis, num ſub præcepto in choro ſit dicendum? Dicatur, quod Fratribus Minoribus, qui ex regula tenentur ſe conformare ritui Romanæ Eccleſiæ, minimè ſub præcepto eſt, poſt Bullam Pii V felic. mem.

Pag. 259. ubi dicitur, ſi contentus eſſet alio duorum prædictorum, & proponeret non procurare tertium, non utique ſatisfaceret. Dicatur, nam ſi ſiſteret in prima vel in ſecunda prædictarum attentionum, & præſcinderet tertiam illam reſpuens, ſeu contemnens, non ſatisfaceret.

Pag. 432. Ubi dicitur, quæ quidem Conſtitutio Nicolai III. majoris videtur eſſe auctoritatis, quàm Extravagans Joannis XXII. Quoniam illa Decretalis à Concilio Generali Viennenſi fuit approbata, hæc autem Joannis Extravagans à nullo fuit approbata Concilio; imò per multos dicti Joannis XXII. Succeſſores fuit annullata. Tollantur dicta verba, & dicatur, quæ quidem Nicolai Decretalis præ Joannis Extravagante, verior & magis in hoc rationi inniti videtur, ex eo, quod Extravagans prædicta à pleriſque Summis Pontificibus dicti Joan. XXII. Succeſſoribus, nempe Martino IV., & Alexandro VI., Eugenio IV., Caliſto III, & Sixto IV. fuit abrogata, & Nicolai prædicti approbata Decretalis, dum ad ſeipſos & ad Sedem ApoſtolicamDominium rerum omnium, quibus FF. Minores uti poſſunt, aſſumpſerunt.

Pag. 171. ubi dicitur, quoniam venialia reſervare non expedit; addatur, nec poſſunt.

Pag 624. Ubi agitur de caſibus reſervatis. Caſus reſervati non ponatur in ſpecie, ſed dicatur ſerventur caſus reſervati editi à Clemente VIII. fel. mem. & ſervetur ejus Decretum quoad abſolutionem Fratrum.

Pag. 656. ubi agitur de electionibus faciendis, poſt diſcurſum Cajetani & ſequacium, addatur, quod talis intentionum diſtinctio in praxi vix aliquando erit. Ideo curent Electores digniorem ſemper eligere, nam ad hoc ſub culpa mortali tenentur, ut in Concilio Trident. habetur ſeſſ. 24. de Reform. c. 1. & docent Alex. Alens D. Thomas, & communiter Doctores.

Pag. 684. ubi agitur, an Papa poſſit abſque rationabili cauſa, ſed tantùm ex ſolo placito præcipere, ne fiant aliqua bona, quæ in regula ponuntur ſub præcepto, vel ſub conſilio: Dematur talis diſcurſus, quia non eſt neceſſarius, nec à Fratribus ſimplicibus intelligitur.

Cum his annotationibus imprimatur tanquam utilis, & correcta permittatur illa, quæ impreſſa jam reperitur.

Fr. Anſelmus Cardinalis Monopolitanus.

Exemplar authenticum in Archivo Generali Ord. Armario Provincia Panormitana.

Pro-

PROVINCIA MESSANENSIS.

PRimam totius Siciliæ Capucinam Domum ſeu Conventum, in hujus Provinciæ Metropoli, quam Meſſanam dicimus, ſurrexiſſe, notat docetque Ordinis noſtri Chronicon, dum enim celebris Fr. Bernardinus à Rhegio, Georgius dictus, & jam ſupra fol. 40. inter Coryphæos noſtræ Reformationis in Regionem Calabram inductæ recenſitus anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio eò ablegatus populum verbo Evangelii & ſanctioris vitæ exemplis ædificavit, populus Eidem ſecundo ab Vrbe Lapide in Loco Ædiculæ B. Virgini Drepanenſi Sacro Monaſterium opitulante Domni Hectoris Pignatelli, tunc Monarchiæ Siculæ Proregis patrocinio conſtruxit.

Rupto ſeu diviſo, qui Panormum, Meſſanam, & Syracuſam in unitate Spiritûs & Provinciæ colligatas tenuit, funiculo, ceſſit Provincia Meſſanenſis Panormitanæ in Tabula Conventuum Ordinis Generali primatûs locum, retinuit tamen Sigillum antiquum, Provinciæ adhuc unitæ proprium, & B. V. Mariam ſine labe conceptam exprimens. Sub hujus quoque Tutelaris Patronæ auſpiciis & validâ ſemper protectione Regularem Diſciplinam exactæ Obſervantiæ conſuetudine continuat, ſementem virtutis glorioſo fructuum flore fœcundat, & gloriam ſuam tam impreſſæ Doctrinæ Monumentis, quàm ſanctioris vitæ Viris conſervat, in Libris Chronicis Ordinis fuſè videndam.

Animavit lætus felixque hic Provinciæ aſpectus pluries Principes, Duces, & Nobiles, ut contempto, quem ortus obtulit, ſpecioſæ vanitatis mundo, cinere & Cilicio induti Fratribus jungerentur, & cum iis chariſmata vitæ Evangelicæ meliora æmularentur: Fuerunt inter hos

Fr. Angelus à Meſſana ex Spadeforæ Familia, Principibus Venetici &c.

Fr. Bonaventura à Catana ex Principibus Biſcaris &c.

Fr. Jeremias à Meſſana ex Stirpe de Joanne, & Ducibus Saponariæ &c.

Fr. Joſephus Maria à Meſſana ex Illuſtriſſimo Stemmate Avornæ, & Ducibus Belviſi &c.

Alios, quos inclytæ, Nobileſque Familiæ, Caloria, Caſtella, Criſaforum, Gabatorum, Gotorum, Marullorum, Mazzæorum, Minutoli, Raſeorum &c. nobis dederunt Alumnos, hìc recenſere non vacat.

Silentio tamen prætergredi haud licet Fr. Joannem Mariam à Tiſa, vulgò Tuſa Caſtro Cephadulum inter -- & Ammaeſtratam exciſo, & hujus Provinciæ Loco, cujus

virtu-

virtutem ita intenſam & incenſam lego, ut ſemel, dum ceu Provincialis Provinciæ S. Angeli noctu in Eccleſia Fratrum cum P. Hieronymo à Monte Florum tunc Miniſtro Generale preces fundebat, internus Divini Amoris æſtus ſcintillas extra tecta vibraret. Dumque accurrens in adjutorium populus originem flammæ inter Monaſterii parietes quæſivit, illius pabulum ex parte in corde Joannis Mariæ ſtupefactus invenit. Mirum inde non eſt, quod ita Ardentem Religio noſtra ad prima Officia vocaverit, eidemque generalem gubernii clavum contulerit. Tantò humilior fuit Joannes Maria ex hoc munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpexit de reddenda ratione: hinc cum & Sanctæ mem. Gregorius Papa XIII. Caput ipſius purpureo Galero dignum ſemel dixiſſet, Joannes Maria illud rudi Capucio à Deo, & Sancto Patre Franciſco aptatum fuiſſe, extemplò repoſuit.

Ut autem in conſpectu hominum virtus, quem Joannes Maria ſub modio tenuit, magis clareret, ſignavit illam Deus prodigiis & dono prædictionis, & morte in conſpectu ſuo pretioſa.

Provincia hæc ad 260. milliaria extenſa, & inter Archiepiſcopatum Meſſanenſem, & Epiſcopatus Catanenſem, Cephaludanum, Pactenſem & Liparitanum concluſa

Numerat Conventus XXXVIII.
Hoſpitia 11.
Monaſteria Monialium 1.

P O N T I F I C I O

Vivæ vocis oraculo

Provincia ex Conventibus Meſſanen. erigitur.

JULIUS ANTONIUS SANCTORIUS

Miſeratione Divina

S. R. E. Tituli Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Card. S. Severinæ appellatus, Fratrum Capucinorum nuncupatorum Ordinis Minorum Viceprotector.

OMnibus & ſingulis præſentibus & futuris, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, ſeu quomodolibet ſpectaverint, notum facimus, & atteſtamur, qualiter hodierna infraſcripta die per Nos expoſito, nomine Reverendi Patris moderni Vicarii Generalis eorumdem Fratrum Capucinorum præfati Ordinis Minorum SSmo Domino Noſtro D. Pio Divina Providentia Papæ Quinto, quòd ob urgentes cauſas Fratribus prænominatis expediat Provinciam Siciliæ, quæ una eſt, in tres dividi Provincias, tum, quia propter multitudinem Locorum, ac Fratrum dictæ Provinciæ, & itineris longitudinem, & aſperitatem vix ſemel in anno unicus Provincialis pedeſter ipſam integram ſufficit viſitare; cùm juxta conſuetudinem & Conſtitutiones dictorum Fratrum ter in anno viſitare teneatur; tum etiam, quia propter Provinciæ latitudinem Fratres pedeſtres ad Capitulum facilè nequeunt convenire; tum denique, quia ſine pecuniariis impenſis (quòd maximè ipſorum Regula abhorret) Provincialia Capitula propter convenientium ad ea Fratrum multitudinem commodè celebrari non poſſunt. Verùm, quia fel. rec. Nicolaus Papa Quartus prohibuit in Ordine Fratrum Minorum diviſiones Provinciarum fieri ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali per patentes literas facientes de hujuſmodi prohibitione mentionem; & ideo pro parte ejuſdem Vicarii Generalis ſupplicavimus Beatitudini Suæ, ut hujuſmodi permiſſionem & licentiam pro ſupradictæ Provinciæ diviſione de benignitate Apoſtolica concedere dignaretur; Sanctitas autem Sua, præmiſſæ petitioni benignè annuens, Vivæ vocis oraculo Nobis facto conceſſit, & indulſit, Provinciam Siciliæ prænominatam in tres Provincias, prout meliùs Vicario præfato & Capitulo Provinciali viſum fuerit, dividi, & partiri debere; quam quidem licentiam, & permiſſionem voluit per hujuſmodi Oraculum noſtrum, aut per Breve Sanctitatis Suæ poſſe expediri. Non obſtantibus literis, ſeu prohibitione Nicolai Papæ IV. memoratis, & aliis in contrarium facientibus quibuſcumque. In quorum omnium & ſingulorum fidem has noſtras fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, ac noſtri conſueti Sigilli appenſione munitas. Datum Romæ in Palatio

Apo-

Apoſtolico die XXI. menſis Novembris Anno Incarnationis Dominicæ MDLXX. Pontificatus ejuſdem SSmi Domini Noſtri D. Pii V. Anno quinto.

Julius Ant. Card. S. Severinæ.

Jo: Mathæus de Robertis Secret.

Autogr. Exemplar in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Panormitana.

Dimiſſam à Fratribus in Civitate Liparenſi Domum & Eccleſiam, RR. Patribus de Obſervantia cum ornamentis & paramentis concedi confirmat.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

QUÆ ad Sacrarum Religionum propagationem pertinent, etiam Nos libenter confirmamus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Expoſitum ſiquidem Nobis nuper fuit pro parte dilectorum Filiorum Miniſtri Provincialis & Fratrum Provinciæ Septem Martyrum Calabriæ inferioris Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, quod, cum aliàs Fratres Congregationis Capucinorum S. Franciſci quamdam Domum, quam habebant in Civitate Liparen. ob tunc expreſſas cauſas dimiſiſſent, dilecti Filii Communitas & Homines ejuſdem Civitatis de Ornarii conſenſu eamdem Domum & Eccleſiam contiguam cum ornamentis & paramentis in ea ad cultum divinum exiſtentibus pro conſtruenda ibi una dictorum Fratrum S. Franciſci de Obſervantia Domo dictis Miniſtro Provinciali & Fratribus perpetuò conceſſerunt, & aſſignârunt, ipſique Miniſter & Fratres eamdem Domum & Eccleſiam receperunt, prout publico deſuper celebrato Inſtrumento dicitur contineri.

Cum autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, conceſſio hujuſmodi, ut firma & valida ſit, per Apoſtolicam Sedem approbari, ſeu de novo fieri debeat; propterea eorumdem Miniſtri Provincialis & Fratrum dictæ Provinciæ nominibus humiliter Nobis ſupplicatum fuit, ut noſtram in præmiſſis auctoritatem interponere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dicti Ordinis Seraphici propagationem in Domino deſideramus, eoſdem Miniſtrum Provincialem & Fratres ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ex voto Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper conſultationibus, & negociis Epiſcoporum & Regularium deputatorum eiſdem Miniſtro & Fratribus Eccleſiam & Domum, olim Capucinorum, Civitatis Liparen., ut ibi unum Conventum Fratrum ejuſdem Ordinis & Provinciæ, in quo duodecim ſaltem Religioſi permaneant, conſtituere, ſeu jam conſtitutum continuare valeant, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & aſſignamus. Ac eidem Conventui erecto ſeu erigendo, ejuſque Guardiano & Fratribus nunc & pro tempore exiſtentibus, ut omnibus gratiis, exemptionibus, libertatibus, favoribus, privilegiis, indultis & indulgentiis, quibus alii Conventus, Guardiani, & Fratres ejuſdem Ordinis fruuntur, potiuntur & gaudent, ac frui, potiri, & gaudere poſſunt & poterunt quomodolibet in futurum, ſine aliqua differentia frui, potiri & gaudere poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus. Non obſtan. Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Ordinis, & Congregationis, etiam Capucinorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Marcum die XIX. Julii MDCI. Pontificatus noſtri Anno decimo.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni prædict. fol. 244.

Fr. Archangelum Meſſanenſem ad Ducem Pernonæ Maſſiliam ablegat, huicque res Maſſilienſium commendat.

A tergo: *Dilecto Filio nobili Viro H. Duci Pernonæ.*

CLEMENS PAPA VIII.

Dilecte Fili, nobilis Vir ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MUltis de cauſis, quas Nobilitati Tuæ planè perſpectas eſſe certò ſcimus, Civitatis Maſſilienſis cura, & tranquillitas cordi Nobis eſſe debet, hoc præſertim tempore, quo nihil in Galliæ Regno, ejuſque finibus à perditorum hominum tum conatibus, tum inſidiis omnino tutum eſſe videtur. Paterni autem noſtri deſiderii ſollicitudo, quâ illud inter cætera quærimus, ut Maſſilienſes veterem Fidei Catholicæ cultum, & in Sedem Apoſtolicam obedientiam, unde vera ſecuri-

tas

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Hoſpitium Planæ Græcorum in Conventum erigitur.

Emi, ac Rmi Domini.

PRovincialis, Definitores, & Religioſi Provinciæ Panormitanæ EE. VV. humillimè exponunt, quod in Terra, *Plana Græcorum* nuncupata, & intra Diœceſin Montis Regalis in Sicilia ſita Hoſpitium habeant, in quo Religioſi ejuſdem Ordinis omnes regulares functiones Conventuum, publicâ Eccleſiaſticâ Divini Officii officiaturâ exceptâ, exercent; cumque Clerus & Communitas pro ſua conſolatione deſiderent, ut Hoſpitium prædictum ad Conventum formalem cum publico Divini cultûs exercitio in Eccleſia & choro, qui pro votorum ſuorum complemento unicè deficit, reducatur, Oratores, quantùm ad eos ſpectat, ad conſenſum ſunt propenſi, dummodo & EE. VV. facultas eidem accedat. Quem in finem EE.VV. ſupplicant, quatenus ad majus divini ſervitii decus concurrere dignentur, ſperantque gratiam eò magis, quod PP. Auguſtiniani Diſcalceati ad hoc ſuum & hîc injunctum aſſenſum præbuerint. Quod Deus &c.

Sacra Congregatio Emin., ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Gualterio, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè committit Ordinario Montis Regalis, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti Hoſpitii in Conventum formalem erigendi cum Eccleſia, campanili, choro, Sacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, officinis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, ac ex eleemoſynis piorum Benefactorum inibi duodecim hujuſmodi Religioſos commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam erectionem & Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio & conſcientia procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per SS. Canones, S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum erectiones præſcripta ſunt, Religiosè ſerventur die 8. Feb. 1715.

F. *Card. de Abdua.*

F. *Archiep. Nicenus Secret.*

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Infirmariam Fratrum magno Civitatis Panormitanæ Noſocomio unitam intra Clauſuram comprehendi declaratur.

Emi, ac Rmi Domini.

FR. Leo à Sotera Miniſter Provincialis Capucinorum Provinciæ Panormitanæ in Sicilia EE. VV. reverenter exponit, qualiter Capucini Panormi, ultra Conventum milliario incirca diſtantem habeant Infirmariam, Xenodochio magno ejuſdem Civitatis unitam pro uſu & commodo Infirmorum tam actualium, quàm habitualium ſui Ordinis, & pro calamitatibus Eccleſiæ in dicto Regno elapſis. Cumque multæ Mulieres nobiles cum pediſſequis puellis præfatam Infirmariam & ægrotantium Religioſorum Cellas ingredi tentaverint, ſub prætextu, quod clauſura ibi non eſſet, licèt Superiores antea talem ingreſſum nunquam admiſerint, Orator ad impediendum deinceps hujuſmodi incommodum, quod alii cum tempore cauſare poſſent, EE.VV. humillimè ſupplicat, quatenus memoratum Infirmariæ locum clauſuram declarare dignentur. Quam gratiam &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, audito P. Procuratore Generali Ordinis, ac attentis narratis præfatam Infirmariam intra clauſuram comprehendi declaravit. Romæ 19. Aprilis 1720.

I. Card. Parracianus Præf.

Vincentius Petra Secret.

Autographum in Archivo Provinciæ.

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Loco CaſtriThermarum conceditur.

Emi ac Rmi Domini.

JUrati & Communitas Terræ *Caſtel Termine* nuncupatæ, Diœc. Agrigentinæ in Sicilia factas EE. VV. jam anno elapſo preces pro facultate in dicta eorum Terra Conventum Capucinorum erigendi replicant; cumque tunc ſub 23. Auguſti dicti anni D. Ordinario pro informatione & voto ſcriptum fuerit, & jam advenerit favorabile reſponſum, Oratores pro gratia iteratò inſtant &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, viſâ relatione Vicarii Capitularis Agrigentini, referente Eminentiſſimo Tanario, eidem Vicario benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, ac auditis intereſſe habentibus, poſtquam ſibi conſtiteris, ex eleemoſynis piorum Benefactorum duodecim hujuſmodi Religioſos in dicto novo Conventu commodè ali poſſe, ac itidem ſecuritatem habuerit, fabricam ipſius Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectile tam ſacrâ, quàm prophana ſufficientèr inſtructam, ad petitam erectionem, & Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio & conſcientia, ſervatis ſervandis, procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per ſacros Canones, S. Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum Religioſorum erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur &c.

Romæ 26. *Martii* 1722.

F. Card. Paulutius Præf.

Ex Regeſt. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Loco S. Cataldi committitur.

Emi ac Rmi Domini.

PRinceps Fluminis Salſi & Marchio S. Cataldi Diœc. Agrigentin. humillimus EE. VV. Orator exponit, qualiter tam pro ſua devotione, quàm ſatisfactione & deſiderio ſuorum Subditorum in Terra S. Cataldi prædictæ Diœceſis Conventum PP. Capucinorum conſtruere intendat, quatenus pietas erga glorioſum S. Franciſcum, cultus Divinus, ſaluſque animarum magis augeantur. Quapropter EE. VV. pro conceſſione opportunæ licentiæ ſupplicat &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, viſis relationibus P. Procuratoris Generalis, & Vicarii Capitularis Agrigentini, referente Emin. Paulutio Præfecto, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore committit eidem Vicario, ut veris exiſtentibus narratis, & quatenus ſibi conſtiterit Fabricam dicti novi Conventûs cum Eccleſia. Reſiduum uti in Decreto antec. *Romæ die* 11. *Decemb.* 1722.

F. Card. Paulutius.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædictorum.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Ad inſtantias Principis Franciſci Morſo &c. novam Domum in ejus Feudo & loco Podii Realis conſtrui, à Fratribus Confeſſiones ibi excipi, & Principiſſæ &c. ingreſſum Conventûs concedi ſtatuitur.

Emi ac Rmi Domini.

FRanciſcus Morſo Princeps Podii Realis, & Thereſia Morſo & Bonanni Uxor, Civitatis Panormitanæ, devotione & fructu ſpirituali moti, in uno ſuorum Feudorum, *Poggio Reale*, nuncupato Diœc. Mazarienſis, in quo nulla Regularium Domus reperitur, Conventum

tum Capucinorum conſtruere intendunt, hinc EE.VV. ſupplicant, quatenus opportunam ad hoc dent facultatem, & à Fratribus Capucinis Confeſſiones Incolarum excipi, ac Principiſſam, ejuſque Deſcendentes tempore, quo ibi morabuntur, ſepta Conventûs ingredi permittant.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, viſa relatione Epiſcopi Mazarien., & Patris Procuratoris Generalis Ordinis Capucinorum, referente Eminentiſſimo Paulutio Præfecto, decrevit committendum, prout præſentis Decreti vigore commiſit Epiſcopo dictæ Civitatis, ut veris exiſtentibus narratis, ac auditis intereſſe habentibus, & quatenus ex eleemoſynis piorum Benefactorum in præcitato novo Conventu duodecim hujuſmodi Religioſi commodè ali queant, & poſtquam ſibi conſtiterit fabricam ipſius Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, ad petitam erectionem, & Religioſorum introductionem, pro ſuo arbitrio & conſcientia, ſervatis ſervandis, procedat. Ita tamen, ut in reliquis omnia per ſacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum Religioſorum erectiones præſcripta, religiosè ſerventur. Quò verò ad facultatem dictis Religioſis excipiendi ſæcularium Confeſſiones, & uxori Oratoris, ac aliis mulieribus ab eiſdem deſcendentibus ingrediendi Conventum concedendam, eadem Sacra Congregatio cenſuit ſupplicandum Sanctiſſimo. Romæ 12. *Aprilis* 1722.

Quare factâ per me infraſcriptum Secretarium de his relatione Sanctitati Suæ, Sanctiſſimus annuit, ut duo tantùm Sacerdotes ipſius Ordinis deputandi arbitrio Patris Provincialis pro tempore & ab Ordinario pro tempore approbandi præfatas Confeſſiones audire poſſint iſtius arbitrio = Et Uxor, & Filiæ tam enunciati Principis Fundatoris, quàm Primogenitorum dumtaxat ſuæ Familiæ, à gravibus viris, gravibúſque pariter mulieribus aſſociatæ intra ſepta prænarrati Conventûs per duas vices quolibet anno à Superiore Locali, ac tribus, vel duobus ſaltem Fratribus ſenioribus, cæteris in Choro, vel propriis cellis clauſis exiſtentibus recipi valeant; modò tamen ingreſſus extra tempus Divinorum Officiorum fiat: in Conventu nullam ſumant refectionem, & exinde ante Solis occaſum recedant. Romæ &c.

F. Card. Paulutius Præf.

Ex regeſto Secret. Cong. menſ. & anni præd.

Perſonas, quæ ex Eccleſia Domuum, & Dioec. Agrigentinen. Sacram Supellectilem aut abſtulerunt, aut occultârunt, aut aſſervârunt, vel ad illius reſtitutionem aut revelationem moneri, vel poſt præfixi termini lapſum generaliter excommunicari, Archiepiſcopo Panormitano &c. committit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Panormitano, & Mazarienſi Epiſcopo, ſive dilectis Filiis Vicariis in Spiritualibus Generalibus ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Significârunt Nobis dilecti Filii Guardiani & FratresConventuumCapucinorum nuncupatorum S. Franciſci Civitatis, & Diœceſis Agrigentinen., quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, bona mobilia, ſcripturas, libros, Cruces, Calices, Patenas, Candelabra, Ornamenta & paramenta Eccleſiaſtica, Pannos laneos, & lineos magni momenti ad Conventus, & Fratres prædictos legitimè ſpectantia ſubtraxerunt, ac temerè occupârunt, eaque malitiosè occultare, ac occultè & indebitè detinere præſumpſerunt, & præſumunt, ex quo dictis Conventibus gravia damna valorem quinquaginta ducatorum excedentia nequiter intulerunt in animarum ſuarum periculum, dictorumque Conventuum non modicum detrimentum, ſuper quo ipſi ſignificantes Apoſtolicæ Sedis remedium implorârunt. Quocirca Fraternitati Veſtræ, Fratres Archiepiſcope & Epiſcope, ſive Diſcretioni Veſtræ, Filii Vicarii, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Vos videlicet in veſtris, &, cum Sedes Epiſcopalis Agrigentin. ad præſens vacet, etiam in Agrigentina Civitate & Diœceſi, ſi causâ diligenter & magna maturitate per Vos examinatâ pro rei, loci, temporis, & perſonarum qualitatibus, Vobis pro veſtra conſcientia videbitur expedire, omnes hujuſmodi bonorum detentores, & illorum celatores, aut aliàs ſcientiam habentes, ac damnorum illatores occultos ex parte Noſtra publicè in Eccleſiis coram Populo per Vos, vel alium, ſeu alios moneatis, ut infra competentem terminum, quem eis præfixeritis, dictis Conventibus à ſe debita, detentores quidem & occupatores reſtituant; occultatores verò, & illa ſcientes revelent, & ſi id non adimpleverint, infra alium competentem terminum, quem eis ad hoc duxe-

duxeritis peremptoriè præfigendum, ex tunc in omnes generalem excommunicationis ſententiam proferatis, eamque faciatis,ubi, quando, & quoties videritis expedire uſque ad ſatisfactionem condignam, & revelationem debitam ſolemniter publicari. Volumus autem, quod ex revelatione hujuſmodi,ſi eam fieri contingat, non poſſit niſi pro civili intereſſe, & civiliter tantùm agi, aliàs revelatio, ipſarumque in judicio, neque extra illud fidem faciat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXII. Idibus April. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Bulla formata in Archivo Provinciæ.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Monialibus S. Claræ Panormi facultas in earum Capella Domeſtica celebrandi Miſſam conceditur.

Emin. ac Rev. Domini.

Virgines recluſæ Civitatis Panormitanæ, ob Habitum S. Franciſci, quem juxta modum Capucinorum portant, Capucinellæ nuncupatæ, EE. VV. humillimè exponunt, qualiter ad audiendum Miſſæ Sacrificium ex earum Conſervatorio exire tenentur. Quod cum iis non modicum cauſet incommodum, & religioſam piamque illarum quietem turbet, EE. VV. ſupplicant pro facultate, qua Miſſæ Sacrificium in decenti Capella intra ſuæ habitationis ſepta celebrari queat. Quam &c.

Sacra Congregatio Emin. ac Rev. S. R. E. Cardinalium negot. & Conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita benignè commiſit Archiepiſcopo Panormitano, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo dicta Capella decenter ſit ornata, & de Sacra & Sufficienti ſupellectile proviſa, petitam facultatem in ea Miſſam celebrandi pro ſuo arbitrio & conſcientia, præcedente ipſius approbatione impertiatur. Romæ 1. Martii 1725.

F. Cardinalis Paulutius.

Ex Reg. Secret. Congr. menſis & anni præd.

NOTA.

De Venerabili hoc Recluſorio pauca adhuc ſcire & referre licet, cum in ſuo adhuc jaceat partu; plura tamen de illius flore fama ſparget, ſi opus Dei, & Charitatis fuerit abſolutum. Interim Fr. Angelicum ab Uryco, ſeu à Monte, Vicarium Provincialem, primævum illius Auctorem eſſe ex actorum in Curia Archipiſcopali aſſervatorum extractu ſequente collige:

Capucinæ Religionis Decus A. R. P. Angelicus ab Uryco Vicarius Provincialis Provinciæ Panormitanæ in ſuarum Miſſionum curſu Evangelii veritatem edocens, nonnullas Perſonas & honeſtas Virgines Panormitanas Divino Spiritu ductas, mundi illecebras reſpuere, earumque virginitatem Deo ſacrare volentes firmavit, ac eodem Spiritu impulſus Monaſterium Virginum Capucinarum ſub prima ac rigidiſſima Regula S. Claræ, eidem à Seraphico Patre D. Franciſco datâ, ac per Papam Innocentium IV. confirmata, Deo annuente erigere decrevit. Quapropter recurſum habuit cum ejus Memoriali ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Philippum Sidoti Vicarium Generalem M. C. Archiepiſcopalis hujus Urbis, & ab eo ad majorem Dei gloriam proviſionem obtinuit, per quam fuit dictum ſub die 11. Martii 1717.

Poſſit juxta Apoſtolicas Conſtitutiones & Decreta S. Congregationis.

Et facto ſimiliter recurſu pro P. Leone de Sotera Provinciale Provinciæ Panormitanæ cum ejus memoriali in Capitulo Generali Ordinis celebrato Romæ ſub die 10. Junii 1719. præmiſſa narrando, & quod nonnulli Nobiles hujus regni Siciliæ Monaſterium prædictum conſtruere volentes, illud ſub directione Superiorum Ordinis prædicti Capucinorum erigi, ac dirigi deſiderarent, Reverendiſſimi P. Generalis aſſenſum obtinuit hujuſmodi ſub verbis nempe.

De conſenſu & voto RR. PP. Definitorum Generalium in Capitulo Generali congregatorum conceditur Servatis omnibus de jure Servandis.

Fr. Joan. Ant. à Florentia Min. Gen.

Quæ licentia fuit confirmata per Reverendiſſimum P. Bernardinum à S. Angelo in Vado Vicarium Generalem Ordinis prædicti Capucin. ſub die 17. Aug. 1723.

Et

Et deſiderantes Celſiſſimus Marchio Comes Hieracis & Excellentiſſimus Princeps Palagoniæ uti Protectores dictarum Virginum Capucinarum conviventium in devoto Recluſorio licentiam ædificandi Monaſterium, eam obtinuerunt à prædicto Reverendiſſimo de Sidoti in dorſo eorum Memorialis ſub die 27. Aug. 1723. ubi fuit dictum.

Poſſint Servatis Servandis.

Et data per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum commiſſione dicto P. Angelico, Fundatori dicti Monaſterii, benedicendi Capellam præfatam, fuit & hoc expletum, prout per fidem dicti P. Angelici ſubſcriptam ſub die 29. April. 1725. patet.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Hoſpitio Loci S. Cataldi, durante fabricâ, aſſervari poſſe concedit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitano*

BENEDICTUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Leo à Sotera Ex-Provincialis Provinciæ Panormitanæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod, cum ipſe in Loco S. Cataldi ejuſdem Provinciæ unacum octo Religioſis dicti Ordinis ad effectum aſſiſtendi fundationi unius novi Conventûs reperiatur, ibique in quodam Hoſpitio permanentiæ commoretur, donec, & quouſque fabrica ipſius Conventûs abſoluta fuerit, facultatem retinendi SSmum Euchariſtiæ Sacramentum in Capella ejuſdem Hoſpitii tam pro prædictorum Religioſorum commoditate, ac ſpirituali conſolatione, quàm pro omni neceſſitate, quæ intempeſtivè, ſive noctis tempore illis contingere poſſet, cum extra dictum Locum exiſtant, ſibi à Nobis concedi plurimùm deſideret, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſum Leonem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum conſilio, Fraternitati Tuæ per præſentes committimus & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & dummodo prædicta Capella ſit decenter ornata, facultatem juxta petita auctoritate Noſtra Apoſtolica pro tuo arbitrio & conſcientia impertiaris, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Martii MDCCXXV. Pontificatus Noſtri Anno primo,

F. Card. Oliverius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 145.

EPISTOLA

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Inſtantibus Joſepho Aliata Principe Villæfrancæ, & Maria Anna Aliata Principiſſa ejus Conjuge in Feudali eorum Terra Salæ Parutarum novam Domum ſub expreſſis conditionibus erigi, Epiſcopo Mazarienſi committitur.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

CIrca inſtantias in hac Sacra Congregatione de erectione novi Conventûs PP. Capucinorum in Terra Salæ Parutarum, Eminentiſſimo D. Cardinale Petra Ponente, factas, Sac. Congregatio benignè annuit & concedit Amplit. Tuæ facultatem dictum Conventum erigendi, dummodo Religioſi dicti in illum non introducantur, quin prius id ipſis ab Eminentiſſimis Dominis fuerit permiſſum. Hi enim terminatâ ſemel Conventûs fabricâ informari cupiunt, an ædificium habeat omnia commoda & requiſita neceſſaria, de quibus ſuo tempore Amplit. Tua relationem dare debebit.

In Decreto tamen novæ erectionis non debet approbari obligatio à Principe & Principiſſa Villæ Francæ, illius Loci Patronis, circa ſucceſſivam ſuſtentationem Conventûs, & Religioſorum caſu quo quæſtuatio deficeret, facta, cum Religioſi Capucini, altiſſimam

mam paupertatem profitentes non poſſint ſuſtentationem ſuam ex debito & jure recipere. Debet eapropter Amplit. Tua, antequam ad novam erectionem procedatur, invigilare, an ſaltem duodecim Religioſi in novo Conventu ex eleemoſynis poſſint ſuſtentari? ubi & Alteſatus Princeps, ejuſque Succeſſores charitatem ſuam exercere poterunt.

In prædicto Decreto Amplit. Tua nec approbare debet dominium Conventûs & Eccleſiæ in favorem Principis & Succeſſorum reſervatum; poterit autem permitti, ut una vel duæ ſepulturæ ad condenda in iis Excellentiſſimæ Familiæ cadavera conficiantur, ſalvo, prout juris & rationis eſt, jure Parochiali. Senſui Sac. Congregationis ſe conformet, dum &c. Romæ 11. April. 1726.

F. Card. Paulutius.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſis & anni prædictorum.

DECRETO.

S. Congregationis Concilii.

Cauſas nullitatis Profeſſionum ab Epiſcopis Provinciæ Siculæ ſine Superiore Regulari recognoſci inhibetur: reſtitutionem in integrum adverſus lapſum quinquennii à Curia Romana impetrari debere ſancitur: & Religioſi, quorum Profeſſio ex aſſerto privilegio aut conſuetudine contra formam Concilii Tridentini fuit declarata invalida, ad Habitum & clauſtra intra anni terminum redire, & cauſas ſuas Romæ proſequi jubentur.

Sicula Reſtitutionis in integrum & Nullitatis Profeſſionum.

CUm Sacræ huic Congregationi ſub annum 1736. delatum fuiſſet, binos in Civitate Melevitana degere Sacerdotes Joannem Bonelli, & Joſephum Borgh, qui, licèt in Regulari Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini jamdiu ſolemnem emiſiſſent Profeſſionem, prior nempe Panormi anno 1722. Alter verò Meſſanæ uſque ab anno 1711. ſub obtentu duplicis ſententiæ illam declarantis invalidam, unius quidem à Curia Epiſcopali Catanenſi pro Joanne, alterius autem ab Archiepiſcopali Meſſanæ pro Joſepho noviſſimè prolatæ, abſque eo, quod ulla reſtitutio in integrum adversùs lapſum quinquennii ab Apoſtolica Sede imploranda præceſſerit, Presbyteri ſæcularis Habitu induti, conſtitutoque ſibi Patrimonio, facultate celebrandi Miſſam ab Ordinario Melevitano impetratâ palam uterentur. Sacra eadem Congregatio voluit ſuper hac re audire tam Archiepiſcopum Meſſanæ, quàm Epiſcopum Catanenſem, jubens interea Præſuli Civitatis Melitæ, ut præfatis Sacerdotibus Miſſam non ſineret amplius celebrare.

Juſſa S. Congregationis quamprimùm retult ſe feciſſe Melevitanus Antiſtes: Meſſanenſis Archiepiſcopus verò ad tuendam ſententiam favore Joſephi Borgh ſub nomine Michaëlis olim in Ordine Auguſtinianorum profeſſi à Curia ſua, non obtenta licèt à S. Sede in integrum reſtitutione, editam, hæc Eminentiſſimis Patribus reſcripſit. *Sciant Eminentiæ Veſtræ dupliciter fuiſſe obicem prædictum ex lapſu quinquennii reſultantem in allegata cauſa ſublatum, ac ad partes ſepoſitum, nimirum ob perdurantem cauſam metûs: videlicet ſuperviventiam Patris, qui metum incuſſerat uſque ad tempus motæ litis: & demum ob crebras, aſſiduaſque conqueſtiones, proteſtationeſque ſuper tali metu à prædicto Michaele Borgh continuò exaratas: quibus binis circumſtantiis in facto præſuppoſitis, utpote bene in proceſſu comprobatis, abſque eo quod nil in contrarium, nec probatum, minus allegatum fuerit, conſtat, ac evidens eſt, ceſſare difficultatem lapsûs quinquennii, & ſic neceſſitatem in integrum reſtitutionis, prout (reprobatâ opinione aliquorum exterorum, qui tales, ſimileſque circumſtantias ad faciliùs obtinendam reſtitutionem in integrum à S. Sede ponderant.) in hoc Siciliæ Regno, & tam in hac Curia Archiepiſcopali, quàm in omnibus aliis Eccleſiaſticis Curiis & Tribunalibus, ac per omnes Siculos Juriſconſultos perpetuò conſtantiſſimè practicatum, atque teſtatum extat, ſive, quia ob perdurantem cauſam metûs præſcriptio quinquennalis inchoari legitimè nequierit, ſive, quia ob ſubſecutas crebras conqueſtiones nequierit compleri.*

Hiſce ab Archiepiſcopo Meſſanenſi acceptis dum expectabatur reſponſum Præſulis Civitatis Catanæ, ſupplex Sacro huic Conſeſſui porrectus fuit libellus à Procuratoribus Generalibus quorumdam Ordinum Regularium, qui latè exponentes paſſim à Curia Epiſcopali Catanenſi admitti inſtantias Religioſorum adversùs Profeſſiones à ſe emiſſas reclamantium, quamvis elapſo à die eorum Profeſſionis quinquennio, imò etiam Profeſſione in Conventibus extra Diœceſim Catanenſem emiſsâ, eandemque Curiam ſæpè ſæpius juxta ipſorum Regularium vota, ne monitis quidem Superioribus Localibus, ſententias ede-

edere, adeò, ut frequens ſit numerus eorum, qui ſub ejuſmodi ſententiarum præſidio, regulari Habitu depoſito, Clauſtra omnino deſerunt, remedium aliquod, ne ex hac rerum perturbatione gravius in dies Religioſis ſuis Ordinibus detrimentum accedat, demiſsè implorabant.

Cùm autem Sacra Congregatio ſuper ejuſmodi precibus denuo juſſerit Epiſcopum Catanenſem audiri, tandem ille ſub diem 27. Septembris 1737. in hæc verba reſcripſit: *Quæ* xv. *Kalendas Junii, & pridie Nonas Julii binas per epiſtolas, totidemque inſertos libellos Joannis Bonelli à Melita Presbyteri, ac Procuratorum Generalium tum Carmelitarum, Minorum Reformatorum, & Capucinorum mihi EE. VV. præcipiebant, non potui, ut citiùs, quò par erat, expedirem; Oportuit enim primò magnæ hujus Epiſcopalis Curiæ Archivium, quod à fundamentis excitare inceperam, perficere, & inde quæ ex Terræmotûs ruinis, ac incendii devaſtatione ſuperfuère, in ordinem componere inſtrumenta: Quibus exactis, licèt magna ex parte ſcripturarum Codices tot inter Catanæ infortunia perierint, adeoque originale Privilegium exhiberi minimè poſſit, attamen multa inveniuntur inſtrumenta, quæ ſatis docent, pluſquam integro abhinc ſæculo Prædeceſſores meos de nullitate Profeſſionis ſententiam dixiſſe, tum infra, tum poſt quinquennium ab ejus emiſſione, iis tamen conditionibus, ut nimirum vel petentes vota in Diœceſi emiſerint, vel in aliquo ejuſdem Diœceſis loco ex obedientia Superiornm conſtituti fuerint. In cujus rei confirmationem, ſicuti juridicam hic inſero Archiviarii mei atteſtationem, ita minimè dubito, quin ea ſatis EE. VV. ſuadeat, præſertim ſi memoria revocent, quæ, & quanta fuerint Privilegia, quibus præ aliis hujus Regni Epiſcopis Summi Pontifices Præſulem Catanenſem retroactis temporibus cumulaverint. Omitto hîc ea, quæ aſſerunt doctrinaliter Bellutus in Opuſc.* 1. §. 2. *num.* 150. *&* 152. *Groſſus Controverſ.* 41. *Ad ea verò evacuanda, quæ Generales Procuratores ſupradictorum Ordinum audacter enunciant, quod nimirum infra decem dierum ſpatium hujuſmodi Cauſæ de nullitate abſolvantur, ſat erit Miniſtros hujus Curiæ juridicè Cauſæ curſum teſtantes in fide, quam inſero, audire, & patebit ſanè nonniſi juxta legum ſanctiones deciſum ſemper fuiſſe. Ita eſt actum cum Joanne Bonello Presbytero Melitenſi: hic enim moram agens ex obedientia in Conventu Divi Auguſtini Civitatis Adernionis hujus Diœceſis, expoſuit ad Profeſſionis ſuæ nullitatem, & metum in ea emittenda, & morbi gallici infectionem ante Religionis ingreſſum: quibus ritè, ac juridicè examinatis, & probatis nunciatum eſt, nullam fuiſſe ejus Profeſſionem. Nec ſecus cum aliis omnibus actum eſt, ut per longas annorum ſeries in Proceſſuum varietate teſtatur.*

Pandita fuit reſponſio iſta Epiſcopi Catanenſis Procuratoribus Generalibus dictorum Ordinum: At, cum iis eodem ferme tempore innotuerit judiciaria contradictio, quæ præfati Antiſtitis nomine in hoc negotio parabatur, ſi quid ipſi in everſionem Privilegii ab illo allegati proferre intendiſſent, noluerunt ſecum lite contendere, putantes ſe muneri ſuo feciſſe ſatis, ſtatim ac conſcios reddidère Eminentiſſimos PP. poteſtatis, quam ſibi memoratus Præſul aſſerit, vel uſurpat. Verùm etſi renuant judiciaria poſtulatione in Catanenſem Epiſcopum agere, non ceſſant tamen novas ejuſdem generis Sententias, quæ ab illius Curia frequentius fortè, quàm antea prodeunt, Sacræ Congregationi nunciare, & inde ſuccedunt, ut plurimùm preces eorum, qui è Clauſtris in vim dictarum Sentenriarum egreſſi, quique ad titulum Religioſæ Paupertatis Presbyteralem Ordinem aſſecuti, licentiam flagitant Miſſam celebrandi, quanquam ſufficienti Patrimonio non reperiantur proviſi.

Præterea Syracuſanus quoque Epiſcopus conſilium nuperrime petiit, qua ratione agendum ſibi ſit erga hujuſmodi Religioſos, qui in Habitu Presbyteri ſecularis ad ſuam, ex qua originem trahunt, Diæceſim redeuntes, permiſſionem celebrandi ab aliis Ordinariis facilè obtentam ſibi poſtulant prorogari, congruo licet Patrimonio deſtituti; Cumque inter eos nonnulli ſint, quorum Profeſſio declarata fuit invalida ab ipſa Religione, per ſententiam ſcilicet à ſolo Superiore Locali abſque Ordinario pronunciatam, iſti quoque beneficio æquè, ac Patrimonio carentes eandem licentiam enixè ab Eminentiſſimis PP. deprecantur.

Quæ cum ita ſint, & rei gravitas poſtulet, ut Eminentiæ VV. non tantùm præterita, ac præſentia ſpectantes, ſed futura quoque proſpicientes ſollicitudinis ſuæ partes interponant, ne quidquam in everſionem Eccleſiaſticæ, ac præſertim Regularis Diſciplinæ contra ſaluberrimas Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Sanctiones paſſim irrepat, ſive aliquid fortè invectum magis effundatur, ac diutius perſeveret, neceſſarium proinde viſum eſt ſuper hac rerum congerie ſapientiſſimum æquè, ac prudentiſſimum Eminentiarum VV. judicium juxta Dubium inferius deſcribendum exquirere.

Porro ſecundùm ea, quæ hactenus in facto fuerunt expoſita, tria potiſſimum deprehenduntur in quibuſdam Regni Siciliæ Diœceſibus contra Tridentini præſcriptum vitioſè per-

agi.

agi. Primum ſcilicet eſt, quod Ordinarii loci de aſſerta Profeſſionis nullitate poſt elapſum quinquennium, non indultâ ab Apoſtolica Sede reſtitutione in integrum, præſumunt agnoſcere. Secundum: quod ab iiſdem Ordinariis, ſive exacto jam quinquennio, ſive illo adhuc decurrente, eduntur ſententiæ invalidam declarantes Profeſſionem, Superioribus Conventuum, in quibus profeſſio emiſſa fuit, non auditis; Et Tertium denique illud eſt, quod ipſi etiam Superiores regulares ſuper aſſerta nullitate Profeſſionis, nec habito, nec requiſito Ordinarii loci judicio aliquando ſententiam pronunciant: quæ quidem omnia, cum apertè repugnent, non ſolùm notiſſimæ Tridentinorum PP. diſpoſitioni *ſub Cap.* 19. *Seſs.* 25. *de Regular.* verùm etiam iteratis Sacræ hujus Congregationis Reſolutionibus, idcirco deliberandum erit, quid modò ſtatuere oporteat, ne deinceps tot conſultiſſima Decreta amplius violentur.

Et ſanè, quod attinet ad neceſſitatem impetrandi â S. Sede reſtitutionem in integrum poſt elapſum quinquennium à die Profeſſionis, non obſtante quacunque conſuetudine, quæ fortè in contrarium vigere diceretur, quod idem quinquennium ita continuò decurrat ab ipſa emiſſæ Profeſſionis die, ut perperam ad impediendum illius initium, vel complementum allegetur perſeveratio Cauſæ metûs, & impotentia reclamandi, præter ea, quæ cum aliis tradiderunt *Card. de Luca de Regular. diſc.* 41. *num.* 11. *ſeqq. & Clericat. Diſcord. forenſ. de Regular. diſcord.* 37. *per tot*, expreſsè declaravit ſacer iſte conſeſſus *in Mechlinien. Reſtitutionis in integrum*, ubi diſputatis duobus hiſce dubiis = I. An quinquennium, intra quod Regularis prætendens Profeſſionem ſuam fuiſſe nullam, poteſt ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini audiri, & cauſas prætenſæ nullitatis coram Ordinario & Superiore locali allegare, incipiat & continuò currat à die Profeſſionis emiſſæ, vel ſolùm à die ceſſantis metûs, vel ſublati impedimenti, aut impotentiæ reclamandi? = Et quatenus à die Profeſſionis? = II. An cognitio, & conceſſio reſtitutionis in integrum adverſus lapſum quinquennii competat Ordinario loci, & ſuperiori locali, vel potius ſit reſervata Sedi Apoſtolicæ? = Sub diem 22. Martii 1687. reſpondit = Ad I. incipere à die Profeſſionis. Ad II. non poſſe concedi, nec cognoſci reſtitutionem in integrum, niſi per Sedem Apoſtolicam, non obſtante quacunque conſuetudine contraria = *ut ex lib.* 37. *Decret. pag.* 165.

Quo verò ad judicium ſuper nullitate Profeſſionis omnino faciendum ab Ordinario loci conjunctim cum Superiori locali, res eſt ab hoc ſacro Senatu quotidianis imperata Reſcriptis, uti patebit etiam ex aliquibus inferius recenſendis.

Quodque demum neque à ſolis Superioribus Religionis ex quocumque capite prætenſæ nullitatis Profeſſionis ullus ſemel Profeſſus poſſit à Religione ejici, vel dimitti, explicitè ſtatuit eadem Sacra Congregatio in *una Eremitarum Camaldulenſium Profeſſionis* in qua propoſitis dubiis. I. An, ſi quando comperiatur, Novitium ex præſcripto Conſtitutionis interrogatum adverſus ipſam commiſiſſe, impedimentum occultando, poſſit idem Novitius poſt emiſſam Profeſſionem per Superiorem expelli? II. An verò in hac facti quoque ſpecie ſervanda ſit forma Decreti in *cap.* 19. *Seſſ.* 25. *de Regular.* die 23. Januarii 1666. reſpondit = Poſſe expelli, ſed ſervatâ formâ Decreti Sacri Concilii in *cap.* 19. *Seſſ.* 25. de Regular., ut *ex lib. Decret.* 25. *fol.* 18. & prius nempe ſub annum 1653. die 15. Novembris formiter, ac latè aſſumptâ hujus Articuli diſputatione in quadam Neapolitana, audito Procuratore Religionis Carmelitarum Diſcalceatorum S. Thereſiæ ore, & ſcriptis, nec non Conſtitutionibus dictæ Religionis, ac aliis deductis maturè perpenſis, cenſuit, dimiſſiones & ejectiones Profeſſorum à Religione, quæ ab eadem Religione fiunt ex capite illegitimatis, vel ex alio defectu, fieri debere conjunctim coram Ordinario & Superiore Regulari loci ad præſcriptum S. Concilii *cap.* 19. *Seſſ.* 25. de Regular. Ideoque ſententiam cum Proceſſu ſuper dimiſſione & ejectione Fratris Caroli Mariæ à Ieſu ab ipſis Regularibus latam minimè ſuſtineri, ut hiſcemet verbis deſcriptum legitur in *lib.* 19. *Decret. pag.* 282.

Recentiùs verò nimirum die 10. Ianuarii 1733. in terminis præciſis Dimiſſionis cujuſdam Sacerdotis Regularis factæ à Superioribus Religionis in Regno Siciliæ, datæ fuerunt Archiepiſcopo Panormitano literæ hujus tenoris = *Propoſitâ pluries in hac S. Cong. Conc. inſtantiâ Sacerdotis Franciſci Leanza, qui olim Profeſſus in Religione Fratrum Minorum Conventualium S. Franciſci de anno* 1730. *ab eadem Religione per ſolam Superiorum ſententiam, abſque interventu, & judicio Ordinarii ob morbum, quo, antequam profiteretur, laborabat, vigore, ut aſſerebatur, Apoſtolicarum Conſtitutionum, & præſertim S. M. Urbani VIII. dimiſſus preces porrexit pro facultate Miſſam celebrandi in ſtatu Sacerdotis Secularis, Eminentiſſimi PP. pluries quoque audito Procuratore Generali Ordinis, demandârunt Oratoris reditum ad Clauſtra, reaſſumpto Habitu, ut deinde cauſa diſcuti poſſet circa prætenſam nullitatem profeſſionis, ac ulterius Patri Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis injungendum duxerunt, ut de mandato*

Ex ære antiquæ Domûs Loci Burgii novam conſtrui concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Miniſtri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Panormitanæ Nobis expoſitum fuit, quod ipſe Domum Regularem ruinam minantem dicti Ordinis Terræ Burgii Panormitan. Diœceſis ab eo loco, in quo ad præſens exiſtit, ad alium locum transferre ſummopere deſiderat, Nobis propterea dictus Miniſter Provincialis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictum Miniſtrum Provincialem ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eidem Provinciali Domum Regularem prædictam, ejuſque Eccleſiam, factâ earum per Ordinarium loci ſervatis aliàs ſervandis prophanatione, demoliri curandi; Syndico verò dictæ Domûs ſitum, domos & Eccleſiam hujuſmodi quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendendi, & alienandi, nec non pretio inde proveniente, ac cæmentis Domûs & Eccleſiæ hujuſmodi ad opus fabricæ novæ Domûs & Eccleſiæ hujuſmodi utendi licentiam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & impertimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die III. Februarii MDCXXXIV. Pontificatus noſtri Anno undecimo.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 20.

Etiam demolitionem Eccleſiæ dictæ Domûs veteris loci Thermarum ſeu *Termini*, & cœmentorum uſum pro opere fabricæ novæ ratihabet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs Nobis pro parte dilecti Filii Syndici Domûs FF. Ordinis Minorum S Franciſci Capucinorum nuncupatorum Oppidi Civitatis etiam nuncupati *Termini* Panormitanæ, ſeu alterius Diœceſis expoſito, quòd ipſe Infirmariæ ac Domûs veteris eorundem Fratrum ædificia vendere, pretioque exindè proveniente ad opus fabricæ novæ Domûs pro ipſis Fratribus in eodem Oppido conſtruendo uti poſſe plurimùm deſiderabat: Nos ſupplicationibus dicti Syndici Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Syndico, quod ædificia prædicta quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendere & alienare, illorumque emptoribus poſſeſſionem tradere & conſignare, necnon pretio exinde proveniente ad opus fabricæ novæ Domûs præfatæ, uti liberè, & licitè valeret, Apoſtolica Auctoritate licentiam conceſſimus, & impartiti ſumus, prout in noſtris deſuper in ſimili forma Brevis expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, pleniùs continetur.

Cum autem, ſicut dilectus Filius Vicarius Provincialis eorumdem Fratrum Provinciæ Panormitanæ Nobis nuper exponi fecit, in præfatis noſtris litteris nulla facta fuerit mentio de Eccleſia veteri dictæ Domûs Regularis, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, atque, ut infra, indulgere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictum Vicarium Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Syndico dictæ Domûs Regularis, quod ipſe prædictam Eccleſiam veterem demoliri facere, illiuſque cœmentis, & materialibus ad opus fabricæ novæ Domûs præfatæ, uti liberè & licitè poſſit & valeat, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus, necnon Domûs, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 1x. Julii MDCXXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertiodecimo.

M. A. Maraldus.

Ex Regeſto Archivi Secret. Brevium Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 151.

Eccleſiam antiquæ Domûs Loci Polizzi, oſſibus mortuorum & ſuperficie terræ priùs translatis, ad prophanos uſus reduci, et cœmentorum pretium in beneficium novæ fabricæ impendi, Epiſcopo loci committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſc. Cephaluden. ſeu dilecto Filio ejus in ſpiritualibus Vicario Generali.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut dilecti Filii Miniſter Provincialis Provinciæ Panormitanæ, ac Syndici fabricæ novæ Domûs Regularis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ Polizzi Cephaluden. Diœceſ. Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Domum Regularem antiquam eorumdem Fratrum dictæ Terræ vendi poſſe, aliàſque ſibi, ut infra, providere ſummopere deſiderent. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volen. & â quibuſvis &c. cenſentes ſupplicationibus illorum &c. inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus & mandamus, ut Syndico dictæ Domûs Regularis antiquæ, poſtquam nova Domus hujuſmodi & Eccleſia cum campanili, campaniis, Altaribus & neceſſaria ſuppellectile conſtructa fuerit, & in ipſa nova Domo tot cellæ, quot ad habitationem dictorum Fratrum erunt neceſſariæ, cum refectorio ædificatæ & ſuppellectile neceſſaria inſtructæ fuerint, & dicti Fratres ad illas canonicè translati fuerint, prædictam Domum antiquam perſonis meliorem conditionẽ offerentibus vendendi, & pretium inde redigendum recipiendi licentiam Auctoritate noſtra Apoſtolica concedas, & eorumdem Fratrum antiquam Eccleſiam, monumentis tamen & oſſibus mortuorum unâ cum ſuperficie Terræ alibi collocatis, erectaque inibi Cruce, auctoritate prædicta prophanes, & ad prophanos, non tamen ſordidos uſus reducas; & præterea eidem Syndico cæmenta Eccleſiæ ſic profanandæ, ſeu illorum pretium ad novam Eccleſiam pro illius uſibus transferendi, ſeu in ejus beneficium convertendi licentiam pariter dicta auctoritate concedas. Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, fel. rec. Pauli PP. II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Maii MDCXXXIX. Pontificatus noſtri Anno decimoſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſt. Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 30.

NOTA.

IN Eccleſia hujus novæ Domûs ad valvas Eccleſiæ &c. affixa quoque videtur copia Brevis Apoſtolici ſub Dat. 21. Martii 1639. in forma communi, incipiente *Conſervationi &c.* videnda ſuprà fol. 149. expediti & regiſtrati in Archivo Secretariæ Brevium Apoſtolicorum in Regeſto menſis & anni prædictorum, qua vetatur extractio SS. Reliquiarum, quæ ſunt:

Particula de Ligno Sanctiſſimæ Crucis, Reliquiæ SS. Bartholomæi Apoſtoli, Baſilii Magni, Catharinæ Virg. m., Diomedis m., Jacobi Min. Apoſtoli, Joannis Chriſoſtomi Eccleſiæ Doctoris, Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, Porphirii m., Romani m. Stephani Protomart., Urſulæ Virg. m., & Reliquiæ 40. *Martyrum.*

Quæ-

Quædam terræ petia aliàs pro fabrica Domûs Terræ Alcami empta vendi, eorumque pretium in alias ejuſdem Domûs neceſſitates converti, Syndico committit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Miniſter Provincialis & Fratres Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Panormitanæ, quod Conventus Terræ Alcami Mazzarien. Diœc. Ordinis hujuſmodi alio, quàm qui deſignatus fuerat, loco conſtructus fuerit, & propterea nonnulla terræ petia aliàs empta ſeu data pro ſitu dicti Conventûs vendere, ut eorum pretium in alias ejuſdem Conventûs neceſſitates convertatur, oporteat; idcirco dicti Exponentes Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut de opportuna in præmiſſis licentia providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur eoſdem Exponentes à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Dilecto Filio Syndico dicti Conventûs prædicta terræ petia vendendi, illorumque pretium in alias ejuſdem Conventûs neceſſitates erogandi licentiam Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis & Conventûs hujuſmodi, etiam &c. conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Junii MDCXLI. Pontificatus Noſtri Anno decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni prædict. fol. 5., de quo Breve formatum in Archivo Conventûs.

Vitulos in Conventibus Provinciæ, non obſtante prohibitione aliàs facta, mactari poſſe concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Panormitanæ Nobis nuper exponi fecerunt, Ipſis quandoque pro eleemoſyna dentur Vituli, quos perſonæ ſæculares mactare nequeunt, cupiantque propterea ſibi in præmiſſis per Nos opportunè provideri. Nos eoſdem Exponentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eiſdem Fratribus, ut non obſtante prohibitione per Nos omnibus & quibuſcumque Perſonis Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus Regni Siciliæ ultra Pharum ſub certis modo & forma, ac pœnis aliàs tunc expreſſis deſuper factâ in quibuſcumque locis dictæ Provinciæ Vitulos, quos ipſis, & pro tempore exiſtentibus Guardianis, & aliis dictæ Provinciæ Superioribus, quandocunque pro eleemoſyna dari contigerit, pro eorum uſu dumtaxat mactari facere liberè & licitè poſſint, Apoſtolica authoritate tenore præſentium concedimus & impartimur. Non obſtantibus præmiſſis, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Junii MDCXLI. Pontificatus Noſtri Anno decimo octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. fol. 9., de quo Breve formatum in Archivo Provinciæ.

Novam Domum in Loco Corleonis conſtrui concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum loci *Coniglionis* Montis Regalis Diœceſis, quod ipſi eorum Domum Regularem ruinam minantem alio in loco reædificare coguntur. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi de opportuna ſitum Domûs prædictæ vendendi, illiuſque pretium in fabricam novæ Domûs Regularis in ſitu, in quo jam, ut aſſerunt, Eccleſiam pro celebrando in ea Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac habitationem Fratribus fabricæ dicti novi Conventûs vacaturis ſufficientem habent, convertendi licentiâ providere, ac aliàs, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Exponentes ſpecialibus &c. volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Dilecto Filio ipſorum Exponentium Syndico, quod ipſe primodictæ Domûs ſitum hujuſmodi vendere, & pretium inde redigendum in fabricam dictæ novæ Domûs Regularis convertere; necnon è dicta vetere Domo oſſa Fratrum dicti Ordinis Defunctorum, & aliorum etiam, ſi qui ſint, inibi ſepultorum, dummodo tamen illa diſcerni poſſint, ad dictam novam Domum, ſeu illius Eccleſiam transferre, ſeu transferri facere liberè & licitè poſſit & valeat, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus & impertimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Conventuum hujuſmodi etiam &c. conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XIII. Junii MDCXLI. Pontificatus Noſtri Anno Decimo Octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 15.

N O T A.

GRatâ memoriâ hìc laudare me oportet donum, quo Monaſterium Monialium S. Mariæ Magdalenæ commodum fabricæ novæ adjuvit, petitâ & conceſsâ licentiâ, quæ ſequitur:

Supplicantibus Capucinis Loci Corleonis Diœceſis Montis Regalis, ut Monialibus Sanctæ Mariæ Magdalenæ ibidem licentia concedatur, donandi dictis Patribus petium terræ valoris 120. ſcutorum, vicinum ſitui, in quo Conventum conſtruere intendunt.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regular. præpoſita attenta relatione & conſenſu Emi D. Archiepiſcopi, benignè annuit, ut petitur, Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, dummodo Moniales ipſæ capitulariter, ſecretiſque ſuffragiis conſentiant die 14. Junii 1641.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

Translationi econtra dictæ Domûs fortiùs ſeſe RR. PP. Reformati oppoſuêre, quorum molimina diremit Decretum ſequens:

In cauſa vertente inter Fratres Ordinis Capucinorum & Fratres Minores de Obſervantia Reformatos S. Franciſci Civitatis Corleonis, Diœceſis Montis Regalis ſuper translatione Conventûs, quam præfati Patres Capucini facere intendunt extra Civitatem ad evitanda incommoda, quæ patiuntur extra illam, & ruinam, quam minatur eorum Conventus, rebuſque aliis &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, auditis partibus, & negotio ad relationem Emi Priſchii maturè diſcuſſo cenſuit Conſtitutiones Apoſtolicas ſuper novorum Conventuum erectione editas non habere locum, quando mutatur ſitus Conventûs, ac proinde Fratres Capucinos præfatos non poſſe impediri à Fratribus de Obſervantia Reformatis, quin poſſint novum Conventum erigere extra Civitatem recedendo totaliter à Conventu extra illam erecto, præmiſſis, cœteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Romæ 13. Sept. 1641.

Ex eo, quod Decretum de conditione diſtantiæ aliàs præſcripta non loquatur, nec deſuper expreſsè diſpenſet, PP. Reformati ſuâ cauſa necdum ſeſe cecidiſſe rati, executionem Decreti impedire pergebant, uſque dum finem poſuit aliud & ſequens Decretum:

Patribus Obſervantibus Reformatis Corleonis executioni Decreti, quo Sacra Congregatio FF. Capucinis translationem Conventûs, ruinam minitantis indulſit, ſeſe adhuc opponentibus, ſub prætextu, quod in dicto Decreto non exprimatur, quod, etiamſi diſtantia 300. cannarum non adſit, hoc tamen non obſtet.

Sacra Congregatio &c. negotio ad relationem Emi Cæſarini utrâque parte informante iterum maturè diſcuſſo cenſuit Conſtitutiones & Decreta Apoſtolica ſuper novorum Conventuum erectione edita, etiam in qua parte diſponunt de diſtantia ſervanda inter Conventus jam erectos & erigendos, non habere locum cum mutatione ſitûs Conventuum jam erectorum in eodem loco, ac proinde ſtandum eſſe in deciſis, præmiſſis cœteriſque contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Die 9. Maii 1642.

Utriuſque hujus Decreti Autogr. in Secret. Congreg. menſium & annorum prædictorum, & quidem ultimi fol. 143.

Ex

Ex Eccleſia Domûs novæ Drepani Sacras Reliquias extrahi vetat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi & manutentioni Sacrarum, uti piè creditur, Sanctorum Reliquiarum, quas in Eccleſia Domûs Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Terræ, Civitatis nuncupatæ, Drepani, Mazarien. Diœceſ. aſſervari aſſeritur, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac Dilectum Filium modernum dicti Ordinis Provincialem ſpecialibus favoribus &c. cenſentes, Supplicationibus dicti Provincialis Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cœtero quævis Perſona, ſive Sæcularis ſive Regularis, cujuſvis gradûs, conditionis, qualitatis & dignitatis, etiam Eccleſiaſticæ, & quacunque auctoritate, Superioritate & officio fungens, etiam individuâ mentione digna, Reliquias prædictas, ſeu illarum aliquam partem, etiam minimam aliis Eccleſiis, ſeu locis piis commodare, aut ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione aut occaſione è dicta Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia extrahere, & aſportare, ſeu, ut commodentur, & aſportentur, permittere aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nemo, niſi à Nobis, & pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo conſtitutus impetrare poſſit, ac etiam quoad regulares privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis per contrafacientes eò ipſo abſque alia declaratione incurrendis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Domûs aut Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, ſeu illius Sacriſtiæ, aut alio proſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Junii MDCL. Pontificatus noſtri anno Sexto.

M. A. Maraldus.

Ex autog. Arch. Secret. Brev. Apoſt. fol. 355. de quo Breve formam in Archivo Conventûs.

N O T A.

REliquias, quas Eccleſia prælibati Conventûs cultui exponit, lege ſequentes:

De Pannis, quibus Chriſtus Dominus fuit involutus, de Veſte Chriſti, integra Spina de ejuſdem corona, duæ particulæ de Ligno Sanctiſſimæ Crucis, de Spongia, & Lapide Sanguine Chriſti tincto.

Reliquiæ de Veſte, Velo, & Capillis B. V. Mariæ.

SS. Abdonis m., Acalii m., Acumei m. reliquia inſignis. Adaucti m. reliquia inſignis. Ægidii m. Æmilii m., Æmiliani m., Agapiti m. reliq. inſig. Agathæ v. m., Agnetis v. m., Alexii m., Alexii Conf. Almachii m. reliq. inſign. Anaſtaſiæ v. m., Andreæ Apoſtoli. Andreæ m., Antonini m., Apollonii m., Apolloniæ v. m. reliq. inſign. Apolloniæ m., Artemii m., Aſillæ m., Auguſti m.

SS. Barbaræ v. m., Bartholomæi Apoſt., Bartholomæi m. reliq. inſig. Baſilii m. reliq. inſig. Blandæ m., Bonaventnræ m., Boni m., Bonifacii m.

SS. Cæciliæ v. m. reliq. inſig. Cæleſtini m., Cæſarii m., Candidi m., Candidæ m. reliq. inſig. Caroli Borromæi Epiſc. & Cardinal. Caſtillanæ m., Catharinæ v. m.. Celiani m., Chriſtinæ v. m., Cirini m., Clari m., Claræ virg., Concordii m., Conſtantii m., Conſtantiæ m. reliq. inſig. Coronæ v. m., Coſmæ & Damiani mm. reliq. inſig.

Sanctæ Deicolæ m., SS. Delpini m., Deodori m., Dependentii m., Deſiderii Epiſc. & m. reliq. inſig. Deſiderii m. Corpus integrum. Devorini Epiſc. & m. reliq. inſign. Dindami m., Domnini m. reliq. inſig. Dominici Conf., Dionyſii m.

SS. Ecumeſi m., Eliſabeth, Eliſæi m., Emerentianæ v. m. reliq. inſig. Eugenii m.. Euphemiæ v. m. reliq. inſig. Euphromitæ m., Euſebii m. reliq. inſig. Eutichii m.

SS. Fabiani m., Fauſtinæ m., Felicis à Cantalicio Capuc. Conf., Feliciani m., Feliciſſimi m. reliq. inſign. Felicitatis m. Corpus integrum. Fidelis à Sigmaringa Capuc. Protom. Florentiæ v. reliq. inſign. Fortuni m., Fortunati m., Franchi m., S. P. Franciſci, Fructuoſi m.

SS. Gaudioſæ v. m., Germani m., Georgii m. reliq. inſig. Gordiani m., Gratiani m., Guilelmi m. reliquia inſignis.

SS. Hilarionis Abb., Hyacinthi m., Hyacinthi Conf., Hyppoliti m. reliq. inſig.

SS. Jacobi min. Apoſtoli. Innocentii m., Joannis Baptiſtæ de cilicio. Joannis m., Joannæ Vrbanæ m., Joſephi à Leoniſſa Capuc. m., Jovini m., Irenæi m., Julii m. Corpns. Juſti m. reliq. inſign. & aliæ. Juſtini m.

SS. Laurentii m., Leontii m., Liberati m. reliq. inſig. & aliæ. Luciferæ m., Lucii m. reliq. inſig. Lacillæ m. reliq. inſig. & aliæ.

SS. Manſueti m., Marci Evangel., Mariæ Magdalenæ Pœnit., Marini m., Marthæ, Matthæi Apoſt., Mauri reliq. inſig. Maximi m.. Monani m.

SS. Ne-

SS. Nemeſii m., Niceti m., Nomantiæ m., Nomitæ m., Nopinæ m.

S. Olympii m.

SS. Patritii Epiſc. m. reliq. inſig. Patritii m., Paſchalis, Pauli m., Paulini m., Paulinæ v. m.; Petri m., Phanacii m., Philippi Apoſt., Philippi Epiſc. m. reliq. inſig., Philippi Nerii Conf., Pii m., Placidi m., Plautillæ v. m., Plinii m., Pompianii m., Priami m., Primiani m.

S. Quintilis m.

SS. Redemptæ virg. reliq. inſign. Relati m., Reſtituti m. reliq, inſig., Reſtitutæ v. m. reliq. inſig., Roſaliæ v.

SS. Sabini m., Salviſtrii m., Saluſtiæ m. reliq. inſig. Saturnini m. reliq. inſig. Sebaſtiani m., Seraphini à Monte Granario Capuc. Conf. Severi m., Servuli m., Silverii m., Simonis Apoſtoli, Simplicii m., Simpliciæ m., Siſini m., Sitonii m., Stephans Protom., Symphoroſæ v. m. reliq. inſig.

SS. Theclæ v. m., Theodori m. reliq. inſign. Theodoſii m., Thomæ Apoſt. Thomaſii Presbyt. & m.; Thomaſii m.

SS. Valentini Corpus. Valerii m. reliq. inſig. Valeriæ v. m., Venerei m., Victorii m., Victoriæ v. m., Vincentii m., Vincentii & Vberantii mm., Viridiani m., Vitalis m,, Viti m. reliq. inſig.

Item reliquiæ inſignes de Martyre ex Societate S. Mauritii, de uno ex Sociis Mart. S. Placidi, ac de una ex Soc. S. Vrſulæ m.

Præcavet idem circa Reliquias Eccleſiæ Domûs Oppidi Caſtriveterani.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi nobis nuper fecerunt dilecti Filii Guardianus & Fratres Conventûs Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Oppidi Caſtriveterani Mazarienſis Diœceſis, quod in Eccleſia dicti Conventûs multæ Sanctorum Reliquiæ collocari debeant, propterea illarum conſervationi & manutentioni à Nobis provideri ſummopere deſiderant. Nos igitur ſpecialem dictis Exponentibus gratiam facere volentes,& eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam quavis auctoritate, vel officio fungens, Reliquias præfatas, ſeu illarum aliquas è dicta Eccleſia, poſtquam in illa collocatæ fuerint, ſeu illius Sacriſtia extrahere, commodare, ſeu aſportare, vel, ut commodentur, aut extrahantur, ſeu aſportentur, permittere, aut conſentire ſub quovis prætextu, quæſito colore, cauſa, vel ingenio audeat quovis modo, vel præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ eòipſo abſque alia declaratione incurrenda, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium prohibemus & interdicimus. Non obſtantibus &c. *Reſiduum uti ſupra.*

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Septemb. MDCLXIX. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Breve formatum in Archivo Conventûs.

NOTA.

SAcræ Reliquiæ, quarum extractio hic inhibetur, ſunt ſequentes;

De Ligno S. Crucis D. N. J. Chriſti Reliq. SS. Andreæ Apoſt. Annæ Matris B. V. Mariæ. Antonini m. Brachium. Aquilæ m. Brachium. Aurelii m. Cruſ., Aureliæ m. Reliq. inſign. Auriajuniæ m. Brachium. Benigni m. Cruſ. Calogeri m. Cruſ. Clementis m. Cruſ. Fauſtini m. Brachium. Fidelis à Sigmaringa Protom. Capuc. Fortunati m. Reliq. inſig. S. P. Franciſci. Honeſti m. Brachium. Januarii Epiſc. & m. Cruſ. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris. Joſephi à Leoniſſa Capuc. Conf. Juliani m. Cruſ. Alterius Juliani m. Reliq. inſig. Juſti m. Brachium. Laureati m. Brachium. Longini m. Reliq. inſign. Lucii m. Corpus. Alterius Lucii m. Reliq. inſig. Magni m. Cruſ. Mariæ Magdalenæ Pœnit. Marini m. Cruſ. Maximi m. Brachium. Alterius Maximi m. Os integrum, in quo paſſus eſt. Pacifici m. Brachium. Reſtitutæ m. Corpus. Roſaliæ V. Seraphini à Monte Granario Capuc. Conf. Servii m. Brachium. Severi m. Cruſ. Suiri m. Cineres & Oſſa. Tertulliani m. Cruſ. Victoriæ m. Brachium. & Vincentii m. Brachium &c.

Electionem Fr. Joſephi ab Ica in Miniſtrum Provincialem confirmat, non obſtante, quod in numero 14. Fratrum, ad officium Provincialatûs ab Eminentiſſimo Cardinale Protectore, & P. Miniſtro Generali, Papali conſenſu nominatorum non eſſet comprehenſus.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſuit nobis nuper dilectus Filius noſter Federicus S.R.E. Presbyter Cardinalis Borromæus nuncupatus, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, apud Nos & Sedem Apoſtolicam Protector tam ſuo quàm dilecti Filii Miniſtri Generalis dicti Ordinis nomine, quod, cum in proximo prçterito Capitulo Provinciali Provinciç Panormitanæ ejuſdem Ordinis notificatum fuiſſet Mandatum ipſorum Federici Cardinalis & Protectoris, ac Miniſtri Generalis, ut ex quatuordecim Fratribus in eodem mandato præſcriptis, ſeu nominatis Miniſter Provincialis dictæ Provinciæ eligeretur, aliqui Vocalium cum audiviſſent ejuſmodi mandatum de conſenſu Noſtro emanâſſe, illi morem gerere voluerunt, alii verò, quia de voluntate noſtra non conſtabat, prout ad effectum derogandi Conſtitutionibus Ordinis prædicti neceſſarium erat, ad electionem extra numerum quatuordecim Fratrum ſic nominatorum proceſſerunt, & dilectum etiam Filium Joſephum ab Ica Fratrem expreſsè profeſſum dicti Ordinis in Miniſtrum Provincialem Provinciæ prædictæ Panormitanæ, concurrente ad id majori votorum ſive ſuffragiorum numero, cæteroquin canonicè elegerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicta Provincia propter præmiſſa aliquantum turbata reperiatur: ut verò ipſius Provinciæ tranquillitati conſulatur, & prædictus Joſephus mandato ſupradicto non òbſtante, quod Vocalibus dicti Capituli Provincialis legitimè & tempeſtivè notificatum non fuit, Provincialatus Officium, ſemota omni ambiguitate, ad Dei gloriam, & Religionis utilitatem valeat exercere, Federicus Cardinalis & Protector, ac Miniſter Generalis prædicti opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri plurimùm deſiderent.

Nos eorumdem Federici Cardinalis & Protectoris, ac Miniſtri Generalis votis hac in re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, dictorumque Miniſtri Generalis & Joſephi ſingulares perſonas, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus ipſius Federici Cardinalis & Protectoris tam ſuo quàm prædicti Miniſtri Generalis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati Electionem de perſona memorati Joſephi ab Ica in Miniſtrum Provincialem Provinciæ prædictæ Panormitanæ in Capitulo Provinciali hujuſmodi factam, ut præfertur, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, quatenus opus ſit, validamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper propter præmiſſa quomodolibet intervenerint, ſeu interveniſſe dici, cenſeri, vel prætendi poſſent, ſupplemus, & ſanamus. Præterea eundem Joſephum in Miniſtrum Provincialem Provinciæ hujuſmodi ad tempus, ad quod in dicto Capitulo Provinciali electus fuit, cum omnibus & ſingulis præeminentis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus & oneribus ſolitis & conſuetis de novo itidem, quatenus opus ſit, auctoritate & tenore prædictis conſtituimus, & deputamus. Decernentes eaſdem præſentes litteras, firmas, validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac dicto Joſepho in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliter in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Majorem Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Septembris

bris MDCLXXII. Pontificatus noſtri Anno tertio.

L. G. Sluſius.

Ex Regeſto Archivi Secr. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 13.

DECRETO

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Loco Aragoniæ ad inſtantias Principis ibidem conceditur.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

DEvotio, quâ Religionem Capucinorum ſemper proſequebar, ad Monaſterium in mea Terra Aragoniæ propriis meis expenſis erigendum me induxit; cumque à P. Generali conſenſum deſuper requiſiviſſem, inſtantiis meis præſuppoſitâ EE. VV. facultate benignè acceſſit. Cumque opus tam Sanctum citiori executioni mandari deſiderem, reverenter pro dicta facultate ſupplico plurimùm ſtimulatus à fervido deſiderio meorum Subditorum, quorum 5. millia numerantur, & quorum potior pars in dandis elemoſynis liberalis exiſtit. Ex quo ad minus 12. Fratres ibi commodè morari poſſe atteſtor, ultra quod & ego ipſe neceſſitatibus illorum ſine paupertatis præjudicio providere paratus extem.

Quam Deus &c.

Princeps Aragoniæ.

S. Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſcop. & Regul. præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Agrigentini, eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, & accedente conſenſu illorum, quorum intereſt, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti Conventûs, cum Eccleſia, campanili, choro, Sacriſtia, Refectorio, hortis & ſpatiis omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam; necnon ex eleemoſynis piorum Benefactorum duodecim hujuſmodi Religioſos commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam erectionem, & Religioſorum introductionem, pro ſuo arbitrio, & conſcientia procedat, ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per ſacros Canones, S. Concilium Trident. Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti, circa hujuſmodi novorum Conventuum Religioſorum erectiones præſcripta ſunt, religioſè ſerventur. 21. April. 1690.

C. Cardinalis Carpineus.

A. Altovitus Secret.

Ex Regeſt. Secret. Cong. menſ. & anni præd.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Situm ad Capitulum Agrigentinum pertinentem Fratribus concedendi, hoſque cum S. Imagine Bonamoren. ad novum Conventum, Cruce in loco Eccleſiæ prioris profanatæ erectâ, & conventione quoad aquam à Comite de Comiſo conceſſam ſervatâ transferendi, Epiſcopo Agrigentino facultas datur.

Agrigentin. Translationis Conventûs Capucinorum.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, attenta relatione Epiſcopi Agrigentini, referente Eminentiſſimo Denhoff., cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè commiſit eidem Epiſcopo, ut, veris exiſtentibus narratis, petitam facultatem tam concedendi ſitum Capituli, ejuſque ſacræ diſtributionis, quàm transferendi Religioſos Capucinos ad novum Conventum cum pactis, & conditionibus conventis pro ſuo arbitrio & conſcientia reſpectivè impertiatur: Ita tamen, ut translatio Sacræ Imaginis de Bonamoren. fieri nequeat, niſi & poſtquam Capucini ab antiquo ad novum Conventum verè & realiter, ac omnimodè translati fuerint, & Eccleſia antiqui Conventûs, quatenus prophanari contingat, nunquam poſſit ad uſus ſordidos converti, & in loco ejuſdem Crux erigi debeat. Et quoad aquam olim conceſſam à Comite Comiſo ſine aliquo præjudicio Pactorum contentorum in Inſtrumento dictæ conceſſionis, & uniuſcujuſque deſuper intereſſe habentis.

Romæ 15. Aprilis 1695.

G. Card. Carpineus.

A. Altovitus Secret.

DE-

ſuerit, dividi & partiri debere; quam quidem licentiam, & permiſſionem voluit per hujuſmodi Oraculum noſtrum, aut per Breve Sanctitatis Suæ poſſe expediri. Non obſtantibus literis, ſeu prohibitione Nicolai Papæ IV. memoratis, & aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. In quorum omnium & ſingulorum fidem has noſtras fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, ac noſtri conſueti Sigilli appenſione munitas. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die XXI. menſis Novembris Anno Incarnationis Dominicæ MDLXX. Pontificatus ejuſdem SSmi Domini Noſtri D. Pii V. Anno quinto.

Jul. Ant. Card. S. Severinæ.

Jo: Matthæus de Robertis Secret.

Autogr. Exemplar in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Panormitana.

Altare SS. Crucifixi in Eccleſia Domûs Panormitanæ pro noſtris Sacerdotibus tantùm in perpetuum privilegiat.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnium ſaluti paterna charitate intenti inter tam multa pietatis officia, quæ Nos pro munere noſtro convenit exercere, Sacra interdum Loca ſpeciali privilegio inſignimus, ut inde Fidelium animarum ſaluti amplius conſulatur. Quocirca, ut Eccleſia Domûs Sanctiſſimi Crucifixi Panormitan. Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum, viginti Sacerdotibus ejuſdem Ordinis Profeſſis Divinas Laudes Deo perſolventibus, ultra alios Fratres ibi continuò reſidentes, qui omnes numerum quadragenarium inſimul conſtituunt, decenter ornata, nec ſimili uſque adhuc privilegio decorata, & in ea Altare Crucifixi, quod Majus non eſt, hoc ſpeciali dono illuſtretur, auctoritate Nobis à Domino tradita concedimus, ut, quoties ab aliquo dictæ Domûs Sacerdote duntaxat, Miſſa Defunctorum ad prædictum Altare celebrabitur pro anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipſa de theſauro Eccleſiæ indulgentiam conſequatur, quatenus Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberetur.

Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo decimo Kalend. Aprilis Pontificatus Noſtri anno nono.

M. Datarius.

Cæſar Glorierius.

Bulla formata in Archivo Conventûs ſupradicti. Vide & alia de hac Domo inferius.

Ad preces Felicitatis Corſo Monaſterium Tertiariarum Capucinarum ſub invocatione Sanctæ Eliſabeth Reginæ in Civitate Panormi conſtrui: harum numerum ad triginta tres extendi: Converſas in illud non admitti: pro ejus regimine Statuta condi: Monialibus ſub juriſdictione Ordinarii viventibus, privilegia aliorum ſimilium Monaſteriorum communicari: nullam niſi cum dote annui redditûs 30. ſcutorum recipi, & Legatum 37. ſcutorum aliàs pro nubenda aſſignatum pro commodiore Monialium victu applicari, Archiepiſcopo Panormitano committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Archiepiſcopo Panormitan.*

PAULUS PAPA V.

Ven. Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXpoſitum Nobis nuper fuit nomine Dilectarum in Chriſto Filiarum Felicitatis Corſo Miniſtræ, & Sororum Capucinarum nuncupatarum Panormitan. ſub invocatione Sanctæ Eliſabethæ Reginæ Tertii Ordinis Sancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati, quod aliàs quondam Maria Ramo Soror Capucina nuncupata dicti Tertii Ordinis, in ultimo ejus Teſtamento de Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo quaſdam ſuas Domos, ubi habitabat ſub magno Hoſpitali Panormitano & in quartiero *del Caſſaro* ſitas, ut in eis Monaſterium Monialium Capucinarum nuncupatarum dicti Ordinis S. Franciſci, cuidam Monaſterio Monialium Neapolitano ejuſdem Ordinis conſimile, ex quo una dicti Ordinis Abbatiſſa de ordine Generalis ejuſdem Ordi-

Ordinis ad illud venire deberet, erigeretur, & in illius fabricam & reſtaurationem fructus cujuſdam furni & alias ſuas domos reliquit, ita tamen, quod finita fabrica & reſtauratione hujuſmodi, uni puellæ Virgini ſingulis annis dos triginta ſeptem ſcutorum cum dimidiô per Rectores Hoſpitalis S.Bartholomæi Panormitan. (quod hæredem ſuum univerſalem inſtituerat) ad effectum nubendi aſſignaretur, & quoad (uſque dictum Monaſterium fabricaretur, prædictæ Domus, quas tunc ipſa Teſtatrix inhabitabat, pro quinque Sororum Capucinarum pauperum per eam nominatarum, & aliarum per Guardianum Fratrum Capucinorum nominandarum habitatione inſervirent, eiſque redditum annuum viginti ſcutorum monetæ ad granum & vinum emendum aſſignavit, & ſic in dictis Domibus octo Sorores dicti Tertii Ordinis S. Franciſci à die obitûs dictæ Teſtatricis uſque ad annum 1600. abſque ſolutione alicujus penſionis permanſerunt clauſuram minimè ſervantes. Dicto verò anno 1600. Felicitas Corſo prædicta Soror Capucina ejuſdem Tertii Ordinis S. Franciſci ætatis 54. annorum, ac de nobili genere procreata in dictas Domos migravit, quæ tum propter provectam ætatem, tum generis nobilitatem in Miniſtram electa, divinò favente auxilio, vitaque ſua exemplari dictas Domos ad formam Monaſterii, eas circumcirca occludens, cum Eccleſia ſeu Oratorio, & aliis neceſſariis reduxit, ubi ipſa cum viginti Sororibus unanimiter quidem, non tamen communem vitam ducentes, nec clauſuram ſervantes uſque ad annum 1603. omni, qua decet, honeſtate & bono exemplo vixerunt. Eodem anno 1603. dicta Miniſtra, aliæque Sorores prædictæ ſponte ſua clauſuram ſervare cœperunt habentes ſuum Confeſſorem ordinarium Presbyterum ſæcularem, divina in Choro officia peragentes, ac voluntariam paupertatem amplexæ ad hunc uſque diem ſub clauſura, & in communi vixerunt ex quibuſdam annuis, tenuibus tamen redditibus, & piorum eleemoſynis, de quibus multas Domos contiguas ad valorem duorum millium ſcutorum in totum aſcendentes & aliis Domibus fundatricis adhærentes coemerunt, ita, ut dictum Monaſterium in optimo ſtatu & terminis reperiatur, ut quaſi ad formam Inſulæ redactum, ac undequaque benè occluſum, ipſaque fabrica fini ſit proxima.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicta Miniſtra Felicitas, aliæque viginti duæ Sorores prædictæ, quarum major pars multis abhinc annis in dictis Domibus vixit, & quæ omnes à tribus annis ſeſe, ut præfertur, ſpontaneè recluſerunt, perfectionem Religionis & Clauſtri hujuſmodi ſummopere deſiderent, cupiantque Regulam Tertii Ordinis S. Franciſci in dicta Domo, & Monaſterio Capucinarum ſub invocatione S. Eliſabethæ Reginæ amplecti, at in communi, nihil proprii habentes, vivere, & panno vili ac ſordido *erbagio* vulgariter nuncupato cum tunica & cucullo ſuper humeros ſeſe veſtire, ac ſandaliis uti, & ſecundùm Conſtitutiones ab Ordinario prius approbandas; quas pro bono dicti Monaſterii noviter erigendi regimine facere intendunt, ſe regere, noſtrâ tamen & Sedis Apoſtolicæ ad hoc ſibi ſuffragante licentiâ; ideo pro Earum parte Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur pium hoc illarum deſiderium plurimùm in Domino commendantes, ac illarum ſingulas à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, nec non Domorum præfatarum ſituationes, confines, vocabula, denominationes, nuncupationes, & veros etiam annuos valores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium deputatorum Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut de præmiſſis Te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi Tibi verè conſtiterit, quod dictum Monaſterium debita clauſura munitum ſit, dictæque Sorores redditus annuos & ſecuros ad ſummam quingentorum & ſeptuaginta ſeptem ſcutorum cum dimidio aſcendentes certis modo & forma obtineant, qui, præſertim cum eleemoſynis piorum Chriſtifidelium, ac laboribus manuum ſuarum ad congruam Earum ſuſtentationem, ut aſſeritur, ſufficiunt, aliaque in dictis Domibus ad Monaſterii formam neceſſaria adfuerint, unum Monaſterium dicti Tertii Ordinis Sancti Franciſci ſub invocatione S.Eliſabethæ Reginæ pro uſu & habitatione Monialium, quas plures triginta tribus eſſe nolumus, auctoritate Noſtra Apoſtolica perpetuò ſine alicujus præjudicio erigas, & in illo per Te ſic erecto dictas Sorores, prout Canonicæ ordinant ſanctiones, includas, dictumque Monaſterium & ſingulas illius Moniales nunc & pro tempore exiſtentes omni & quacunque juriſdictione & poteſtate Generalis, Provincialis, ac aliorum dicti Ordinis Fratrum totaliter eximens, Tuæ & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Panormitani juriſdictioni, poteſtati, viſitationi, correctioni, & gubernio perpetuo ſubijcias.

Præterea, ne aliqua Converſa in illud ullo modo, nec ullo tempore admittatur, expreſsè prohibeas, ſtatuaſq; , ne ulla deinceps, niſi cum dote redditûs annui, & ſecuri triginta ſcutorum in Monialem recipiatur, ac, ut prædicta Miniſtra, Vicaria, & Magiſtra Novitiarum ſtatim, aliæ verò Moniales in eo nunc degentes conſe-

conſequenter, prout Tibi meliùs viſum fuerit, Profeſſionem emittere valeant, indulgeas; nec non triginta ſeptem cum dimidio ſcuta prædicta, quæ dicta Maria poſt finitam fabricam & reſtaurationem dicti Monaſterii pro dotanda ſingulis annis una Puella Virgine, ut præfertur, reliquit, dicto Monaſterio pro commodiori victu Monialium perpetuò applices, & appropries. Inſuper eiſdem Miniſtræ & Monialibus dicti Monaſterii pro felici & proſpero illius regimine quaſcumque ordinationes & ſtatuta, licita tamen & honeſta, ac Sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis non contraria, per Te tamen prius approbanda edendi, & pro rerum & temporum qualitate illa abrogandi in toto, vel in parte, & loco abrogatorum alia de novo condendi, ac omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, conceſſionibus, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, & indulgentiis, quibus dictum Neapolitan., & forſan alia, ſi quæ ſint, dicti Tertii Ordinis S. Franciſci Monaſteria utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, utendi, fruendi, potiundi, & gaudendi licentiam concedas, ſuper quibus omnibus & ſingulis plenam, liberam, amplam & omnimodam Tibi tenore præſentium facultatem & auctoritatem tribuimus & impartimur. Non obſtantibus dictæ Mariæ, & quarumvis aliarum perſonarum voluntatibus, quas quoad hoc hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè commutamus, ac quibuſvis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis; nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, aliiſque Decretis in genere vel in ſpecie, & aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Aprilis MDCVII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Scipio Cobellutius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 120.

Fr. Angelum à Corleone ad liberandos è captivitate Chriſti Fideles Algerium iturum, Apoſtolica licentia communit.

A tergo: *Dilecto Filio Angelo à Corleone Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX omnibus Chriſtianæ charitatis officiis, quibus æterna ſalus per gratiam Dei comparatur, illa Redemptori noſtro, vel maximè placere credimus, per quæ infelices Captivi è terra impiorum, & miſera ſervitute revocantur, & propterea piis Chriſtifidelium, præſertim ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium votis ad id tendentibus favorabilem, quantum Nobis ex alto conceditur, præbemus aſſenſum.

Cum itaque, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Tu, qui, ut aſſeris, aliàs in Africæ partibus captivus detentus fuiſti, ob uſum & peritiam rerum partium prædictarum, qua præſtas, ad eaſdem partes pro captivis hujuſmodi liberandis Te conferre poſſe ſummopere deſideres, ſi Noſtra ad id Tibi & Apoſtolicæ Sedis licentia ſuffragetur & facultas. Nos ſingularem charitatem tuam plurimùm in Domino commendantes, Teque in hujuſmodi laudabili propoſito confovere, ac ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut de Superiorum tuorum licentia & arbitrio Ven. Fratris Archiepiſcopi Panormitani, ac aſſumptis tecum duobus ſociis Tibi à Provinciale Siciliæ, vel ab alio Superiore tuo deſignandis ad Algerium & alias Africæ partes pro Chriſtifidelibus ibi in miſera Infidelium ſervitute detentis liberandis, Te transferre & divertere, inibique degere & commorari liberè & licitè poſſis, & valeas, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus & impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, quem profeſſus es, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis &c. innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII. Apr. MDCXXIV. Pontificat. noſtri Anno primo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtol. Reg. menſ. & anni præd. fol. 270.

Fr. Urbanum à Politio, ad Joannettinum Card. Auriæ ablegat, & in commiſſo negotio libenter audiri commendat.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro Joanettino tit. S. Petri in Monte aureo Presbytero Cardinali Auriæ nuncupato.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Pontificiæ ſollicitudini ſolatia quærimus, cum Te alloquimur: quare nullam prætermittimus occaſionem, quâ ad Te Apoſtolicas Litteras dare poſſimus. Has Tibi reddi volumus à Dilecto Filio Fr. Urbano, qui nunc Panormitano Capucinorum Cœnobio præeſt. Ille autem juſſu noſtro negotium quoddam Tecum diſſeret, quod maximè Nobis curæ eſt. Cupimus igitur, â Te illum libenter audiri, atque eandem, quam Nobis loquentibus, fidem ipſi præſtari, Tibique Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Septemb. MDCXXVI. Pontificatus noſtri anno tertio.

Joannes Ciampolus Secret.

Autograph. in Secret. Brev. Apoſt. ad Principes *reg. menſ. & anni præd. fol.* 323. *à tergo.*

N O T A.

Annus milleſimus quingenteſimus octuageſimus Urbanum ſupradictum mundo, Politio, & Familiæ Trabonæ natum dedit, & annus 1597. Eundem voto Profeſſionis renatum, D. Franciſco, ac noſtræ Religioni ſacravit In hac cum Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudio, quo excelluit, ſolidæ virtutis adjunxiſſet ſpiritum, Guardiani, Definitoris, & S. Officii in Sicilia Conſultoris munia obtinuit, & juxta præpoſitas litteras ad tractanda Apoſtolica negotia fuit ſelectus. Reſonuit & ex eo vox Domini in virtute, & magnificentia, eaque concuſſit non ſolùm deſerta Cades, & patria Siciliæ Loca, verùm etiam prima Italiæ Emporia: Roma, Bononia, Melita &c. illius concionantis collaudârunt ſapientiam. Pertigit Viennam uſque fama de ſpiritu oris ejus, & propterea ad Auguſtiſſimæ Aulæ Pulpitum vocatus. Spartam ibi necdum compleverat, dum Eum obedientia ad Provinciam revocavit. Viro tam eximio Aulam ſuam privari ægrè tulit Auguſtiſſimus Ferdinandus II. & ideo illum in ſua Statione confirmari ſequentibus requiſivit litteris:

A tergo: *Honorabili, Religioſo, devoto, Nobis dilecto P. Hieronymo de Narnia Ordinis S. Franciſci Capucinorum Vicario Generali.*

FERDINANDUS II.

Divina favente Clementia, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c.

Honorabilis, Religioſe, Devote, Nobis Dilecte. Poſtquam ex veſtris die 21. Maii proximè præteriti ad Ordinis veſtri Fratrem, Nobis itidem dilectum Urbanum de Politio, qui hactenus tum in Aula noſtra, tum Ordinis veſtri Monaſterio hîc Viennæ Concionatoris munere functus eſt, datis percepimus, illum in Italiam à Vobis revocari, facere noluimus, quin hiſce Vos benignè commonefaceremus, ipſum Fr. Urbanum ab Anteceſſore veſtro nuper defuncto ad petitionem noſtram cum hac promiſſione huc ad Nos deſtinatum fuiſſe, ut nimirum, quamdiu Nobis placuerit, hîc Viennæ, vel alibi, ubi Aula noſtra verſabitur, permanere, dictumque Concionatoris munus obire, nec aliò ſine præſcitu & conſenſu noſtro debeat avocari.

Dictus itaque Fr. Urbanus, cum ab eo tempore, quo apud Nos Concionatorem agit, inſignem zelum, doctrinam, & prudentiam ſuam in Chriſtianæ pietatis & devotionis augmentum cum noſtro, omniumq; cæterorum ſumma ſatisfactione & laude ita præclarè, utiliterque ſpectanda dederit, impenderitque, ut noſtro in ipſius diſceſſum conſenſu, vel Aulam vel alios Fideles noſtros publico hocce præſentiæ ipſius beneficio minimè privare poſſimus, vel velimus; idcirco hiſce à Vobis quàm benignè petimus, requirimuſque, velitis Eidem alteris veſtris denuo injungere, atque mandare, ut ſecundùm præfatam Anteceſſoris veſtri diſpoſitionem, hîc, quamdiu Nobis placuerit, ulteriùs perſeveret, atque in Vinea Domini & vocatione ſua, impoſterùm etiam haud minore, quàm hactenus fecit, fœnore, pro animarum ſalute conſtanter laboret: id, quod pergratum habituri ſumus. Quibus Vos, totamque Religionem veſtram de propenſiſſimo noſtro in eam affectu, grataeque memoriæ noſtræ documentis ſemper certos eſſe volumus. Datum in Civitate noſtra Viennæ die decima nona Junii milleſimo, ſexcenteſimo trigeſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani decimo tertio, Ungarici decimo quarto, Bohemici verò anno decimo quinto.

FERDINANDUS.

I. B. Com. de Verdenberg.

Orig. in Arch. gen. Ord. armario Litteræ Principum.

Augu-

Auguſtiſſimus poſtea, ut meritum ejus redderet in Hierarchia Eccleſiæ conſpicuum, ad Mytram illum ſelegit, ea humilitate ab eo recuſatam, quá benignitate à Cæſare oblatam. Ad Provinciam reverſus cucurrit in ſtadio virtutis conſtanti zelo; cumque jam delibaretur & tempus reſolutionis *in*ſtaret, ad patriam ſeceſſit, ibique prænuntiato mortis ſuæ die curſum vitæ & fidei conſummavit anno 1654. relictis, quæ Bibliotheca Scriptorum Ordinis cum vitæ ſuperficie memorat, nonnullis operibus: fuſius autem vitam refert Canon. Mongitore in Bibliotheca Sicula &c.

Pro nova Domo Terræ Alcami ſitum, ex ære venditi ſitûs antiquæ Domûs emi indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro parte dilectorum Filiorum Provincialis & Diffinitorum Provinciæ Panormitanę Ordinis FF. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Nobis expoſitum fuit, quod ipſi certis de cauſis Domum Regularem & Infirmariam, quas in Terra de Alcamo Mazarien. Diœceſis habent, ad alium locum transferre decreverunt; Quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut in præmiſſis opportunè, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Exponentes ipſos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ, Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuę, Fili Vicarie, per pręſentes committimus, & mandamus, ut Syndico dictæ Domûs, quod ipſe Domûs Regularis & Infirmariæ prædictarum, necnon, poſtquam Eccleſiam dictæ Domûs Regularis, monumentis & oſſibus mortuorum, ac ſuperficie terræ, aliiſque rebus ſacris dictæ Eccleſiæ ad aliam Eccleſiam translatis, ſervatiſque aliàs ſervandis, profanaverit, ſeu profanari, & ad profanos, non tamen ſordidos uſus, reduxerit, ſeu reduci curaverit, etiam ipſius Eccleſiæ ſitum, & fabricam vendere & alienare, ac pretium inde proveniens in novi ſitûs emptionem, ac novæ Domûs Regularis dicti Ordinis in novo ſitu hujuſmodi conſtruendę fabricam convertere liberè, & licitè poſſit & valeat, licentiam & facultatem Auctoritate Apoſtolica concedas. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis & Domûs, Ordinis, ac Provinciæ prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die v. Februarii MDCXXXI. Pontificatus noſtri Anno octavo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 15.

S. Reliquias aut præſentes, aut futuras ex Eccleſia Conventûs Panormitani extrahi, aut aliò aſportari, vel eas extrahi aut aſportari permittere, ſub cenſuris & pœnis prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

COnſervationi Sacrarum Sanctorum & Sanctarum Reliquiarum, quæ, ut aſſeritur, in Eccleſia Domûs FF. Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Civitatis Panormitanæ aſſervantur, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ipſiuſque Domûs Guardianum, & Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus illorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Ne de cætero quiſquam quavis auctoritate fungens, ſub quovis prætextu, & ex quacunque cauſa, ratione, vel occaſione Reliquias prædictas tam præſentes, quàm futuras, aut aliquam earum partem à dicta Eccleſia aſportare, ſeu extrahere, ſive ut aſportentur, vel extrahantur, permittere audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Domûs & Ordinis prædicto-

dictorum, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Septembris MDCXXXII. Pontificatus noſtri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſis & anni prædict. fol. 82.

NOTA.

PRæter notabilem Ligni S. Crucis particulam, & particulas de Terebintho, ſub qua B. V. M. ſæpius cum Jeſu & Joſeph requieviſſe creditur, & de Columna, ad quam Chriſtus fuit flagellatus, conſervantur in Eccleſia prædictâ & particulæ Lapidum, qui vel ex mediato vel immediato Chriſti contactu Sanctitatem acceperunt, uti ſunt particulæ de petra antri, in quo Chriſtus natus eſt, de Lapide, in quo Chriſtus oravit, de Lapide, in quo ſtans fuit captus, de Lapide, in quo ſtetit populo præſentatus cum verbis: *Ecce homo*. De Lapidibus Montis Calvarii, Oſtii Monumenti & Sepulchri ejuſdem D. N. J. Chriſti.

Aliæ autem aliorum Sanctorum & Sanctarum Reliquiæ, quas hæc Eccleſia Fidelium cultui obiicit, ſunt ſequentes:

SS. Abdon & Senen. m. m. de Lingua. Abundii m., Adonis & Onipenis mm. de Crure. Adriani m., Adulii m. Ægidii m., Agapiti m. de digito Pedis & Brachio. Agathæ v. m., Agathonii m., Agnetis v. m., Alexandri m., Almachii m. Dens Molaris. Aloyſii m., Alphonſi m. de Mandibula. Amantii m. de Oſſe Cubiti. Amberti Ep. m. ex Oſſibus Capitis. Anacleti Papæ m. Os Capitis. Anaſtaſiæ v. m. ex auricularibus. Andreæ Apoſt. de Cute. Andreæ m. de Spina dorſi, & de tibia. Andreæ Avellini Conf. de Veſte & Capillis. Aniani m. de Femore. Aniceti Papæ m. Annæ Matris B. V. Mariæ de Oſſibus & Velo. Antimi m., Antiochi m. Turritani, Antiochi m. Antiochi Lectoris. Antonii m. de femore & Cranio. Antonini m. de Brachio, Spina & Tibia, Antoninæ v. m. de Capite & Landoide. Apolloniæ v. m., Armeniæ v. m. Digitus pedis. Arſenii m. de Fiſtula tibiæ. Aſcenii m. Aſelli m. Os furculæ. Audacti m.

SS. Barbaræ v. m. de Spatula. Baſilii m. Os tibiæ, Benigni m., Benignæ v. m., Bernardini Senenſis Conf. de Habitu. Bincemæ m. de Cranio. Blandæ m., Blaſii Epiſc. & m. Digitus major. Bonaventuræ Epiſc. Card. & Doct. Canna tibiæ cum aliis particulis. Boni m. Os capitis. Bonifacii Ep. & m. de Capite. Bonifacii m. de Tibia & cinere. Bonifaciæ v. m. Fiſtula brachii cum aliis particulis. Brigii m. ex Tibiis cruris.

SS. Cæciliæ v. m. Cæciliani m. de Tibia. Cæleſtini m., Cæliani m. de Mandibula & Mola. Cæliani & Soc. mm. os brachii. Cæliani m. de Tibia. Cæſarii m., Caii Papæ m., Calepodii m. de Capite. Caliſti & Soc. mm. de Brachio, cum aliis particulis. Calliodori m. Coſta. Candidi m., Candidæ m., Caroli Ep. Card. de Pulvere carnis, de Præcordiis, de cilicio, de Subucula, & Veſtibus Sacerdotalibus. Caſſii m. de Tibia. Catharinæ v. m. Celani m., & Chriſanthi m. Os capitis. Chriſanthi & Dariæ mm. Chriſogoni m. de Brachio. Chriſtinæ v. m., Chriſtinæ m. de Brachio. Ciriaci m., Cirici m. Os Brachii. Cirilli m. Os cruris. Cirini m., Claræ Virg. de Capillis. Claricæ m., Claudii m. Os coxendicis & cruris. Clementis m. alterius Clementis m. de Tibia. Columbæ v. m. Os cruris. Conceſſi m., Concordiæ m., Conſtantii m. Reliquiæ inſignes. alterius Conſtantii m., Conſtantiæ V. & M., Cornelii Papæ m. Os calvariæ, de Spina Dorſi & furcula. Cornelii m. Fiſtula cum junctura brachii. Cortonii m. Os brachii. Coſmæ m. de Digitis manûs. Coſmæ & Damiani mm. de Brachio & Manu. Coyntæ m., de Tibia. Criſpini m. Os brachii. Criſpini & Criſpiniani mm.

SS. Dariæ v. m. de Pede. Darii m., Dariculæ m., Delphini m. Dementii m., Dependentii m., Deſiderii m., Dietrami m., Diedori m., Diodoræ m. crus. Dioniſii Epiſc. & m. de Digito manûs &c. Dioniſii m., Dominici m., Dominicæ v. m., Domitii m., Donati de Cranio. Dorotheæ v. m. Canna brachii.

SS. Ecumei m., Egitioſi m., Eliſabeth Viduæ de Manu. Eleutherii Ep. m. de Capite. Emerentianæ v. m. Emilii m., Ennadii M. Os tibiæ. Epigmenii Presb. m. de Brachio. Epiphanii m. de Brachio. Eraſmi m. de femore. Etherii m., Eugenii m. Squama Oſſis tibiæ &c. Eugenii m. Os ſpondyle. Eugeniæ v. m., Euphemiæ v. m., Eviviani m., Euſtachii m. Os Coſſilis. Euxumii de cranio.

SS. Fabiani Pap. M., Fabiani m. de Mandibula. Faulini m. de Teſſera pedis. Fauſti m. de Capite. Fauſtæ m., Fauſtini m., Fauſtinæ m. de Manu. Felicis Papæ m. de Capite & femore. Felicis m., Felicis à Cantalicio Conf. Capucini de Oſſibus, Habitu, & Tabula, ſuper quam Corpus ejus à die obitûs uſque ad ejus translationem requievit. Feliciani m., Felicitatis m., Felini Archiepiſcopi Calarit. m. de Naribus. Feſti m. de Brachio. Fidelis m. de Tibia. Floræ v. m. de Tibia. Florenttii m. de Femore & coxendice. Florentiæ m. Crus. Florii m., Fortunati m. de Spatula & Coſta. Franchi m. S. P. Franciſci Aſſiſiatis de Cingulo. Franciſci de Paula Conf. de Habitu. Franciſcæ Romanæ de Veſte. Fulgentiæ m., Furculis m. Os brachii.

SS. Gaudentiæ v. m. de Calvaria. Gelaſii m. os tibiæ. Georgii m. de Capite. Gerardi m. de Brachio. Germani Ep. & m., Germani m. de femore. Gilæ m., Giurti m., Gordiani m., Gorgonii m. de Brachio. Gregorii m. de Manu.

SS. Herculani m. de Pede. Hieronymi Eccl. Doct., Hieronymi m. de Mandibula & Spondylibus. Hilarii Epiſc. Arelaten., Hilarii m. Caput, Mola, de Brachio, duæ Coſtæ, Os furculæ, de Scuto cordis, Os Xion, de Teſſera pedis &c. Hirarii m. Digitus Index, & medius pedis. Hiſitoſii m. de Brachio. Honorati m. Honorii m. de femore. Humiliæ, Hyacinthi m., Hyppoliti m. de Digitis pedum.

SS. Januarii m. de Brachio. Ignatii m. Calarit., Innocentii Papæ m. de Capite. Innocentii m., Innocentium Infantum mm. Coſta, & plures aliæ particulæ. Joannis m. de Manu. Joannæ m. de Coſtis &c. Joannis Capiſtrani Conf. de Habitu. Joris m. de Manu. Jovini m., Irenæi m., Iſidori m. Os coſciæ. Julii Papæ m. de Brachio. Julii Senatoris m. Corpus. Juliæ v. m., Juliani m. variæ partes corporis. Julianæ v. m. os epomidis. Juſti m., Juſtini m. de Manu & Tibia brachii. Juſtinæ v. m. de Manu. Junctæ m., Juvenalis m. de Manu & Brachio.

SS. Laurentii m. de Digitis manuum &c. Leonis m. de Digitis manuum. Leontii m., Liberæ v. m., Libera.

berati m., Liliſi m., Lipy Epiſc. m., Liry m. de Cranio. Lucæ m., Lucii Papæ m. de Manu, Brachio & Spina. Lucii Epiſc. m., Lucii m., Luciæ v. m. Coſta &c. Luciani m de Mandibula cum Mola & Dente. Luciferi Epiſc. m. Cauda Spinæ. Lucillæ m., Ludovici m. dimidia pars Mandibulæ inferioris. Lucillæ. v. m. Luxorii m. de Capite & Femore.

SS. Macarii Anachoritæ de Manu. Macedonii m. Os femoris. Magni m. de Manu. Malachiæ m. de Brachio. Mapariæ m. de Cranio. Marcelli Papæ m., Marcelli m., Marcellini m.; Marci Evangeliſtæ, quartus Digitus pedis cum carne & ungula. Mariæ v. & m. de Tibia. Mariæ Magdalenæ Pœnit., Marini Levitæ & m. de Pede. Marini m. de fucili. Marinæ v. & m. de Digitis manûs, & de Capite. Martialis m., Martini m. de Tibia. Mathæi m., Mauri m., Mauræ v. m. Dens molaris & de Capite. Mauritii m. Os femoris. de Sociis S. Mauritii m. de Tibia. Marii m. à S. Dioniſio baptizati, Maximi m., Melchiadis m. de Tibia. Mercurii m., Meruli m. de Capite. Minutæ m. Os brachii. Modeſti m. de Tibia. Monicæ Viduæ, Moyſis m. de Mandibula.

SS. Nazarii m. de Brachio, Nerei m. Brachium, Niceti m., Nupinæ m.

SS. Olimpii m., Optati m. Cruſ.

SS. Paludis & Urbani mm., Pancratii m., de Pede. Partenii m., Paſchalis m. de Tibia. Patritii m., Pauli m. Dens. Paulini m. Vertebra, & de coſta. Paulinæ v. & m., Pemi m. Os cruris. Petri Apoſtoli. Petri m., Petri Cæleſtini Papæ Cingulum Pontificale. Petri Alexand. Ep., Petri Pauli m., Philippi m., alterius Philippi m., de Oſſe cubiti, cranio & femore. Philippi Nerei Conf. de Præcordiis cum tela ejus Sanguine tincta; & de thorace. Pimi m., Placidi m. Os Xion; de Tibia &c.. de S. Placidi Sociis Os petroſi Ancipitis, de Gutture cum parte ſcuti cordis, Mandibula cum Staffa auditûs, Dens, Os cranii, Os de alia parte Capitis, 3. Spondylia, Os ſacrum, Tibia integra &c.. de Eutychio, Victorino, & Flavia v. repertis cum Corpore S. Placidi Mandibula cum mola, & 2. partes Tibiarum. Politæ m., Pontiani m., duo fruſta Tibiæ. Potiti m. Cruſ., Praxedis, & Pudentianæ vv. mm. Priami m. Os furculæ. Primi & Primiani mm., Primenii m. de Fiſtula brachii. Primerii m. de Oſſe Xion. Probi m. Os femoris. Proceſſi & Martiniani mm. de Manu. Proculi m. de Brachio. Proti m., Pulcheriæ m.

SS. Quadrageſimi m, Quietæ v. m.; Quirini m.

SS. Realis m., Reſtituti m., Reſtitutæ m., Retii, & Potiani mm. de Capite. Rochi m., Romani m. de Manu. Romanæ v. m., Roſaliæ v. Panormitanæ Digitus cum parte coſtæ &c.. Roſulæ v. m. de Manu, Ruffini m., Ruſtici m., Rutuli m.

SS. Sabacii m., Sacelli m. Digitus manûs. Saluſtii m., Saturnini m. de Digito pedis &c.. Saturnini Sacerd. & m., Scholaſticæ v., Sebaſtiani m. de digitis, & palma Manûs. Secundi m., Secundæ & Placidæ mm. Secundini m., Sempronii m. de Tibia. Serapionis m. de Brachio. Servuli m., Severini m., Severinæ v. m. de Digito. Silviani m. Os Xion.. Silvii m. Dentes Molares cum Mandibulis & Oſse Cranii. Simonis Apoſtoli, Simphoriani m., Simplicii m., Sineſii m., de Spondylibus &c.. Siri m., Sitiny m. de Brachio. Sixti m, Soteris m., Stephani Protom. de Manu. Stephani m. Pollex pedis, & de ulna, ac Brachio. Stephanæ m. de Cubito. Spirati m. de Tibiis. Svini m. de digitis. Suſannæ v. m., Suſinii de Brachio, ſpondylibus &c.

SS. Theclæ v. m. Os ſpondyle &c. Theodati m. de Manu. Theodori m. de Pedibus &c.. Theodoſii m. de Manu & coſtulis. Theoduli m. de Fruſtulis tibiæ. Theophili m. mappa de ſpatula. Timothei m. Cruſ., Timothei m., Thomæ m., Tranquillini m. de Manu. Traſonis m. pars ullulæ, Triphonis m., Trojani m. de manu.

SS. Valentini m. Reliq. inſig.. Valeriæ m. Fiſtula tibiæ. Ubaldi m. ~~de~~ Brachio, Venantii Epiſc. m. de Tibia &c. Venerii Epiſc. & m., Mandibula, Venereæ v. m. de Cranio &c. Veruli m. Victoriæ v. m. Corpus, Victorii m. Corpus. Victoris m. de Cranio & palma manûs. Victoriani m., Victorini m., Vincentii M. Cruſ. Vitalis m. Scutum pectoris integrum. Vitaliani m. Canna brachii integra. Viti m., Ulpiani m. de Tibia & Tibula. Urbani m., Urſulæ & Sociarum Os Cranii.

SS. Zachariæ Prophetæ, Zenonis m., Zenonis & Soc. mm. Mola integra. Os Spongiorum & de Coſta. Zephyrini Papæ & m.

Item 46. Pontificum de Cranio, & Pede: de decem millibus & aliis mm. incognitis, diverſa Sacra Oſſa & particulæ. Item partes Lapidis, ſeu columnæ, in qua ſtetiſſe Angelum B.V. Mariæ Myſterium Incarnationis annuntiantem dicunt. de Petra Deſerti, ubi S. Joannes Baptiſta oravit: de Lapide Domûs S. Eliſabeth, in qua fuit viſitata à B.V. Maria. de Petra, ubi Petrus flevit amarè. de Petra Domûs S. Mariæ Magdalenæ. de Lapide Campi Sancti. de Lapide Sepulchri S. Catharinæ v. m.. de Lapide, ubi ſe junxerunt Moyſes & Elias. de Lapide Loci, in quo fuit lapidatus S. Stephanus &c.

Conſervantur & varia Oſtenſoria, in quibus aliæ S. Reliquiæ continentur, & quidem.

In *Sacriſtia*.

Oſtenſorium, in quo habentur particulæ de Velo B.V. Mariæ, & de Pallio S. Joſephi Sponſi &c.
Oſtenſorium, in quo cernuntur particulæ de Habitu, & Baculo S.P. Franciſci.
Oſtenſorium cum Præcordiis S. Felicis à Cantalicio Cap.
Oſtenſorium cum Reliquiis S. M. Magdalenæ Pœnitentis.
Aliud, quod Reliquias SS. Fidelis à Sigmaringa Protom., Capucini, Antonii Patavini, Joſephi à Leoniſſa Conf. Capuc. B. Seraphini à Monte Granario Capuc., S. Roſaliæ V. Panormitanæ & S. Gertrudis Abatiſſæ continet.

In Eccleſia.

Oſtenſorium, in quo particula S. Crucis aſſervatur cum duobus Oſtenſoriolis à latere, in quibus ſunt Reliquiæ SS. Sabbatini & Xiſti mm.
Item alia duo Oſtenſoriola cum Reliquiis SS. Teodotenæ; & Urſi mm.

In

In Capella B. V. Mariæ.

Oſtenſorium concludens particulas S. Crucis, de Veſtibus B. V. M., de pallio S. Joſephi, de oſſibus SS. Joachim & Annæ, Zachariæ, Eliſabeth, Joannis Baptiſtæ Præcurſoris &c.

In Capella Imaginis: Ecce Homo.

Oſtenſorium, in quo videntur particulæ de Veſte D. N. J. Chriſti, de ſpongia, & de terra ſepulchri.

In Capella Valetudinarii Conventûs.

Oſtenſorium cum Reliquiis SS. Joachim & Annæ. Ibidem Theca argentea cum particula de Pallio S. Joſephi.

In Capella, ubi erat Cella Ven. Dei Servi Fr. Bernardi à Corleone.

Theca argentea, cum particula S. Crucis &c.

In mox dictæ Marianæ Capellæ Altari collocata videtur antiqua ejuſdem Beatæ Virginis Mariæ Statua ex Septempalmari marmore affabrè confecta: ſtante diu dubio conſilio, ubi reponi deberet, mutâ Stellarum Linguâ, ac prophetici oris ſermone præeuntibus, ad noſtram Panormi Eccleſiamfuit delata; eidemque à quibuſdam Civitatis Proceribus die vigeſimo octavo Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi trigeſimi primi irrevocabiliter donata. Hanc ſicut continua gratiarum diſpenſatio in Libro, qui in fronte typi *Simulachrum Portentorum* dicitur, deſcripta, & in appenſa anathematum copia expreſſa exornat, ita turmatim accurrentis ſupplicique populi devotio eam reddit eminus cominuſque celebrem. Fuit (præter Altare Privilegiatum, de quo infra) & noviſſimè decorata Indulto, quod ſequitur:

Panormitana.

Ad inſtantiam P. Provincialis Ordinis Capucinorum Provinciæ Panormitanæ Sacrorum Rituum Congregatio benignè indulſit, ut in Altari B. V. Mariæ exiſtente in Eccleſia Conventûs PP. Capucinorum Civitatis Panormi ſingulis ſabbathis etiam à feſto duplici impeditis, exceptis tamen illis primæ & ſecundæ claſſis, & Sabbatho Sancto, Miſſa ſolemnis tantùm, dummodo Miſſa Conventualis non omittatur, celebrari poſſit & valeat hac die 4. Septemb. 1745.

C. Card. de Marinis Præfectus.

Ædificia Domûs & Infirmariæ antiquæ in loco Thermarum Himerantium, ſeu *Termini* vendi, & æs exin redactum ad opus novæ fabricæ applicari Syndico indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte Dilecti Filii Syndici Domûs Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum Oppidi Civitatis etiam nuncupati, Termini, Panormitanæ ſeu alterius Diœceſis, quod ipſe Infirmariæ ac Domûs veteris eorumdem Fratrum ædificia vendere, pretioque exinde proveniente ad opus fabricæ novæ Domûs pro ipſis Fratribus in eodem Oppido conſtruendæ uti poſſe plurimùm deſiderat. Quare Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut opportunam ſibi deſuper licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Syndicum prædictum ſpecialibus &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Syndico, quod ædificia prædicta quibuſvis perſonis meliorem conditionem offerentibus vendere & alienare, illorumque emptoribus poſſeſsionem tradere & conſignare, nec non pretio exinde proveniente ad opus fabricæ novæ Domûs prædictæ uti liberè & licitè valeat, apoſtolica auctoritate tenore præſentium licentiam concedimus & impertimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Julii MDCXXXIII. Pontificatus Noſtri anno Decimo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brev. Apoſtolicorum reg. menſ. & anni præd. fol. 29.

ſententiam, quam de juris Peritorum conſilio ferimus in his ſcriptis, dicimus, decernimus, declaramus, & pronunciamus præfatos RR. Fratres Capucinos fore, & eſſe manutenendos, defendendos, & conſervandos, prout Nos manuteneri, defendi, & conſervari mandamus in quieta & pacifica quaſi poſſeſſione tenendi in eorum Eccleſia expoſitam Statuam S. Antonii de Padua in Habitu Capucinorum, & quatenus opus ſit, Mandatum de manutenendo ad Eorum favorem decernimus & relaxamus. Item pari hac noſtra definitiva ſententia dicimus, decernimus, declaramus, & pronunciamus iiſdem RR. Fratribus Capucinis licuiſſe, & licere alterum Simulachrum Sancti Antonii de Padua in Habitu Capucinorum benedici facere in noſtra Cathedrali Eccleſia, ſicque benedictum ſolemni Proceſſione, pariter & pompâ per Civitatem deferri facere ad eorum Eccleſiam extra Mœnia ſitam, ibique expoſitum tenere, à Chriſtifidelibus adorandum, & ita ſingula ſingulis congruè referendo dicimus, decernimus, declaramus, pronunciamus, ac definitivè ſententiamus, non ſolùm iſto, ſed omni alio meliori modo, & cum intimatione &c. = Ita Ego pronunciavi Carolus Archidiaconus Ciminelli Vicarius Generalis &c. = Lecta, lata, & promulgata fuit ſupradicta definitiva ſententia de verbo ad verbum, ut jacet, per me infraſcriptum Curiæ Epiſcopalis Caſtellaneten. Actuarium, Curia pro Tribunali ſedente, hac die trigeſima Menſis Maji 1676. præſentibus pro Teſtibus D. Oratio Scodola, D. Gregorio Greco, D. Leonardo Antonio lo Sole, & aliis, & ad fidem &c. = D. Matthæus de Felice Act. &c.

Autographum in Archivo Provinciæ.

DECRETO.

S. Congreg. Epiſc., & Regul.

Receptio Domûs pro uſu Infirmariæ in Civitate Gallipolitana, Ordinario inibi committitur.

Eminentiſsimi ac Reverendiſsimi Domini.

FRater Laurentius à Caſarano Provincialis Capucinorum Provinciæ Hydruntinæ humillimus & ad pedes Eminentiarum Veſtrarum proſtratus Orator exponit, qualiter in Civitate Gallipolitana reperitur Conventus ſuorum Fratrum Capucinorum, milliario ab incolatu diſſitus; ex quo Fratres Infirmi, tum Medicorum aſſiſtentia, tum aliis Religioſis neceſſitatibus contra Charitatis, & Seraphicæ Regulæ leges privantur... Inde motus Joſephus Capanus ejuſdem Civitatis intra hujus muros in loco honeſto & ſegregato quatuor cellas conſtrui fecit, quatenus occurrente neceſſitatis caſu FF. Infirmi ex Conventu illuc tranſportari, ibique & Medico & aliis opportunis remediis uti & gaudere poſſint. Quapropter EE. Veſtris ſupplicatur, quatenus dictam novam fabricam pro dicta neceſſitate acceptandi facultatem concedere dignentur. Quod cum totum ſit juxta regulas charitatis, in gratiam recipietur &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſult. Epiſc. & Regular. præpoſita, attentâ relatione Archiepiſcopi Hydruntini, referente Eminentiſſimo Acciajolo cenſuit committendum, prout præſentis Decreti tenore benignè committit Epiſcopo Gallipolitano, ut veris exiſtentibus narratis petitam facultatem retinendi præfatam Domum pro uſu Infirmariæ tantùm pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratoribus impertiatur, ita tamen, ut inibi nec Eccleſia, nec publicum Oratorium adſit, nec aliud ſimile, quo ullum præjudicium aliis Regularibus inferatur. Romæ XI. *Mart.* 1694.

G. Card. Carpineus.

Ex Regeſto Secretariæ Congregationis menſis & anni prædictorum.

DECRETO

S. Congregationis Concilii.

A Monialibus Civitatis Lycii Domum vetuſtate fatiſcentem vendi, & pretium in alterius vicinæ Domûs emptionem erogari, ac onera Domui alienanatæ annexa ad Domum emptam transferri, Vicario Generali inibi committitur.

LYCIEN.

MOniales Capucinæ Civitatis Lycii ſolvunt annuatim ducatos quinque pro penſione Domûs vicinæ Monaſterio pro habitatione earum famuli, ſeu Factoris; habentes autem aliam Domum vetuſtate fatiſcentem valoris ducator. 150. locarique ſolitam annuis ducatis 4. ſupplicant pro facultate alienandi dictam Domum ad effectum erogandi pretium in emptionem alterius vicinæ Domûs, quam promptam habent pro eodemmet pretio, ita enim eximuntur ab onere reparandi Domum alienandam, & lucrantur ducatum annuum pro dicta neceſſaria habitatione abſque periculo illam non conducendi.

Die 18. *Julii* 1701. *Sacra Congregatio Concilii attentâ relatione Vicarii Generalis Lycien. beni-*

benignè commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, petitam facultatem alienandi dictam Domum pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratricibus gratis impertiatur: Ita tamen, ut venditio, & reſpectivè emptio alterius Domûs unico contextu fiat, & ſi quæ onera Domui alienandæ annexa reperiantur, in, & ſuper Domo acquirenda transferantur, & translata eſſe intelligantur.

B. Card. Panciaticus Præf.

I. D. Tomatus Secret.

Ex Libro, ſeu Regeſto 51. Secret. Congreg. prædictæ fol. 349.

D E C R E T O

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Conſervatorium Capucinarum Materæ in Monaſterium erigi &c. Archiepiſcopo Loci committitur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum, ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot., & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Archiepiſcopi Matheranen. referente Eminentiſſimo Grimaldo, committendum cenſuit, prout præſentis Decreti vigore benignè committit eidem Archiepiſcopo, ut veris &c. & poſtquam ſibi conſtiterit fabricam prædicti Conſervatorii cum Eccleſia, campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſuppellectili tam ſacra, quàm profana ſufficienter inſtructam, nec non eidem annuum enunciatum redditum certum ducatorum noningentorum octo monetæ, & tumulorum quadraginta trium frumenti præter alios incertos fructus ſuperiùs expreſſos verè, & cum eſſectu fuiſſe aſſignatum, ad petitam Clauſuræ declarationem ſub regula S. Claræ, ac ſubjectione Archiepiſcopi pro tempore, pro ſuo arbitrio &c. procedat, cum facultate eidem Archiepiſcopo præfigendi numerum Monialium, necnon præſcribendi dotem pro qualibet ipſarum intra prædictum numerum ſolvendam; aliæ verò ultra dictum numerum ad Habitum admittendæ dotem duplicatam ſolvere teneantur, necnon Moniales in prænarrato Conſervatorio exiſtentes ſer. ſer. ad profeſſionem admittendi, & in reliquis omnia &c. Romæ 21. Jan. 1715.

Ex Regeſt. Secret. Congreg. menſ. & anni præd.

D E C R E T O.

S. Congregationis Concili.

Clericum N. ab Epiſcopo pro recipiendis prima Tonſura, & duobus Ordinibus Minoribus prioribus duntaxat admiſſum, & in actu Ordinationis ad alios quoque duos poſteriores ſe vocatum allegantem, ſub conditione re-ordinari ſancitur.

UGENTINA ORDINUM.

EXpoſuit Frater N. N., Clericus Ordinis Capucinorum Provinciæ Hydruntinæ ſe Litteris dimiſſorialibus ſui Provincialis munitum, ut Clericali Tonſura initiari & ad 4. minores Ordines poſſet aſcendere, adiiſſe Uxentinum Epiſcopum, cujus Diœceſis Conventum tunc temporis incolebat, ac ab eo petiiſſe, ad præfatos Clericalis Tonſuræ, & 4. minorum Ordinum gradus promoveri, dictum verò Præſulem ſibi renunciaſſe, quod unâ die primam Tonſuram, & altera nonniſi duos priores tantùm Ordines volebat illi conferre. Quemadmodum reipſa, quum is prima die Sabbathi poſt Pentecoſtem ſeſe ſtitiſſet coram memorato Epiſcopo, Clericali duntaxat Tonſura obtinuit inſigniri, mox verò ad eundem Antiſtitem reverſus die quadam Dominica, quâ Præſul ille ſtatuerat plures Ordinandos ad geminos poſteriores Ordines promovere, monitus iterum fuit, & certior factus ab ipſo Epiſcopo, quod eâ die duos tantum primos minores Ordines erat illi collaturus. Verùm primis hiſce duobus Ordinibus jam ſuſceptis Frater N. N. audiens ſe, ut ipſe refert, vocatum cum aliis promovendis ad geminos alios minores Ordines, ſecurus acceſſit, & æquè ac cæteri fuit ordinatus.

Eâ autem ſacrâ actione abſolutâ, quum adverterit Epiſcopus, Fratrem N. N. ſeſe cum reliquis ad ſuſcipiendos binos poſteriores Ordines intruſiſſe, graviter Eum increpavit, eidem obteſtans, quod, ſicuti mens ſibi fuerat, nonniſi duos priores Ordines ei conferendi, ita caveret, ne ſe opinaretur ad alios validè aſſumptum; & conſentaneè ad hanc declarationem Præſul ille in litteris exprimentibus Ordines Fratri N. N. collatos, non niſi Tonſuram & duos primos Minores Ordines voluit ſignificari. In hoc itaque rerum ſtatu ſupplicavit Frater N. N. ab hac S. Congregatione decerni, num ipſe modò queat ad Sacros Ordines aſcendere.

Epiſcopus hac de re juſſus Eminentiſſimos Patres inſtruere, confirmat pleraque à

Fr.

Fr. N. N. expoſita, in eo tamen præſertim immoratur, quod Religioſum iſtum nimiâ quadam animoſitate petentem ad Tonſuram & 4. minores Ordines una eademque die promoveri, Clericali tantùm Tonſura pridem initiatum, *de ſua futili vanaque ſpe* (ſunt verba ejuſdem Epiſcopi) *aglomerandi unà ſimul 4. Ordines, arguendum, increpandumque duxi, atque pluries, ſeriò, & in propatulo Eum feci certiorem, quod non niſi duos priores Oſtiariatûs & Lectoratûs eidem tunc eram collaturus*: deindeque, quomodo res evenerit, ita proſequitur. *In hac intentione firmus & conſtans è veſtigio ad faldiſtorium accedens, ac de more indutus Ordinationis myſteria incepi, Fratremque N. N. unicum, præſentem, plenèque recognitum ad præfatos duos Minores Ordines, ut jam faſſus eram, ex rata mea intentione promovi. Dum verò complures alii Ordinandi ad Exorciſtatûs, atque Acolytatûs Ordines ſuſcipiendos acceſsère, ipſe Frater N. N. per Me abs dubio nunquam vocatus non ſolum fronte obducta, ſed toto corpore abſconditus* (*uti teſtati ſunt omnes, qui fuère præſentes*) *atque ex latere Magiſtri Cæremoniarum manum ſuam extendit, materiamque ſimul & reſpectivè cum aliis nimis fidenter, callidèque me inſcio auſus eſt contingere.* Ut autem ſuadeat Epiſcopus, ſe reipſa tunc minimè agnoviſſe Fratrem N. N., ita pergit in ſua relatione: *Patres Eminentiſſimi, quî fieri poterat, ut ego de tot Ordinandorum manibus diſtinguerem, atque internoſcerem manum Fratris N. N. Capucini, maximè, quando cucullus ejuſdem cinericius albo tegebatur ſuperpelliceo? At* (*ſicut accepi*) *PP. Capucini Fratrem N. N. de rata validaque ad 4. Minores Ordines promotione autumant defenſum iri, quia* (*ut ajunt*) *acceſſit vocatus, ejuſque acceſſus haud fuit doloſus: enimverò Fratrem N. N., ego nec vocavi, nec juſſi vocari. Item de hac, quam præſumit, vocatione. deque ſui bona fide idemmet Frater N. N. auctor, actor, ſibique teſtis eſt ſingularis*. Quibus ita expoſitis, refellens demum Epiſcopus paucorum Scholaſticorum ſententiam, qui putant ad valorem Ordinationis ſatis ſuperque eſſe, ſi Epiſcopus ordinando *ſeriò agat*: iterumque repetens ſe habuiſſe ſeriam firmam & efficatem voluntatem, ac intentionem denegandi Capucino illi binos Ordines poſteriores, concludit hanc ſuam eſſe ſententiam = *Frater N. N. Capucinus, ut ſupra, intruſus haud validè ordinatus eſt*.

His itaque ab Epiſcopo Uxentino acceptis, & Fratri N. N. communicatis, nedum iſte pro declaratione jam petita modo iterat preces, verùm etiam ſuas adiicit Procurator Generalis Ordinis Capucinorum, qui probè deprehendens ex relatione Epiſcopi, aſſerentis ſe pluries certiorem feciſſe Fratrem N. N. quod nonniſi duos priores Oſtiariatûs & Lectoratûs Ordines tunc erat illi collaturus, ac unà ſimul in controverſiam adducentis, num idem Frater N. N. fuerit evocatus cum aliis, quos Epiſcopus ſtatuerat ad geminos poſteriores Ordines promovere, haud levem emergere occaſionem dubitandi, num hos validè ſuſceperit? ut pede tuto hâc in re procedatur, circumſpectum S. Congregationis judicium implorat.

Frequens apud Doctores eſt quæſtio, an irrita ſit Ordinatio eorum, qui furtim ſeſe intruſerunt Ordinationi, quando Epiſcopus ante illam proteſtatus eſt, ſe non habere intentionem iis ſeſe ita intrudentibus Ordines conferendi. Putant nimirum aliqui, eos ſic ordinatos non recipere characterem ex defectu intentionis Miniſtri, ut ajunt *Rebuff. prax. benef. tit. de Cleric. ad Ord. malè promot. gloſ.* 4. 2. 19. *Navarr. conſ.* 1. *de eo, qui furtivè. Barboſ. in cap.* 1. *eodem tit. num.* 1. *in fine. Pirhing. ibidem num.* 5. *verſ. notandum. Schmalzgrueber ibid. num.* 3. Alii verò contrariam tenent ſententiam, quia generali intentioni, quam habebat, declaravitque Epiſcopus de non Ordinandis furtim accedentibus, prævaleat ſubſequens particularis intentio conferendi Ordinem tali homini, qui coram ipſo in eum finem ſe ſiſtit. *Theſaur. de pœn. Eccleſ. part.* 2. §. *Ordines cap.* 7. *num.* 2. *Gonzales in cap. innotuit de eo, qui furtivè. Card. de Lugo de Sacram. diſp.* 8. *num.* 119. *Bonacin. de Sacram. diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 4. 2. 6. *Marchin. de Sacram. Ord. tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 11. *num.* 17. & *cæteri*.

Ex his tamen nonnulli monent, eumdem Epiſcopum, ſi fieri queat, explorandum eſſe, quâ mente fuerit, dum Ordines contulit, ſique poſthac non levis adhuc ſuperſit occaſio dubitandi de valore Ordinationis, eam, inquiunt, ſub conditione iterandam. *Card. de Lugo loc. cit. n.* 119. *Fagn. in cap. cum veniſſet n.*98. *de Sacr. unct. & cap. ſuæ Litteræ n.* 9. & *ſeq. de Cleric. per ſalt. promot. Pignat. Conſult.* 140. *n.* 6. *tom.* 4. *Theſaur. loc. cit.* & *Emin. Petra tom.* 5. *ad Conſtit.* 7. *Pii. II. n.* 6. *pag.* 282. Diſtinguunt præterea aliqui, advertendum eſſe, num Epiſcopi proteſtatio fuerit generalis in quoſcunque furtim ſe intrudentes edita, ac per Fiſcalem promulgata; hanc enim dicunt ad terrorem potius, quàm ad alium finem cenſeri debere factam, ſecùs verò, ſi ea fuerit in peculiarem aliquam Perſonam ab ipſomet Præſule directa, tunc enim graviùs de collatorum Ordinum validitate ambigendum fore opinantur, ut videre eſt penes *Donat. in prax. Regul. to.* 3. *tract.* 3. *q.* 13. *n.* 1. *Monacel. in formul. p.* 2. *tit.* 13. *num.* 41. & *ſeq. pag.* 76.

Pluries in hoc Sacro Senatu actum fuit de hujuſ-

hujuſmodi controverſiis; ad præſentem verò propiùs videtur accedere ſpecies propoſita in *Apruntina* Ordinum die 11. Jan. 1710. quæ in calce hujus folii tranſcripta dabitur. Eâ itaque inſpectâ, ac una ſimul perpenſis omnibus hactenus expoſitis, propter quæ ob notam Oratorum arctiſſimam paupertatem nihil circumferetur, non dedignentur Eminentiſſimi Patres reſpondere.

An Ordines Exorciſtatûs, & Acolytatûs modo, quo ſupra, ſuſcepti à Fratre N. N. ſint reiterandi in caſu?

Reſcriptum 3. Aug. 1743.

Præviâ pœnitentiâ ſalutari imponendâ per Superiores Ordinis, reiterandos eſſe ſub conditione.

Ex Libro, ſeu Theſauro Reſolut. S. Congreg. Concilii impreſſo anni 1743. *pag.* 141.

N O T A

Et lege ſupra citatam ſpeciem facti Apruntini, quod ſequens erat:

Apruntina Ordinum.

Expoſuit huic S. Congregationi Joſeph Baldus Loci Bellantis, quod cupiens adſcribi militiæ Eccleſiaſticæ exoravit Epiſcopum, ut ei conferret primam Tonſuram & duos priores minores Ordines, & reſcriptum obtinuit ad primam Tonſuram tantùm, pro qua ſola fuit ab Examinatoribus Synodalibus examinatus, eâque ſuſceptâ in Ordinatione habita die 20. *Sept.* 1704. *aſſerens ſe ad alios Ordines minores vocatum, ſe immiſcuit cum aliis Ordinandis, & materiam primi, & ſecundi Ordinis tetigit, ſed ab Epiſcopo Bullam, ſeu Litteras patentes pro prima Tonſura tantùm reportavit. Cumque Orator nuper fuerit præſentatus ad Beneficium de jurepatronatus ab Univerſitate Bellantis, inſtitit, ſed obtinere non valuit ab Epiſcopo inſtitutionem, niſi priùs obtineat abſolutionem & diſpenſationem ab irregularitate, pro qua eidem S. Congregationi humillimè ſupplicavit declarans, nullum impedimentum Canonicum incurriſſe, quod non poſſit ab Epiſcopo diſpenſari. Expoſita comprobavit Epiſcopus informare juſſus, ac retulit verum non eſſe, quod Orator fuerit vocatus, cum reverà is ſe immiſcuerit cum aliis Ordinandis, ac proinde Antiſtes noluerit illum ad alias deinde ſecutas Ordinationes admittere, niſi prius obtentâ abſolutione ab hac S. Congregatione in pœnam fraudis commiſſæ, quæ omnia perveniſſe, ait, ad ejus notitiam ex relatione alterius Clerici Ordinati in eadem Ordinatione. Cæterùm ſe remittit judicio prudentiſſimo EE. VV. Hinc propoſitâ Cauſâ per Summarium die* 5. *Junii proximè præteriti reſcriptum fuit pro meliore informatione, an Epiſcopus in actu Ordinationis intentionem habuerit excludendi non examinatos pro Ordinibus, vel præcisè Oratorem? Anne fecerit aliquam proteſtationem, ſeu comminationem ſub pœna excommunicationis adversùs furtivè accedentes ad Ordines? Ad hæc ultimo loco reſpondens Epiſcopus ait, quod ipſe in actu Ordinationis ſemper habuit intentionem ſaltem virtualem excludendi non examinatos pro Ordinibus, ſicut in principio cujuslibet Ordinationis ſemper comminatur pœnam excommunicationis contra furtivè accedentes, nec eſſe verum ſubdidit, quod Orator fuerit vocatus, nam propter hoc noluit ipſe Epiſcopus eidem expedire Bullas, niſi ſoliùs primæ Tonſuræ, ut fuſius in utraque relatione danda in ſummario. Quibus quidem recitatis in Congregatione die* 3. *Auguſti prope elapſi anni, juſſum fuit, ut cauſa poneretur in folio, quemadmodum parendo mandatis, ea hodie proponitur, humillimè inſtante Oratore pro reſolutione infraſcriptorum dubiorum ex juribus ab eo producendis:*

I. An ſtante ſupradicta Ordinatione idem Clericus ullum contraxerit impedimentum, quod ab Epiſcopo diſpenſari non poſſit? & quatenus affirmativè.
II. An ſaltem eidem indulgenda ſit relaxatio à S. Congregatione?
III. An ſupradicti Ordines minores modo, quo ſupra, ſuſcepti, ſint reiterandi in caſu?

Die &c. S. Congreg. quoad primum & ſecundum benignè commiſit Epiſcopo Apruntino, ut impoſita Oratori aliqua pœnitentia ſalutari cum Eo pro ſuo arbitrio & conſcientia gratis diſpenſet. Ad tertium reſpondit affirmativè ſub conditione in caſu, de quo agitur.

Ex eodem Theſauro Reſolutionum fol. 146. & 147.

DECRETO

S. Congreg. Concilii.

Intorticia &c. accenſa per viam occaſione, qua ad Eccleſiam noſtram Cadaver Filii Ducis Cilii deferebatur, demptâ Quartâ ad Fratres pertinere declaratur.

ORITANA FUNERUM.

IN Conſtitutione Sanctiſſimi Domini noſtri incipien. *Romanus Pontifex*, ac impreſſa poſtConcilium Romanum in ordine *ſexta* ſuper ſolutione quartæ funeralis adeſt infraſcripta declaratio: *Ubi conſuetudines legitimè probatæ*, *Conventiones*, *Concordiæ*, *vel ſtatuta vigerent*, *quæ Parochis magis faverent*, *illiſque pinguiorem præcitatæ quartæ emolumentorum funeralium portionem aſſignarent*, *ea in his*, *in quibus vigent*, *locis*, *inconcuſſè ab omnibus obſervarentur*. Hinc ad probandam Conſuetudinem, & Conventiones, ac reſpectivè obtinendam dictam pinguiorem quotam variæ in dies oriuntur controverſiæ inter Eccleſias tumulantes, & Eccleſias Parochiales.

Celebris eſt cauſa *Mantuana*, jamdiu agitata in hac Sacra Congregatione, in qua contendentibus Parochis exigere ab Eccleſiis tumulantibus tam Sæcularibus quàm Regularibus, in vim conſuetudinis ibi vigentis, Quartam funeralem in medietate omnium, quæ ratione funerum erogabantur; quoad Eccleſias Sæculares, conſtans fuit ſenſus hujus S. Congregationis, quod ſolvere tenerentur medietatem omnium cereorum, quæ per viam deferuntur, ac etiam eorum, quæ in Eccleſiis accenduntur in expoſitione Cadaverum. Varius tamen fuit quoadEccleſiasRegulares,quouſque ſub die 24. Maii 1727. re maturiùs examinatâ, prodiit reſolutio *ad Mentem* (approbatam ſubinde vivæ vocis oraculo à Sanctiſſimo Domino noſtro.) quæ fuit: *ut prævio receſſu à deciſis ſub die 25. Januarii præteriti Regulares ſolvant Eccleſiis Parochialibus medietatem cereorum*, *quæ deferuntur per viam*, *& quartam tantùm partem cereorum*, *quæ in eorum Eccleſiis accenduntur circa Cadavera*, *Caſtrum doloris*, *& Altaria*: Cujus reſolutionis fundamentum quoad primam partem fuit in conſuetudine per Parochos plenè probata, quæ tamen non aderat quoad ſecundum.

Adeſt etiam altera Cauſa *Piſauren.* nuper introducta in hac S.Congregatione ſuper Quota funeralium perſolvenda à PP. Capucinis Eccleſiis Parochialibus Piſauri, Ex parte dd. Parochorum plenè probatum fuit, vigere in eo loco antiquam conſuetudinem, approbatam etiam in judicio de exigenda medietate cereorum, quæ in Eccleſiis tumulantibus accenduntur circa expoſita Cadavera, hinc S. Congregatio die 15. Maii labentis anni reſpondit: *PP. Capucinos teneri ad ſolvendam Parochis quartam partem ceræ accenſæ in aſſociatione Cadaverum*, *quæ ad eorum Eccleſiam tumulanda deferuntur*, *& medietatem ceræ*, *& intorticiorum*, *quæ accenduntur circa Cadavera*, *quæ in eorum Eccleſiis exponuntur ante humationem*.

Conſimilis quæſtio hodie verſatur in præſenti cauſa Oritana; occaſione enim, qua de menſe Novembris 1726. Cadaver Filii Ducis Cilii delatum fuit ad Eccleſiam Capucinorum, in qua ipſi Duces Sepulchrum gentilitium habent, Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ, uti Parochus habitualis dictæ Terræ, pro illius aſſociatione prætendit in vim antiquæ conſuetudinis omnia intorticia, quæ circa Cadaver per viam delata fuerunt accenſa, ſibi deberi; prout defacto ea omnia retinuit & occupavit: Reclamantibus verò Capucinis ad Curiam Oritanam, eadem Curia aſſignato Partibus termino probatorio, omnem ceram interim deponi mandavit. Ab hoc interlocutorio Decreto appellavit Capitulum ad Auditorem Cameræ; remiſsâ tamen Cauſâ per Auditorem Sanctiſſimi ad hanc S. Congregationem, ac ſubſcriptis duobus ſequentibus dubiis, hodie proponuntur per EE. VV. ſapientiſſimè de more reſolvenda.

I. *An intorticia*, *quæ deferuntur accenſa per viam circa Cadaver ſpectent ad Rm̃um Capitulum Collegiatæ*, *an verò ad Patres Capucinos?*

II. *An dicti PP. Capucini teneantur ſolvere dicto Rev. Capitulo vel Parocho habituali quartam funeralem de omnibus cereis ad tenorem Bullæ SSm̃i D. N.*, *quæ incipit*: Romanus Pontifex?

Et die 12. Februarii 1729. fuit deciſum omnia ſpectare ad PP. Capucinos, dempta quarta, & amplius *cauſam non proponi juſſum*.

C. Card. Origus Præf.

A. de Abbatibus Secret.

In Secret. Cong. lib. 78. *f.* 574. *&* 597., *& lib.* 79. *fol.* 3. 37. 64. *& in Theſ. Reſolut. tom.* 4. *f.* 242. *&* 263.

PRO-

PROVINCIA PANORMITANA.

IN *Sicilia, ob cumulata & ſociata Cœli Terræque dona, quibus alias Maris Mediterranei Inſulas antecellit, ab aliis* Inſula Solis *vocitatâ, Reformatio noſtra pariter ùt Sol proceſſit; quemadmodum enim hic Aſtrorum Princeps nativo ſuo amictus jubare ſtellatos decurrit campos, ſublunares Regiones fœcundâ radiorum acie recreat, in iiſque partum plantarum maturat, haud aliter noſtra Religio Virtutis ſuæ ſplendore trabeata Siculum Horizontem invaſit, vitæ religioſæ exemplis ceu radiis implevit, plantaſque Conventuum ita multiplicavit, ut Provincia, quæ fuit una, jam anno* 1574. *unâ eâdemque Sectione fuerit diviſa in tres, Meſſanenſem videlicet, Syracuſanam, & Panormitanam, quæ primum inter eas ſervat locum, Regularis Obſervantiæ decorem vigili conſervat zelo, Præcones Divini Verbi educat celebres, Rempublicam Litterariam feraci librorum copia illuſtrat, & animarum ſaluti tum intra ſuos limites, tum in Miſſionibus Orientis accenſo incumbit ſtudio.*

Narrat & Fratres, quorum virtutem communis Sanctimoniæ opinio commendat: narrat Fr. Evangeliſtam à Panormo, ex nobiliſſima Vannorum progenie, ac Marchionibus Roccæblancæ, & Sancti Leonardi &c. qui ob humilis vitæ candorem, quem ſinceræ mentis comitati adjunxit, Angelus, *ob Spiritum, quo Evangelium in Eccleſia Dei annuntiavit,* Apoſtolus, *& ſermonum, quibus tempore Quadrageſimæ Concionatores die Sabbati Magnalia Deiparæ de Suggeſtu annuntiant,* Inſtitutor *dictus, & habitus. Pro zelo, quo B.V. Mariam coluit, & ab aliis coli curavit,* dedit *Ei* Dominus linguam mercedem *ſuam, cum poſt plures annos exeſo penitus cadavere, & in pulverem reſoluto, haud aliter, ac olim illa D. Antonii, recens, mollis ac rubicunda reperta fuerit, & digna prodigio, dum illâ Deiparam benedixit, & Eam alios benedicere fecit.*

Tres alios eo ipſo, quod Provincia à communi Fratrum tumulo ſegregavit, illos quoque ſacri honoris digniores judicavit; ſunt hi:

Servus Dei Fr. Joſephus à Camerata, Sacerdos, cujus vitam ſtupuit Panormus, in publica acta redigi juſſit Religio, & gratiarum ſignorumque gloriâ mirificavit Deus.

Fr. Salvator à Pantellaria, Miſſionarius Apoſtolicus, de quo ſtupebit æternitas virtutem, quam Dextera Domini in eo fecit, qua Eum exaltavit, & quam illius vita Italicè, Germanicè, Hiſpanicè &c. conſcripta exhibet extenſam.

Et Ven. Dei Servus Fr. Bernardus à Corleone, Laicus, qui in Hemiſphærio hujus Pro-

vin-

vinciæ ceu Sol in conſpectu omnium, & ceu Luna perfecta fulget, &, ſi Cœlum cauſæ faveat, fulgebit adhuc noſtris temporibus ſuper aras collocatus, & ſydere Beatorum coronatus.

In communi quidem Fratrum ſepultura, ab aliis tamen, juſſu Eminentiſſimi Cardinalis Doria, Archiepiſcopi Panormitani, ſejuncta jacent Exta, ſeu Cadaver Fr. Auguſtini à Mazarra, Laici, ex antiquiſſimâ æquè ac clariſſima Gianquerciorum Stirpe, qui inter homines converſans, quæ ſurſum ſunt, ſapuit, & inter homines ea, quæ cœleſtis ſunt virtutis, fecit, dando cœco lumen, variis ægrotis ſalutem, tribus defunctis vitam &c.

Fr. Hieronymus à Corleone, Laicus, noſtram illuſtrat ætatem, qui, dum in ſimplicitate cordis coram omnibus ambulavit, ſpiritu quoque prophetiæ & ſignis omnium quoque ſe effecit Portentum. Horum ut & Hiſpania foret teſtis & ſpectatrix, pio furto brachium ejus illuc translatum fuit: at, quod perditum doluit Panormus, Corpori ſeu Cadaveri in clauſo ſarcophago reſtitutum non ſine ſtupore vidit.

Brevior ut ſim, & exempla plura uno eodemque obtutu videnda præbeam, pando noſtrum Panormi Cœmeterium, non ſolùm Philippi Auſtriaci Regis Tunetani &c., & primæ Nobilitatis Panormitanæ exuviis, verùm etiam & magis ob quadraginta Fratrum Cadavera, quæ per integrum ſæculum Deus ab edace tempore illæſa ſervavit, per orbem celeberrimum, & inde dignâ antonomaſiâ ab aliis Sanctuarium nuncupatum.

Omni ex parte ſtupenda ſunt, quæ de hoc Quadragenario Fratrum Cœtu, tum quoad modum, quo eorum Corpora reperta ſunt, tum quoad odorem, quem itentidem exhalant ſuaviſſimum, tum quoad lucem, quæ iis habitantibus in Regione umbræ mortis orta eſt, tum quoad Proceſſiones, quas ab iis noctu ad iram Dei conciliandam non ſemel factas fuiſſe publica & jurata perhibent acta, à diverſis Scriptoribus relata invenio, & quæ animas eorum in manu Dei eſſe piam ſubminiſtrant credendi materiam.

De templo virtutis dum ad ædes & ſedes honoris, quas hæc Provincia in Sacro noſtro Ordine conſcendit, tranſeo, reperio Fr. Hieronymum à Politio, qui doctrinâ luce, & virtute Duce ad Generalem Ordinis Procuram, & ſupremum Miniſterium pertigit, reimpreſſoque, quo S. Patris Regulam expoſuit, Opere ſui memoriam perennavit.

Ante ipſum & jam anno 1550. Definitorii Generalis locum tenuit Fr. Hieronymus à Panormo, qui dum prius inter PP. Minores Excalceatos famâ doctrinæ excelluit, apud nos illam de Sanctimonia reliquit, gloriâ ejus cuidam Fratri, teſte Boverio, à Deo revelatâ.

Utriûſque veſtigia ſecutus eſt Fr. Illuminatus à Panormo ex nobili Marziorum Stirpe ortus. Studio ſeverioris vitæ incenſus Lauream Doctoratûs ſepoſuit, Canonicatui S. Joannis de Eremitis renuntiavit, & ad nos receſſit: honores tamen, quos in ſæculo fugit, in Ordine acceptare debuit: morum enim innocentia, quæ in eo tum profundioris doctrinæ famâ, tum Linguæ Græcæ peritiâ, tum copioſo Librorum fœtu coruſca fulſit, illum anno 1602. Definitorem Generalem publicavit.

Æmulo proin exemplo ad hanc Provinciam primæ Nobilitatis Filii velut ad Virtutis & honoris palæſtram confluxère, & in ea voluntariæ paupertatis Habitum auro mundo & obrizo innocentium morum diſtinxerunt: Confluxère

Fr. Franciſcus Maria à Sacca, ex antiquiſſimo Perollorum genere, qui Burgundiæ ſceptrum per plures annos cum quibuſdam Galliæ Ducatibus tenuerunt, ac de Ottonis Imperatoris Græci, ac Rugerii Siciliæ Regis ſanguine participârunt.

Fr. Geſualdus à Panormo, Emi Cardinalis Hieronymi Columnæ Theologus, S. Officii Inquiſitionis Qualificator, ac quorumdam Librorum Auctor, ex Illmo Ducum de Bononiis Satu & Stemmate Principum Campi Realis, Marchionum Sambucæ & Altavillæ; Ducum Adragni, Comitum Verniæ & Petræ Albæ, Baronum Vinetici, Gorgæ, Trabiæ, ac vulgò delle mezze grane, hæreditariorum Equitum Hieroſolymitanorum ex ſpecialiſſimo privilegio Uxoratorum.

Fr. Ge-

Fr. Geſualdus pariter à Panormo ex nobiliſſima Familia la Farina, *& Marchionibus Madoniæ, & Aſperi Montis &c.*

Fr. Honorius à Panormo, Primogenitus Ferrantis Gravinæ, Hiſpaniarum Magnatis primæ Claſſis, Palagoniæ Principis, Franciſontis, Gaderæ & Deliæ Marchionis, nec non Ditionis SS. Fratrum, Calatabiani, Pedemontis, Fluminis frigidi, Lenzæ & S. Baſilii, oræque Maritimæ, Aquarum dulcium, Aquitellæ, & Cottonis Baronis, & Gravinorum Familiæ Capitis &c.

Fr. Hyacinthus à Panormo, ex præcelſa Galletorum Stirpe, Primogenitus Alexandri Sollima, & Galletti, Principis Soriæ, Marchionis S. Marinæ & Caſalis, Domini Salinarum, Vallis Dœmonis, & Portæ Maris, Baronis Terræ Caſtaniæ, & Feudorum vulgò de' Cartollari, Badalami, Acqua Santa, Barilà, Riſignuolo, Rincione, Guadalame, Sollia &c.

Reticeo alios ex aliis nobilibus Familiis, Albana videlicet, Aquilina, Bonella, Brancata, Bruna, Caetana, Contarina, ex qua hujus cognominis & Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Duces deſcendere dicuntur, Gardella, Guzmanna & Ribera, de Judice, Lucchesia, Luna, Madrigali, Moncada, Monacelli, Palma, Vanni &c. &c. & materiam gloriæ concludo in numero, quo

Signat Monaſteria Fratrum XXXIX.

Miſſionem Stabilem I.

Monaſteria Monialium II.

PONTIFICIO

Vivæ vocis Oraculo.

Domos Provinciæ ſegregari, & tres diſtinctas Provincias ex iis formari conceditur.

JULIUS ANTONIUS SANCTORIUS

Miſeratione Divina

S. R. E. Tituli Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Card. S. Severinæ appellatus, Fratrum Capucinorum nuncupatorum Ordinis Minorum Viceprotector.

Omnibus & ſingulis præſentibus & futuris, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, ſeu quomodolibet ſpectaverint, notum facimus, & atteſtamur, qualiter hodierna infraſcripta die per Nos expoſito, nomine Reverendi Patris moderni Vicarii Generalis eorumdem Fratrum Capucinorum præfati Ordinis Minorum SSmo Domino Noſtro D. Pio Divina Providentia Papæ Quinto, quòd ob urgentes cauſas Fratribus prænominatis expediat Provinciam Siciliæ, quæ una eſt, in tres dividi Provincias, tum, quia propter multitudinem locorum, ac Fratrum dictæ Provinciæ, & itineris longitudinem, & aſperitatem vix ſemel in anno unicus Provincialis pedeſter ipſam integram ſufficit viſitare; cùm juxta conſuetudinem & Conſtitutiones dictorum Fratrum ter in anno viſitare teneatur; tum etiam, quia propter Provinciæ latitudinem Fratres pedeſtres ad Capitulum facilè nequeunt convenire; tum denique, quia ſine pecuniariis impenſis (quòd maximè ipſorum Regula abhorret) Provincialia Capitula propter convenientium ad ea Fratrum multitudinem commodè celebrari non poſſunt. Verùm, quia fel. rec. Nicolaus Papa Quartus prohibuit in Ordine Fratrum Minorum diviſiones Provinciarum fieri ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali per patentes literas facientes de hujuſmodi prohibitione mentionem; & ideo pro parte ejuſdem Vicarii Generalis ſupplicavimus Beatitudini Suæ, ut hujuſmodi permiſſionem & licentiam pro ſupradictæ Provinciæ diviſione de benignitate Apoſtolica concedere dignaretur. Sanctitas autem Sua, præmiſſæ petitioni benignè annuens, Vivæ vocis Oraculo Nobis facto conceſſit, & indulſit, Provinciam Siciliæ prænominatam in tres Provincias, proùt meliùs Vicario præfato & Capitulo Provinciali viſum fue-

PROVINCIA SYRACUSANA.

EXhibet mihi primus hujus Provinciæ aſpectus tres Miniſtros Generales, quos ab ea Religio noſtra in ſuam accepit uſuram, & quorum duos eadem Patria felici progenuit ſydere; Sunt hi FF. Clemens & Joannes Maria à Neto, ſeu, ut aliis placet, à Noto, primuſque ſecundum reliquit immediatum in Miniſterio Generali ſuum Succeſſorem.

Suſpexit P. Clementem Paulus Papa V. ceu hominem ſecundùm cor ſuum; Imperator, Reges & Principes, quos acceſſit, illum ceu hominem Cœlo ſatum excepêre; populus autem, quem tranſibat, eum ceu Angelum coluit; haud àliter enim ac Angelus deſcendens in Probaticam Piſcinam motu aquæ ſalutem languenti reſtituit, ita Clemens populum accurrentem, vel data benedictione, vel ingeminato Jeſu nomine à variis, quibus detinebatur, infirmitatibus liberavit.

Virtutem P. Joannis Mariæ prædixit illius partus, dum Patrem infirmum ſanavit; commendavit vita, dono prophetiæ illuſtris, dum ementitæ Sanctitatis Clerico turpem lapſum, & Civitati Syracuſanæ fame concuſſæ, abundantiam frumenti de publico prædixit pulpito; coronavitque mors accurſu populi, diſtractis Reliquiis, & gratiâ curationum celebris.

Vtrumque Officio & virtute præivit Fr. Innocentius à Calatagirone, prout fuſior, quæ de eo ſubſequitur, docebit vitæ relatio.

Palmites dum tam nobiles reſplendere conſpicimus, de reliqua Vineæ, ſeu Provinciæ gloria judicare difficile non erit. Hanc, qui in exemplis expreſſam cupit, adeat Scriptores Ordinis, dum ego indignor & tempori & terræ: illi, dum, quæ ampliora erant, annotare neglexit; huic, dum, quæ annotata fuerant, hiante abſorbuit ore, & ita Fratrum plurium virtute, doctrinâ & nobilitate inſignium memoriam funeravit.

Continet Conventus XXXII.

PONTIFICIO

Vivæ vocis oraculo

Provincia ex Conventibus Syracuſanis erigitur.

JULIUS ANTONIUS SANCTORIUS

Miſeratione Divina

S. R. E. Tituli Sancti Bartholomæi in Inſula Presbyter Card. S. Severinæ appellatus, Fratrum Capucinorum nuncupatorum Ordinis Minorum Viceprotector.

OMnibus & ſingulis præſentibus & futuris, ad quos præſentes noſtræ pervenerint, ſeu quomodolibet ſpectaverint, notum facimus, & atteſtamur, qualiter hodierna infraſcripta die per Nos expoſito, nomine Reverendi Patris moderni Vicarii Generalis eorumdem Fratrum Capucinorum præfati Ordinis Minorum SSmo Domino Noſtro D. Pio Divina Providentia Papæ Quinto, quòd ob urgentes cauſas Fratribus prænominatis expediat Provinciam Siciliæ, quæ una eſt, in tres dividi Provincias, tum, quia propter multitudinem Locorum, ac Fratrum dictæ Provinciæ, & itineris longitudinem, & aſperitatem vix ſemel in anno unicus Provincialis pedeſter ipſam integram ſufficit viſitare; cùm juxta conſuetudinem & Conſtitutiones dictorum Fratrum ter in anno viſitare teneatur; tum etiam, quia propter Provinciæ latitudinem Fratres pedeſtres ad Capitulum facilè nequeunt convenire; tum denique, quia ſine pecuniariis impenſis (quòd maximè ipſorum Regula abhorret) Provincialia Capitula propter convenientium ad ea Fratrum multitudinem commodè celebrari non poſſunt. Verùm, quia fel. rec. Nicolaus Papa Quartus prohibuit in Ordine Fratrum Minorum diviſiones Provinciarum fieri ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali per patentes literas facientes de hujuſmodi prohibitione mentionem; & ideo pro parte ejuſdem Vicarii Generalis ſupplicavimus Beatitudini Suæ, ut hujuſmodi permiſſionem & licentiam pro ſupradictæ Provinciæ diviſione de benignitate Apoſtolica concedere dignaretur; Sanctitas autem Sua, præmiſſæ petitioni benignè annuens, Vivæ vocis oraculo Nobis facto conceſſit, & indulſit, Provinciam Siciliæ prænominatam in tres Provincias, prout meliùs Vicario præfato & Capitulo Provinciali viſum fuerit, dividi, & partiri debere; quam quidem licentiam, & permiſſionem voluit per hujuſmodi Oraculum noſtrum, aut per Breve Sanctitatis Suæ poſſe expediri. Non obſtantibus literis, ſeu prohibitione Nicolai Papæ IV. memoratis, & aliis in contrarium facientibus quibuſcumque. In quorum omnium & ſingulorum fidem has noſtras fieri fecimus, manu noſtra ſubſcriptas, ac noſtri conſueti Sigilli appenſione munitas. Datum Romæ in Palatio Apoſtolico die XXI. menſis Novembris Anno Iucarnationis Dominicæ MDLXX. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri D. Pii V. Anno quinto.

Julius Ant. Card. S. Severinæ.

Jo: Matthæus de Robertis Secret.

Autogr. Exemplar in Arch. Gen. Ord. Arm. Provincia Panormitana.

Petium terræ Domui Mazzarini annexum, mediante Syndico vendi, & pretium inde redactum ad opus Clauſuræ converti, indulget.

A tergo: *Dilecto Filio moderno Miniſtro Provinciali, Provinciæ Syracuſanæ, Fratrum Ord. Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum.*

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, Conventus Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Terræ Mazzarini, Syracuſanæ Diœc. terrenum quoddam annexum habeat capacitatis quatuor circiter Tumminarum Terræ menſuræ illarum partium, quod nulli rei omnino ſervit, propterea que terrenum hujuſmodi vendi, & pretium inde redigendum in opus Clauſuræ horti ejuſdem Conventûs converti, ſummopere deſideres. Idcirco Nos Te, eoſdemque Fratres ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus Tuo nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, mediante perſona Syndici Conventûs hujuſmodi terrenum prædictum cuicumque perſonæ meliorem conditionem offerenti, pro pretio juſto, & rationabili, authoritate noſtra Apoſtolica vendendi, ſeu vendi faciendi, plenam & amplam facultatem, dicta authoritate, tenore præſentium concedimus & impartimur. Non obſtantibus

fel.

fel. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod pecuniæ ex venditione hujuſmodi provenientes, unico contextu in rem ſupra expreſſam converti incipiant, vel ſaltem penès Montem Pietatis, vel perſonam fide & facultatibus idoneam deponantur, inde non amovendæ, niſi ad effectum illas, ut præfertur, convertendi. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. Octobris MDCXLVI. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſis & anni prædictorum fol. 1.

Ablegatum à ſe ob Religionis negotia Fr. Innocentium à Calatagirone Miniſtrum Generalem, Regi Chriſtianiſſimo commendat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſime in Chriſto Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſuaſum Nobis planè facit ingenita Majeſtati Tuæ Religio, libentiſſimè ab Regio tuo animo exceptum iri, quæ Nos Dilecto Filio Innocentio à Calatagirone, Ordinis Minorum Capucinorum Generali Miniſtro, Majeſtati Tuæ ſignificanda mandavimus. Ea porro ad ipſius opem Religionis ſpectantia, ut vehementer Nobis, atque intimè cordi ſunt, ita Majeſtati Tuæ jucundiſſima ut accidant, ab tuaque pietate & magnanimitate ex animi ſententia peragantur, non tam poſtulamus, quàm liquidò, ac tutò futurum confidimus. Hæc adeo differentem Generalem ipſum fide ut digneris, optamus, ac Noſtræ ſimul Paternæ charitatis teſtificationem cumulatè deferentem Majeſtati Tuæ, pro cujus Nos incolumitate vota perpetuò concipimus; eique nunc amantiſſimè Apoſtolicam benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Maii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Gaſpar de Simeonibus Secret.

Ex Archivo Brev. Apoſt. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol. 351.*

Nec non Reginæ Chriſtianiſſimæ.

INNOCENTIUS PAPA X.

Chariſſima in Chriſto Filia ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NOſtri deferens in Majeſtatem Tuam paterni ſtudii jugem ſignificationem ſiſtet ſeſe Tibi Dilectus Filius Innocentius à Calatagirone, Minorum Capucinorum Generalis Miniſter, & quæ Noſtro nomine renuntianda dedimus, Majeſtati Tuæ accuratè, ac ſedulò exponet. Illi quidem differenri, quæ Nobis maximè cordi ſunt in Religionis cauſa, fidem abs Te haberi integram cupimus, quodque proinde in eam rem ab Regia Majeſtatis Tuæ authoritate, ac pietate mirifica perfici poſſe videatur, & impensè expetimus, & fidenter exſpectamus. Ceterùm Majeſtatis Tuæ religioſiſſimam mentem immiſſis è Cœlo donis cumulari in dies magis apprecamur, eique Apoſtolicam Benedictionem quam largiſſimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Maii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Gaſpar de Simeonibus Secret.

Ex Regeſto prædicto fol. 353.

Duci Aurelianenſi.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PRoficiſcentem in Gallias Dilectum Filium Innocentium à Calatagirone Minorum Capucinorum Miniſtrum Generalem adire Te juſſimus, ac repetitis Pontificiæ benevolentiæ Documentis noſtrum tuæ ſalutis & felicitatis votum his litteris afferre. Et his quidem in iis, quæ Tibi noſtro nomine, ac noſtrâ præcipuâ curâ renuntiaverit, fidem abs Te ut referat, optamus, ſentiatque à tua auctoritate ac

ac virtute rebus ipſis, quas exponet, ad Religionem ſpectantibus, opem ac præſidium accedere. Enimverò id Nobis planè ut polliceamur, faciunt ſpectatiſſima in Te religioſæ mentis decora, quæ continenter ut cumulentur, ſatagis novis meritorum ac laudum incrementis. Experire Nos interea in Tua ornamenta paratiſſimos, cui nunc Apoſtolicam Benedictionem omni ſtudio impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Maii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Gaſpar de Simeonibus Secret.

Ex Regeſto eodem fol. 357.

Ac Julio Cardinali Mazzarino.

INNOCENTIUS PAPA X.

Dilecte Fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ADeſſe Tibi, ut primum Pariſios attigerit, Noſtro nomine juſſimus Dilectum Filium Innocentium à Calatagirone Minorum Capucinorum Generalem Miniſtrum, Noſtræque in Te Paternæ benevolentiæ teſtes Pontificias has litteras reddere. Ejus adeo dictis in iis, quæ pro Religione Tibi ſignificanda mandavimus, fidem apud Te ut referat, peroptamus; quibus & ab tua authoritate, magnique animi robore vim, atque opem acceſſuram tam firmiter confidimus, quàm conſtans, ac perſpectum in Te eſt ſervandæ atque amplificandæ Religionis laudatiſſimum ſtudium. Et ea quidem, quæ Nos impenſiſſimè cupimus, tua connitente opera ac pietate, dum perficienda opperimnr, Noſtræ Tibi voluntatis propenſionem in Tua ornamenta, ac dignitatem expoſitam peramanter deferimus, atque Apoſtolicam benedictionem uberrimè impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Maii MDCXLVII. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Gaſpar de Simeonibus Secret.

Ex Regeſto eodem fol. 352.

N O T A.

CAlatagiro, nobilitate æquè ac antiqultate celebris ac regia Maris Mediterranei Civitas, Ordini noſtro Innocentium ſupradictum procreavit, qui, quod ex plæclara Marcinnonia ſtirpe hauſit, decus, digno ſemper virtutis aſcenſu, adhuc Sæculo vivens perfecit: in Religione autem noſtra tam per ſacra Studia, quàm varia Officia merita ſua ita cumulavit, ut anno 1643. prima Ordinis Prælatura illi fuerit communi applauſu collata. In hac talem ſe geſſit, qualem olim S. Ephremum Syrum fuiſſe S. Gregorius Nyſſenus *cit. tom.* 1. *oper. Card. Querini fol. mihi* XIV. hiſce perhibet verbis: *talis pietatis zelo extitit Magnus noſter Pater - - nam aliàs manſuetum ſe præbens, ac mitem, cum nulla decertandi neceſſitas urgeret, aliàs acerbum ac gravem, cum fidei aut virtutis periculum immineret, cuncta prudenter pro temporis ratione moderabatur*. Opinio Sanctæ vitæ per Tranſalpinas Regiones ita percrebuit, ut, dum illas viſitando peragravit, populus turmatim ad eum videndum accurreret, impreſſamque illius effigiem, ſeu Coronas ab Eo benedictas tumultuariâ devotione concupiſceret. Viennæ Ferdinandus Imperator III. omnium Campanarum pulſu, ac Hymno Ambroſiano à Cæſareæ Capellæ Muſicis cantato eum excepit, in communi Fratrum cænaculo cum illo epulatus eſt, & genuflexus ab invito benedictionem petiit.

Sanctorum & Martyrum geſta ſicut devotâ ſemper memoriâ coluit, ita illorum SS. Reliquias avido ubique collegit ſtudio. Inter has inſignior eſt illa pars, quam Salerni de B. Lucia â Calatagirone, ſua Concive, Ord. S. Claræ obtinuit, quod eruditiſſimus Wadingus tom. 9. Annal. edit. novæ fol. mihi 205. ita recenſet: *Reverendiſſimus P. Innocentius Calatagironius, Miniſter Generalis Minorum Capucinorum, Vir gravis & doctus, multis titulis commendabilis,* B. Luciæ *ſuæ Concivis veneratione inſtinctus, favore & patrocinio Julii Cardinalis Sabelli, qui nuper Archiepiſcopatus Salernitani curam transtulerat in Fabritium Sabellum, ſuum ex Fratre Nepotem, obtinuit inſignem corporis partem, brachii ſcilicet os, quod ab humero ad cubitum extenditur. Ex tumulo id præſentibus honorabilibus teſtibus extraxit die* XI. *Januarii* 1644. *Julius Pepulus Archidiaconus & Vicarius Generalis Salernitanus, & cum publico traditionis Documento eidem conſignavit in patriam ferendum*.

Sagax, qua rerum momenta ponderabat, prudentia, Innocentium Papam X. commovit, ut illum ob negotia, quæ gravia, & Religionis Catholicæ fuiſſe ipſa Apoſtolica perhibent Diplomata, ad Regem Chriſtianiſſimum &c. ablegaret.

Reverſus ad patriam, forenſibus miniſteriis laſſum animum quieti Spiritûs ſacravit, levanſque ſe ſuper ſe, dies æternos in mente habuit, ad quos etiam, uti piè ſperare eſt, 16. Nov. 1655. placida morte tranſiit. Sacrâ, & devoto leſſu commixtâ Pompâ cadaver ejus datum quidem eſt terræ in putredinem, at non ſine ſtupore poſt 4. annos fuit repertum adhuc incorruptum, quod Petrus Paulus Moretta Baro Mauthanæ in ſua de Urbe Calatagirone brevi notitia *fol. mihi* 40. ita recenſet: *Innocentii memoratu digna facinora prætereo ſilentio, quod tamen hiſce oculis hauſi, & relatu dignum reor, poſteros docere ſtatui: ejus Cadaver, cum 4. annos totidemque menſes in Sepulchro decubuiſſet, & ſuffragia ferentibus P. Provinciale, & reliquis Cœnobii Fratribus, è loculo conditorii elatum fuiſſet, integrum repertum fuit, pluribus ex Civibus aſtantibus*

tibus, & præſertim quatuor è Sacerdotibus Societatis Jeſu, cum tamen è proxima parietis humiditate corrumpendum fuiſſet, tunicâ in pulverem redactâ, & reliquo corporis indumento conſumpto.

Illico poſt mortem præclara hujus Viri acta juſsu Epiſcopi, in publica & jurata acta fuerê relata, itinerarium autem ejus, in qua plurima memoriâ digna notata ſunt, in noſtra Domo Calatagironis devotè aſſervatur, vitamque illius, teſte dicto Moretta, pluſquam duodecim Scriptores encomiant.

Habuit Innocentius itineris ſui Socium Fr. Sylveſtrum Argyrionenſem, ſeu à Sancto Philippo, de quo digna hic adjungitur laudis memoria, ne, quos in vita virtus conjunxit, incuria poſt mortem ſeparet oblivio. Vitam hic egit Sanctimoniæ odore ſuaviſſimam, illamque in Romano conſummavit valetudinario. Illius memoria ut Fratrum oculis viva obverſaretur, cadaver ejus in loco diſtincto, ſeu in Capella Secreta, Altaris majoris cornu epiſtolæ reſpiciente, humatum eſt, & portio Sanguinis, qui ceu vivus & fluidus adhuc rubeſcit, in ampulla Vitrea in Sacriſtia aſſervatur, Sudarium autem ſanguine tinctum reverenter colit & authenticum patrius illius Conventus.

Sacras Reliquias ab eodem Fr. Innocentio à Calatagirone tempore ſui Generalatûs conquiſitas, & Eccleſiæ Domûs dicti Loci Calatagironis aſſignatas, extrahi vetat, & prohibitionis copiam in loco conſpicuo affigi mandat.

INNOCENTIUS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi & manutentioni nonnullorum Sanctorum & Sanctarum Martyrum (ut piè creditur) Reliquiarum, quas Dilectus Filius Innocentius à Calatagirone, Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum S. Franciſci nuncupatorum Profeſſor, dum nuper Miniſtri Generalis dicti Ordinis munere fungebatur, conquiſivit, & in quodam Reliquiario incluſas Eccleſiæ Domûs Fratrum ejuſdem Ordinis in Loco de Calatagirone nuncupato, Syracuſanæ Dioec., donavit & aſſignavit, ad hoc ut illæ ibidem debito honore conſerventur, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ac dictum Innocentium ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus dicti Innocentii nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cœtero quiſquam quavis auctoritate fungens, prædictas Reliquias, vel aliquam earum partem ſub quovis quæſito colore, ingenio, cauſa, ratione, aut occaſione à dicta Eccleſia, ſeu illius Sacriſtia extrahere, tranſportare, ſeu, ut extrahantur, aut traſportentur, permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ & paſſivæ, nec non officiorum pœnis, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus, non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis Sacriſtiæ, vel aliquo conſpicuo loco, quo ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVII. Febr. MDCLIII. Pontificatus Noſtri Anno nono.

G. Gualterius.

Breve formatum in Archivo dicti Conventûs.

N O T A.

REliquias Sacras, quarum extractio enuntiatis litteris Apoſtolicis prohibetur, in Capella Eccleſiæ noſtræ Civitatis Calatagironis Fr. Innocentius Miniſter Generalis collocavit adjuncto ſequenti Documento.

Frater Innocentius â Calatagirone Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum olim Generalis Miniſter & Servus, haſce Sanctæ Crucis, Spineæ Coronæ, veſtium Chriſti Domini, Induſii ac Veli Deiparæ Virginis Mariæ, Sanctorumque Reliquias ex omnibus fere totius Europæ partibus collectas hoc in loco decenter, ac potuit juxta ſui inſtituti altiſſimam Paupertatem, collocari curavit anno Dcmini 1652. tertio Kal. Novembris, earumque conſervationi & manutentioni proſpiciens, Apoſtolicas Litteras in hoc Regno executioni datas, & in Curia Epiſcopali Syracuſis recognitas obtinuit.

Reliquiæ autem, quas dicta Capella cultui Fidelium exponit, & quarum feſtiva ſolemnitas cùm Proceſſione per Civitatem ductâ annuatim celebratur, ſunt Sequentes.

Guttæ Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti â B. M. Magdalena ſub Cruce collectæ.
Duæ ſpinæ de corona Chriſti tinctæ Sanguine.
Particulæ S. Crucis Sex, quarum una aliis notabiliter major.
De Veſte inconſutili Chriſti, & ejuſdem Fimbria.
Tres particulæ de Subucula B. V. Mariæ, & alia de Velo;

Aliæ

Aliæ Sanctorum & Sanctarum Reliquiæ.

SS. Abundantii m., Adonis m. Calaritani, Agathæ v. m. Catan., Agathæ m. Calaritanæ, Agnetis v. m., Albinæ m., Alexandri m., Alphonſi m. Calarit, Ambroſii m. Calarit. Amonii m. Reliquia inſig. Anaſtaſii m., Andreæ Apoſtoli. Annæ Matris B. V. M., Antiochi M., Antonii Abbatis & Eremitæ, Antonii m. Calarit., Ariani m., Athanaſii m. Augurinæ virg. m., Auguſti m., Auguſtini m., Aurelii m., Auxioli mart.

SS. Baſiliſſæ virg. & ſponſæ S. Juliani m., Barbaræ v. m., Bartholomæi Apoſtoli, Benedicti m., Benigni m., Birgittæ m. Calarit., Blaſii Epiſc. m., Boni m., reliq. inſign.

SS. Cabinæ v. m., Cæciliæ v. m., Cæſarii m., Caii m. Calarit., Calepodiæ m., Candidi m., Candidæ v. m., Caroli Borromæi epiſc. conf., Caroli m., Catharinæ v. m. Chriſtophori m., Cirilli m., Claudiani m., Cleti Papæ m., Columbi m., Concordii m., Conſtantiæ m. Reliquiæ duæ, Cordulæ v. m., Coſmæ m. Cugneræ v. m., Cypriani m. Calaritani.

SS. Decoratæ m. Calarit., Diodorii m. reliq. inſig., Diodori m., Dionyſii m., Dominici m. Calarit. Reliq. inſig., Domicillæ v. m., Donati m.

SS. Elpideſori m., Emiliani epiſc. m., Epiphanii m., Eraſmi m., Evolutæ m. Calarit. reliq. inſign. Exuperantii m.

SS. Fabritii epiſc. & m. Calarit., Felicis m., Felicis â Cantalicio Capuc. conf., Feliciani m., Felicitatis v. m., Fermi m. reliq. inſig., Fidelis â Sigmaringa Capuc. Protom., Flaminii m., Floræ m., Florentiani m. Calarit., Floriani m. Calarit., Florianæ v. m. Calarit., Formoſæ v. m. ex ſociabus S. Urſulæ Reliq. inſign. Fortunati m., Fortunati m. Calarit., S. P. Franciſci Aſſiſiatis, Fulgentii m.

SS. Gabrini m., Geminiani epiſc. & m. Calarit., Geneſiæ virg., Georgii m.. Gorgonii m., Grati m.

SS. Herculani m., Hilarii epiſc. & m. Calarit., Hilarii m., Honorati m. Calarit. reliq. inſign. Huberti epiſc. conf. Hyacinti m.

SS. Jacobi Apoſtoli maj, Jacobi Apoſtoli min., Jacobi m., Januarii m., Innocentii m. ex legione Thebæa, Innocentiæ v. m., De uno Sanct. Infantium Innocentium mm. pes integer cum carne, & unguibus, De alio pars oſſis pedis, Joannis Baptiſtæ pars ex oſſe brachii, Joannis Chryſoſtomi Epiſc. Doct., Joannis Evang. Joſephi Sponſi B. V. M., de veſte & baculo. Joſephi Juſti Diſcipuli Chriſti, Joſephi â Leoniſſa Capuc. conf., Jucundiani m., Juliani m. Calarit., Juliani m. ſponſi S. Baſiliſſæ v. m. reliq. inſign., Juliani epiſc. & apoſt. Cenomanorum, Julii m. Calarit., Julii Leonis m., Juſti m., Juſtini m., Juvenalis conf. epiſc. Calarit. reliq. inſign.

SS. Largi m. reliq. inſign., Laurentii m., Laurentii m. Calarit., Leontii m. Calarit., Leopardæ nec virg. nec m., Litii m., Lucæ Evang., Luciæ v. m. Romanæ, Luciæ v. m. Syracuſanæ, Lucii Papæ m., Lucii m., Luciani m. reliq. inſign., Luriæ nec virg. nec m.

SS. Malachiæ m., Marci Evang., Marciani m. reliq. inſign., Margarithæ v. m., Margarithæ m. Calaritanæ, Margarithæ â Cortona, Mariæ m. Calarit., Mariæ Magdalenæ Pœnit., Martinæ v. m., Martini Papæ m., Martini epiſc. & m. Calarit., Martiniani m., Martyrum decem millium, Matthæi Apoſt. & Evang., Mathiæ Apoſtoli, Maturini Confeſs., Mauritii & ſociorum reliq. inſign., Mercurii m. Calarit.

SS. Nicaſii Epiſc. & m., Nicolai Epiſc. Myr., Nicomedis m., Ninei epiſc. m., Ninii m. Calarit. reliq. inſign.

SS. Olimpii m., Olimpii m. Calarit. reliq. inſign., Olimpiæ m., Ologarii epiſc. Barcinonen.

SS. Palmatii & Sociorum mm. Trevirenſium reliq. inſign. Patritii m., Pauli apoſt., Peregrini m., Perfectæ m., Perpetuæ M., Petri Apoſtoli part. ex oſſe digiti; Petri m., Philippi Apoſt., Pii Papæ V. Conf. Pii m., Piſcatoris m., Placidi m. Calarit., Placidi & Sociorum ejus.

SS. Recreatæ m. Calarit., Roberti Infantis m., Romani m., Roſaliæ v. Panorm., Roſolini m.

SS. Salvii m., Septimiæ m. reliq. inſign., Serpentiæ m., Severi m., Silveſtri Papæ Conf., Simplicii m., Sodalis m., Soteris Papæ m., Stephani Protom., Stitiæ m. Calarit., Suritani m., Syrii m.

SS. Teleſphori Papæ m., Terentii m. reliq. inſign., Tertullæ m., Thebæorum mm. reliq. inſig. Theclæ m. Calarit, Theodori m., Thereſiæ V. Carmel., Thomæ Aquinatis Doct., Timothei m., Trajani m, Calarit. Tritæ m. Calaritanæ.

SS. Valentini m. ex cœmeterio Caliſti. Valentini m. ex cœmet. Cyriaræ, Valentini m. Victoris m., Victoris, Urſi, & Sociorum Reliquiæ quatuor, Victorini m., Viridarii m. Calarit reliq. inſign., Vincentii m. Vincentii Ferrerii Ord. Præd., Vitalis m. reliq. inſign., Vitalionis m., Viti m., Urbani Infantis m. Calarit., Urſulæ & Soc. Reliquiæ 14.

S. Xiſti Papæ m.

Hiſce Sacris Reliquiis accenſenda ſunt & alia; quæ ex contactu Sacra in eodem Sanctuario reperiuntur: inter quæ ſunt duæ Sindones, quarum una Sindonem Veſuntione in Burgundia, & altera eam Taurini aſſervatam attigêre.

Calceus, qui unnm ex calceis B. V. attigit.

Cingulum ejuſdem figuræ cum eo, quod B. Virgo in cœlos aſſumpta D. Thomæ Apoſtolo reliquit; quod pariter Sacrum archetypon tetigit.

Annulus oſſeus, qui tetigit annulum nuptialem B. V. Mariæ. Roſaria ex vario colore &c. &c.

In Hoſpitio Syracuſæ, Fratrum Infirmorum commodo deſtinato, Perſonas Sæculares, cujuſvis ſint gradûs & conditionis recipi, hoſpitari, aut pernoctare, ſub cenſura prohibet.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, ſicut Dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum nuper exponi fecit, Fratres dicti Ordinis Hoſpitium in Civitate Syracuſana habeant, ad quod Fratres Infirmi ex eorum Conventu ab eadem Civitate aliquantulum remoto, ut ibidem curentur, tranſmitti conſueverunt. Verùm idem Hoſpitium interdum à diverſis perſonis potentibus in eo hoſpitari volentibus occupetur in grave eorumdem Fratrum Infirmorum detrimentum, cui Superiores Conventûs & Hoſpitii hujuſmodi occurrere nequeunt. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &,ut infra,indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne de cœtero quiſquam, ſive Sæcularis, ſive Eccleſiaſticus,cujuſcumque ſtatûs, gradûs, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtat, qui Frater Ordinis præfati non ſit, in Hoſpitio prædicto ſub quocumque prætextu, quæſito colore, ingenio, cauſa, vel occaſione hoſpitari, vel pernoctare; neve ullus Superior, vel Frater ejuſdem Ordinis, etiam ſpecificâ & individuâ mentione, vel expreſſione dignus, quemquam, qui Frater Ordinis hujuſmodi non ſit, Hoſpitio ibidem excipere, aut,ut ibidem hoſpitetur, vel pernoctet, concedere, vel permittere audeat quovis modo, ſeu præſumat, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis, per contrafacientes eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis, à quibus nemo abſolutionis beneficium, niſi in mortis articulo conſtitutus, vel relaxationis, vel rehabilitationis gratiam à quoquam, præterquam à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, valeat obtinere, Apoſtolica authoritate,tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, Ordinis & Conventûs prædictorum, aliiſque quibuſvis; etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis,illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis exemplum in aliquo loco Hoſpitii conſpicuo, ubi ab omnibus cerni, & legi poſſit, affixum aſſiduè remaneat.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Aug. MDCLXXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

I. G. Sluſius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 17.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

In Loco Victoriæ, vulgò *della Vittoria* nuncupato Domum erigi, Epiſcopo Syracuſano committitur.

SAcra Congregatio Eminentiſſimorum ac Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Syracuſani, & ſtante conſenſu Parochi, aliorumque Regularium, referente Eminentiſſimo Acciajolo, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore benignè committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, refectorio, dormitorio, hortis & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, nec non duodecim hujuſmodi Religioſos ex eleemoſynis piorumBenefactorum commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam Conventûs erectionem, & Religioſorum introductionem pro ſuo arbitrio, & conſcientia ſer.ſer. procedat; ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per SS.Canones, S.Concil. Trid., Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti,circa hujuſmodi novorum Regularium

larium Conventuum erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur.

Romæ 21. Junii 1697.

G. Card. Carpineus.

Ex Reg. Secret. Congreg. præd.

DECRETO

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Ad inſtantias Ferdinandi Franciſci Gravina, Principis Palagoniæ &c. conſtructio novæ Domûs in Loco Franciſontis committitur.

Emi, ac Rmi Domini.

FErdinandus Franciſcus Gravina, Princeps Palagoniæ &c. EE. VV. exponit, quod retroacto tempore in Terra ſui Dominii *Francofonte* nuncupata extiterit Conventus Fratrum Capucinorum, ab iis tam ob ſitum ex vicinis paludibus humidum, quàm ob duorum milliariorum à dicta Terra diſtantiam derelictus. Cumque Orator erga Seraphicum Patriarcham D. Franciſcum, ejuſdemque Religionem ſingularem gerat devotionis affectum, regreſſum dictorum Patrum ad præfatam Terram deſiderat. Quem in finem R.P. Provinciali Capucinorum Provinciæ Syracuſanæ ſua patefecit vota, ſeque ad Conventum in loco ſalubri, prædictæque Terræ viciniore, propriis expenſis, & cum neceſſaria tum Eccleſiæ, tum Fratrum ſupellectile fundandum obtulit. Ad quod à Capitulo Provinciali aſſenſum obtinuit: renovatæ quoque fuerunt inſtantiæ in Capitulo Generali ultimò Romæ celebrato, ad quas affirmativum pariter à Rmo P. Generali habuit reſcriptum, cum conditione tamen & clauſula, ut ante fabricæ initium facultas ab EE. VV. impetraretur, prout per Libellum ſupplicem nomine Oratoris S. Congregationi porrectum, fuit aliàs expoſitum. Juſſus fuit ad hæc Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Syracuſanus deſuper informare &c. quod & exactè fecit, fuitque EE. Veſtris informatio tranſmiſſa. Jam verò cum Orator hucuſque optatam facultàtem non receperit, cupiatque incipere fabricam, eandemque, antequam veniat immutatio ejus, terminare, ac videre illam à Religioſis ita benemeritis habitatam, pro conceſſione petitæ gratiæ ad majorem Dei gloriam, & ſpiritualem populi illius fructum ſupplex inſtat. Quam &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S.R.E. Cardinalium negotiis, & conſult. Epiſc., & Regul. præpoſita, attentâ relatione Epiſcopi Syracuſani, & audito Patre Procuratore Generali Ordinis, referente Eminentiſſimo S. Clementis, cenſuit committendum, prout præſentis Decreti vigore benignè committit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquam ſibi conſtiterit fabricam prædicti Conventûs cum Eccleſia, choro, ſacriſtia, campanili, refectorio, dormitorio, hortis & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra quàm prophana ſufficienter inſtructam: nec non ex eleemoſynis duodecim hujuſmodi Religioſos commodè ali poſſe, factâ tamen per Religioſos introducendos ſolitâ proteſtatione, ſe non acceptare annuas aſſignationes pro eorum alimento factas, vel faciendas à Communitate, niſi titulo eleemoſynæ, & ſine ulla actione civili ad petendum, ad petitam Conventûs erectionem, & Religioſorum introductionem, pro ſuo arbitrio & conſcientia, ſervatis ſervandis, procedat, Ita tamen, ut in reliquis omnia, quæ per ſacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum. Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum Regularium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur. Romæ 14. Novembris 1710.

G. Card. Carpineus.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

DECRETO

S. Congregat. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Loco Biſcaris Ordinario Loci committitur.

SAcra Congregatio Eminentiſs. ac Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium negotiis & conſultationibus Epiſc. & Regul. præpoſita, viſâ relatione moderni Epiſcopi Syracuſani, referente Eminentiſſimo Salerno, eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis, ac priùs auditis aliis Regularibus, & intereſſe habentibus, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam dicti novi Conventûs cum Eccleſia, campanili, choro, refectorio, dormitorio, hortis, ac aliis officinis neceſſariis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, ac ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficienter inſtructam, & compererit, quod ex eleemoſynis Piorum Benefactorum commodè, ſaltem duodecim Religioſi ali poſſint, ad præfatam erectionem,

nem, pro ſuo arbitrio & conſcientia, ſervatis ſervandis, deveniat; ita tamen, ut ea omnia, quæ circa hujuſmodi novarum Religioſarum Domorum erectiones, per Sacros Canones, S. Concilium Tridentinum, & Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti præſcripta ſunt, Religiosè ſerventur.

Romæ 6. Julii 1725.

F. Card. Paulutius.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni prædict.

In Cauſa Fr. Angeli de Ennâ, tam ex cauſa morbi, quàm metûs Profeſſionem annullare cupientis, S. Congregatio Concilii inducias & reviſionem ſententiæ Definitorii Generalis ordinat, ac *ad Mentem* reſcribit.

ORDINIS CAPUCINORUM.

CUM utriuſque partis jura Eminentiſſimis Patribus non exhibeantur, opportunum videtur, ut rationum momenta, ex quibus hæc cauſa decidi valeat, altiùs quidem, ſed paucis repetantur.

Conſtitutiones PP. Capucinorum à Sede Apoſtolica in forma, ut ajunt, ſpecifica confirmatæ cap. 2. num. 8. hæc habent: *qui leprâ, morbo caduco, vel alia infirmitate contagioſa vel incurabili eſſet infectus, non recipiatur, & caſu quo talis fuiſſet receptus, ex eo, quod interrogatus id manifeſtare renuerit, declaratur, quod Religio ad eum retinendum nolit eſſe obligata.*

Quæri autem ſolet, utrum auctoritate hujus Conſtitutionis talis profeſſio cenſeri debeat ipſo jure nulla? & Bartholomæus quidem de Vecchis Capucinus in libro, cui titulus: *Praxis obſervanda in admittendis ad Religionis ſtatum Novitiis diſp.* 13. *dub.* 15. conquiſitis undique argumentis, eſſe omnino nullam affirmat, ex defectu præſertim conſensûs Ordinis, eò quod ad ipſam Regularis Profeſſionis naturam pertineat, Religioni quidem ſeſe aliquem mancipare, & Ordinem ipſum ad perpetuò illum retinendum aſtringi, ut proinde mutuâ hujuſmodi obligatione deficiente, totum quoque Profeſſionis actum corruere neceſſe ſit.

Quibus addi poteſt præter proteſtationem illam in Conſtitutionibus expreſſam, quod nolit Religio talem Profeſſum retinere, interdictum quoque ibi fuiſſe, ne morbo perpetuo laborantes reciperentur, unde ſcilicet confici videtur, quod ſublatâ per Conſtitutionem recipiendi poteſtate, nulla etiam legitima Profeſſio conſequi poſſit.

In contrarium tamen urget communis regula, quod jure communi inſpecto, nec talis ægritudo vitiat Profeſſionem, ut apud *Navar. conſ.* 48. *de Regular. juxta editionem Lugdunenſem anno* 1594. neque ſtatuta ſpecialia illam irritare cenſentur, niſi diſertis verbis expreſſum id fuerit, ut innuit Navar. *num.* 2. *& generaliter probat Bordonus operum to.*5. *in tract. de Profeſſione Regulari cap.* 7. 9. 10. *à num.* 25. *ad* 35. *& cap.* 17. 9. 7. *num.* 14. etiamſi eſſent à Pontifice confirmata, ut *apud Emin. Petram in Conſtit. V. Greg. IX. tom.*2. *pag.* 525. *à num.* 22. Hæc autem clara irritatio, quam utique habent alii Ordines Regularium, non legitur in Conſtitutionibus Capucinorum, licet enim verba illa: *non recipiatur*, apta eſſe poſſint ad adimendam recipiendi facultatem, moderationem tamen habere videntur à ſubſequentibus verbis, quibus de illo duntaxat Religio proteſtatur, ut nolit adſtringi ad Profeſſum retinendum. Non ſunt autem contraria, quod Profeſſio quidem viribus ſubſiſtat, & quod poſſit Religio, detectâ ægritudine Profeſſum dimittere, ut etiam ſenſit Navar. *num.* 3. ſicut nec invicem pugnant valida Profeſſio, & facultas ejiciendi Profeſſum, ſi declaratus fuerit incorrigibilis.

Cæterum ſubſiſtente etiam validitate Profeſſionis, dubium non eſt, quin poſſit Religio uti jure ſuo dimittendi Profeſſum morbo perpetuo laborantem, quem manifeſtum non fecit, quando ſolemnem Profeſſionem emiſit, cum id ſpeciali Capucinorum ſtatuto diſertis verbis caveatur, quamvis jure communi inſpecto, & ſecluſis Conſtitutionibus, crebrior ſit Doctorum opinio, ex tacito hujuſmodi morbo ſufficientem expulſionis cauſam non oriri, ut videre eſt apud Doctores ſupra allegatos.

At verò altera occurrit dubitatio, utrum nullitas Profeſſionis, vel ejectio validè Profeſſi admitti poſſit, quamvis proteſtatio Religionis non intervenerit, quâ Novitius ante emiſſam Profeſſionem certior factus fuerit de jure, quod ſibi reſervat Religio eum expellendi? quam quidem proteſtationem expreſſis verbis fieri debere innuit de Vecchis *in ead. diſp.*13. *dub.*15. & an ex ſpeciali ſtatuto Capucinorum, tunc ſolùm Religio videri poſſit non adſtringi Profeſſum retinere, quando is expreſſis verbis interrogatus, antequam Profeſſionem emitteret, morbum, quo laborabat, manifeſtum non fecit, ex regula, quod, ubi ſtatutum aliquid introducit præter juris communis diſpoſitionem cum certis modificationibus, quidquid in eo exprimitur, reputandum eſt pro forma, ut pluribus comprobat Roland. *conſ.*72. *n.*61. *l.*3.

His ita prænotatis facti ſpecies hæc incidit. Orator, poſtquam profeſſionem apud Capucinos emiſerat ſub nomine Fratris Angeli, eandem profeſſionem duplici ex capite oppugnare cœpit, tum ſcilicet, quod morbo gallico laborans eam emiſiſſet, tum etiam, quod metu irati Patris inductus fuerit ad illud vitæ genus amplectendum, quod maximè averſaretur.

Re ad Sacram Congregationem delatâ, commiſſaque Eminentiſs. Archiepiſcopo Montis Regalis probationum receptione, actiſque tandem ab ejus Vicario ad Urbem miſſis, illud maximè notandum occurrit, quod tres teſtes, citato Procuratore Provincialis examinati, verum eſſe confirmabant, Oratorem, antequam Religioni nomen daret, re ipſa eo morbo laboràſſe, metuque Patris eam ob cauſam indignati, ſeſe Religioni addixiſſe. Nihil tamen ab iis additum de actu ipſo Profeſſionis, & utrum in ea Orator à Cœnobii Præfecto ſtatis interrogationibus motus fuerit, nec ne?

Inſertæ ſunt etiam actis geminæ atteſtationes; altera quidem Medici, affirmantis curam ejus morbi, paulò antequam Orator Religionem ingrederetur, à ſe ſuſceptam; alia verò Condiſcipuli, qui eodem morbo illum vexatum fuiſſe affirmat.

Habetur quoque in iiſdem actis ipſius Oratoris denuntiatio, quâ narrat, ad Patruum Capucinorum ſe confugiſſe, ut Patris iram declinaret, ejuſque ſuaſu & ope in Ordinem admiſſum, pluries tamen à Præfecto & à Novitiorum Magiſtro poſtulâſſe, ne ad Profeſſionem urgeretur, quin tamen dicat ſe unquam illos de morbo certiores feciſſe.

Extat denique in actis Confeſſio Procuratoris â Provinciali Miniſtro conſtituti, qua morbum ante- & poſt Profeſſionem probatum eſſe admittit, nullam quoque Profeſſionem fuiſſe ob defectum conſenſûs, eamque irritam pronuntiari petit: veris exiſtentibus narratis, & in proceſſu, & probationibus adductis, & probatis.

Hæc relata cum fuerint in Congregatione habita die 28. Septemb. 1726. audito Procuratore Generali, qui Oratoris precibus ex hujuſmodi probationibus aſſenſum præſtabat, reſcriptum fuit in hunc modum, videlicet: *quoad caput morbi præexiſtentis ante Profeſſionem Religio, auctoritate etiam S. Congregationis, procedat, prout de jure, juxta ſuas Conſtitutiones: quatenus verò fundamentum morbi non ſubſiſtat, & ejus vigore non poſſit Religio à ſe ejicere Oratorem, & opus eſſet pro nullitate Profeſſionis recurrere ad vim & metum, cauſa in S. Congregatione proponatur.*

Hujus Reſcripti auctoritate, Miniſter Provincialis ſententiam tulit ſequentibus verbis conceptam: *Sententiamus, dictum Fratrem Angelum ab Enna Sacerdotem Profeſſum in ſua receptione ad noſtram Religionem verè fuiſſe compertum, prædicto morbo gallico laboráſſe, eoque adhuc laborare, præfatumque ſuum morbum fuiſſe, & eſſe verè contagioſum, & incurabilem ex communi Medicorum judicio & obſervatione; eapropter præfatam noſtram Religionem vigore facultatis ſibi retentæ per expreſſam proteſtationem in ſuis generalibus Conſtitutionibus factam, quod nolit eſſe obligata ad hujuſmodi infectos, & incurabiles retinendum, ipſius tamen validâ Profeſſione non obſtante poſſe ac debere eum expellere & ejicere, tam in pœnam doloſæ occultationis prædicti morbi, quàm in ſuorum Religioſorum indemnitatem, prout Nos pro parte ipſiuſmet Religionis noſtræ illum per eandem noſtram definitivam ſententiam expellimus, & ejicimus à memorata noſtra Religione, & expulſum & ejectum eſſe declaramus: admonentes propterea eundem nullatenus à votis in Profeſſione facta inter nos emiſſis liberum remanere, ſed illis perpetuò eſſe ligatum, & extra Religionem noſtram degentem eſſe ſubjectum Ordinario Loci.*

A poſtrema hujus ſententiæ clauſula provocavit Orator, contendens nimirum, nullo ſe amplius ſolemnium votorum vinculo adſtrictum, cum Profeſſio ex defectu conſensûs Religionis nullo prorſus numero haberi debeat valida, ideoque conſequens eſſe ad eorundem votorum obſervantiam ſe non teneri.

Plura itaque hac in re abs EE. VV. diſcutienda occurrunt: Primum quidem, an Conſtitutiones Ordinis reipſa Profeſſionem ipſo jure nullam, prorſuſque invalidam fore voluerint, juxta ea, quæ ſuperiùs hinc inde adduximus? & utrum admiſſa tali Profeſſionis nullitate, ea tamen in hac Facti ſpecie locum ſibi vendicare nequeat, cum non doceatur, Interrogationes à Statuto præſcriptas præceſſiſſe: an potius ſubſiſtente Profeſſione, & utente Religione jure ſibi à Conſtitutionibus attributo dimittendi etiam validè Profeſſum, hæc tamen facultas ſublata itidem dici poſſit ob interrogationes, ut ſupra, omiſſas, ac denique, ſi maximè locus expulſioni fuerit, neque ex omiſſis interrogationibus impediatur: an ita ejectus adhuc ſolemnibus votis, quatenus fieri poteſt, obnoxius remaneat?

Et quidem hac in re non abſurdè forſan comparari poterit ejectus ob talem morbum, in Profeſſione reticitum cum aliis, qui ob crimina tanquam incorrigibiles expelli ſolent, cum in utriſque eadem urgeat ratio de votis ritè ſemel emiſſis.

De aliis porro ejectis nulla quidem eſt difficultas, quin ad caſtitatem ſervandam teneri debeant; de voto autem obedientiæ ambigitur, cenſentibus quibuſdam, ita duntaxat ab

ab illo eximi, ut votum quidem non relaxetur, ſed materia potius ejuſdem voti deficiat: aliis verò Prælato Regulari Epiſcopum ſubſtitui affirmantibus, idque demum definitum fuit â S. Congregatione Concilii anno 1624. approbante Summo Pontifice Urbano VIII. hiſce verbis: *ſic verò ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in Habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci juriſdictioni & obedientiæ ſubſint*. Ac demum de voto paupertatis receptum eſt, illud ſervandum hactenus eſſe, ut nullum ejecto verum dominium acquiri poſſit, libero tamen bonorum uſu, atque adminiſtratione permiſſis, ut videre eſt apud *Caſtropal. oper. moral. part. tertia tract.* 16. *diſput.* 4. *punct. n*3. *n.* 2.

Cum tamen Religio nullas partes in hac cauſa ſibi agendas putaverit, nullaque proinde dubia fuerint de more ſubſcripta, ſatius eſſe videtur, ut EE. PP. tota de re inſtructis generaliter decernendum proponatur.

An & quomodo inſtantiæ Oratoris ſit annuendum?

Et 20. Novembris 1728. fuit à S. Congregatione reſponſum.

Dilata, & revideatur ſententia Definitorii, & ad mentem, *quæ fuit, ut placidè de Ordine dimitteretur*.

A. Card. Gentili Præf.

P. de Lambertinis Secret.

Ex theſauro Reſolut. dictæ S. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 221. & 232.


DECRETO

S. Congregationis Concilii.

Cauſas nullitatis Profeſſionum ab Epiſcopis Provinciæ Siculæ ſine Superiore Regulari recognoſci inhibetur &c.

NOTA

GRavem hanc controverſiam Provinciis Panormitanæ, Meſſanenſi & Syracuſanæ communem vide ſupra fol. 166. longè lateqne extenſam.



PROVINCIA APRUTINA.

PRimæva hujus Provinciæ ſemina à P. Mathæo à Leoniſſa, virtute & miraculis claro, ſparſa fuiſſe paſſim reperio; vix enim Vir Dei fabricam Conventûs noſtri veteris in Patria ſua abſolverat, jecit & alterius fundamenta anno 1540. *in ipſa Civitate Aquilæ, hujus Provinciæ loco. Huic ſenſim jungebantur & aliæ Domus ſub Romanæ Provinciæ jure conſiſtentes, uſquedum anno* 1575. *à P. Laurentio à Monte Politiano Commiſſario facta fuit unitatis diviſio.*

Eo furore anno 1645. *peſtis per Regionem Aprutinam debacchata eſt, ut in Provincia orta ſit rerum omnium confuſio; dum enim illa Fratres vix non omnes ſucceſſivâ Stage conſumpſit, edax flamma ſocio fato Archivi Scripta potiſſimùm abſorbuit. Inde prima hujus Provinciæ decora à me non individuari Lector non miretur; recurrat autem ad communem Annalium fontem, ibique reperiet Viros, qui æquè digna hujus Provinciæ fuêre pignora, ac præclara virtutis, & Doctrinæ exempla. Refricatur hîc unicè memoria trium Miniſtrorum Provincialium, videlicet Fr. Seraphini à Theate ex illuſtri Valignanorum Familia, Fr. Alexandri à Sulmona, ex nobili Sardorum Stirpe, & Fr. Marci Antonii à Cermignano, ex Baronali Proſapia de Sterlich, qui aviti Sanguinis clarirati probatæ virtutis decus adjunxerunt, & ſingulari zelo Provinciæ bono invigilârunt, Viri nunquam intermorituræ benedictionis digniſſimi.*

Provincia, quæ ſeverior Regularis Obſervantiæ cuſtos eſt, & aliàs quoque Provincia S. Bernardini, ob Sacra hujus Sancti Minoritæ in Civitate Aquilana aſſervata Spolia nuncupatur, numerat

Conventus XXXI.

In ſitu Eccleſiæ S. Mariæ Loci Catiniani novam Fratrum Domum erigi, dictamq; Eccleſiam, diſmembratis prius illius redditibus & juribus, Fratrum uſui relinqui indulget.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcræ Religionis ſinceritas, in qua Dilecti Filii Fratres Capucini ſub voluntariæ paupertatis Habitu devotum & ſedulum impendunt Domino famulatum, & vitæ Regularis, ſub qua degunt, honeſtas, Nos meritò inducunt, ut ea, quæ Divini Cultûs augmentum, & Religionis propagationem concernunt, illis gratioſè concedamus, aliàſque deſuper diſponamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni Noſtræ reſervavimus. decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Cum itaque poſtmodum Eccleſia S. Mariæ Loci Catinani Pinnen. Diœceſis, per liberam reſignationem Dilecti Filii Pauli Ghiſelli Familiaris continui Commenſalis noſtri, nuper ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſpontè factam, & per Nos admiſſam, apud Sedem eandem vacaverit, & vacet ad præſens, nullúſque de illa præter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis; & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Dilectorum Filiorum Fratrum Capucinorum petitio continebat, ſi in ſex tumulis terræ ad dictam Eccleſiam pertinentibus, & illi adjacentibus una Domus Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum nuncupatorum ad Dei Omnipotentis laudem, gloriam, & honorem, cui dicta Eccleſia concederetur ad hoc, ut inibi eſſet ſemper, qui Miſſas, & alia Divina Officia celebraret, ac Verbum Dei Chriſtifidelibus illarum partium prædicaret, cum Clauſtro, campanis, & aliis neceſſariis perpetuò erigeretur, & inſtitueretur, ex hoc profectò Cultus Divinus in dicta Eccleſia non exiguum ſuſciperet incrementum, Religioque dictorum Fratrum propagaretur, pro parte dictorum Fratrum aſſerentium fructus, redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ, & illi forſan annexorum duodecim Ducatorum Auri de Camera ſecundùm communem extimationem, valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Domum dicti Ordinis in tumulis præfatis erigere & inſtituere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quòd petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundùm extimationem prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet: Quique hodie omnia, & ſingula, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta dictæ Eccleſiæ ab ea diſmembrari, dividi, & ſeparari, illaque Cappellæ ejuſdem Beatæ Mariæ, quam Nos ſimiliter hodie in aliquo condecenti, & eidem Eccleſiæ propinquo, & à Loci Ordinario ſtatuendo loco ereximus, applicari, & appropriari conceſſimus, Fratres præfatos, ac eorum quemlibet à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in dictis tumulis unam Domum dicti Ordinis cum ſuis dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis, & inſignibus neceſſariis, ac ſolitis, & conſuetis pro uno Guardiano, & tot Fratribus, quot inibi ex conſuetis eleemoſynis vivere poterunt, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, ſine alicujus præjudicio erigimus, & inſtituimus, illique ſic erectæ & inſtitutæ Eccleſiam prædictam, quæ ſine cura eſt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Pauli, vel cujuſvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio, juxta Lateranenſis Statuta Concili, ad Sedem prædictam legitimè devoluta, ipſaque Eccleſia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, cum dictis tumulis, ac olivis in illis exiſtentibus pro ambitu, horto, & viridario dictæ Domûs, eidem Domui, authoritate, & tenore præmiſſis concedimus & aſſignamus; ita quòd liceat dictis Fratribus per ſe, vel alium, ſeu alios, Eccleſiæ & tumulorum prædictorum corporalem poſſeſſionem propria authoritate liberè apprehendere. Decernentes præſentes literas, nullo unquam tempore de ſubreptionis, obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu, etiam ex eo, quod intereſſe habentes, ſeu prætendentes, vocati, & cauſæ, propter quas emanârunt, coram Loci Ordinario veri-

verificatæ, & approbatæ non fuerint, vel ex quavis alia cauſa, quantumcunque juridica, & neceſſariò exprimenda, notari, & impugnari, vel invalidari poſſe: Sicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis authoritate fungentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, ac definiri debere; nec non irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus voluntate Noſtra prædicta, ac fel. rec. Bonifacii PP. VIII. Prædeceſſoris Noſtri, qua inter alia cavetur expreſsè, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſores loca ad habitandum de novo recipere, ſeu recepta mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, de prohibitione hujuſmodi expreſſam mentionem faciente, & aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque: aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſsus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcunque ad dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad executionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari. Et quibuslibet aliis privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcunq; tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in eiſdem literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod propter conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi dicta Eccleſia debitis non fraudetur obſequiis, ſed ejus congruè ſupportentur onera conſueta. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, erectionis, inſtitutionis, conceſſionis, aſſignationis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Tuſculi Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Nonis Maii, Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

Bulla formata in Arch. Provinciæ, de qua exemplar authenticum in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Aprutina.

Ceſſionem cujuſdam petii terræ, & alterius aſſignationem pro Conventu Camplorum commodius ædificando Communitatem inter- & Monaſterium Monialium B. Mariæ Angelorum Ord. S. Benedicti ibidem ratihaberi committit.

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, & dilecte Fili, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Univerſitas, & Homines Terræ *Campli* Aprutin. Diœceſis, quod, cum nuper ipſi pio devotionis Zelo accenſi, ac pro eorum Spirituali conſolatione, & Divini cultûs augmento, unam Domum Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum in territorio ejuſdem Caſtri ædificare decreviſſent, pro ejuſdem Domûs, & Perſonarum ibi introducendarum majori commoditate, & ſalubritate, Domum præfatam in ſolo quodam, ſeu terreno in territorio cujuſdam Caſtri, & loco plano S. Salvatoris ad Traſilium nuncupato ſito, juxta bona Andreæ Ioannis, & viam publicam, ac bona Monaſterii Monialium B. Mariæ Angelorum Ordinis S. Benedicti de eodem Caſtro, & Simonis Iocuffe ad Rivum Sicchagni, ſalvis aliis verioribus Confinibus, partim aratoria, & partim fodiva, ac quercubus conſita ad dictum Monaſterium ſpectantia, & pertinentia, valoris in proprietate ſeptuaginta duorum, ac redditûs annui quatuor ducatorum auri de Camera conſtrui, & ædificari fecerunt, de tamen ejuſdem Monaſterii Abbatiſſæ, & Conventûs, qui ipſum ſolum, ſeu Terrenum ipſis Univerſitati & Hominibus ad dictum effectum dederant, & conceſſerant, conſenſu, ac iidem Univerſitas & Homines ejuſdem Monaſterii Abbatiſſæ & Conventui ratione dicti Soli, ſive terreni, & in illius recompenſationem, & permutationem quoddam petium terræ arativæ duodecim tumulorum cum dimidio, vel circa in eodem territorio, & loco de Vepro nuncupato juxta bona Antonii Mancini, ac Joſephi Tullii, & Ulyſſis, Joannis Mariæ Macchabei, ac foveam, ſalvis aliis verioribus confinibus, valoris in eadem proprietate centum, ac redditus annui quinque ducatorum auri de Camera ſimilium, ad dictam Univerſitatem, & Homines legitimè ſpectans, & pertinens dederunt, aſſignaverunt, & permutarunt, ac Abbatiſſa, & Conventus præfati omnia jura eis in dicto ſitu, ſeu terreno legitimè ſpectantia, & pertinentia ceſſerunt,

prout

prout in publicis deſuper confectis Inſtrumentis latius dicitur contineri. Quare tam Univerſitas & Homines, quàm Abbatiſſa, & Conventus præfati aſſerentes dationem, aſſignationem, ac ceſſionem prædictas in evidentem dicti Monaſterii utilitatem ceſſiſſe, & cedere, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eis ſuper his opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igtur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac territorii, & petii terræ hujuſmodi ſituationes, & confines præſentibus pro expreſſis haberi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus territorio, & petio terræ hujuſmodi, prius coram Vobis ſpecificatis, & vocatis ad id, qui fuerint vocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis Vos diligenter informetis, &, ſi per informationem eandem, Vobis conjunctim procedentibus, legitimè conſtiterit, permutationem ac ceſſionem prædictas in evidentem dicti Monaſterii utilitatem cedere, ſuper quo veſtram conſcientiam oneramus, illas authoritate noſtra confirmetis, & approbetis, ac omnes & ſingulos tam juris, quàm facti defectus, ſi qui intervenerint, in eiſdem ſuppleatis, ceteraque alia in præmiſſis neceſſaria & opportuna faciatis, & exequamini. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſterii, & Ordinum ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & Decretis in contrarium forſan quomodolibet conceſſis, quibus omnibus, etiamſi de illis ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda foret, illis aliàs in ſuo rebore permanſuris hâc vice duntaxat, ſpecialiter derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VII. Maij MDLXXX. Pontificatus Noſtri anno octavo.

Hieronymus Ruis.

Breve formatum in Archivo Provinciæ, de quo exempl. auth. in Archivo Ord. Armario prædicto.

EPISTOLA

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Novam Domum in loco Ophæni erigi, & aliam in Provincia ſupprimi, Patri Miniſtro Generali committitur.

ILluſtriſſimi Domini mei ex juſtis cauſis, animum eorum moventibus, Paternitati Veſtræ & Religionis Superioribus facultatem impertiuntur erigendi Conventum Fratrum hujus Ordinis in Terra Ophæni, ſub hac tamen conditioue, & non alias, ut ad minus duodecim Fratres ibi degant, & vel in illa, vel in alia vicina Provincia unus aut alter Conventus ſaltem eorum, in quibus minoris numeri familia reperitur, ſupprimatur: ideoque neceſſaria deſuper diſponat. Romæ 15. Maij 1599.

Ex Reg. Sac. Congregationis menſis & anni præd. ſol. 50.

N O T A.

FAbricâ jam cœptâ, prodiit Decretum, quo nova loca per Italiam recipere prohibebamur, & inde exortum dubium, an dicta inhibitio Conventum jam inceptum comprehenderet? quod fuit ſolutum ſequenti Decreto.

Sacra Congregatio cenſuit non obſtare Decretum, per quod Capuccini prohibiti fuerunt recipere nova loca per Italiam, quin Ipſimet Fratres poſſint permanere in Conventu jam incepto, & illis conceſſo ante hujuſmodi Decretum in Terra Ophæni Diœc. Sulmonen. & pro quo conſtruendo fuit obtenta licentia. Et quoad Eccleſiam S. Mariæ de Jantucio, aliàs eidem Conventui unitam, in eadem Congregatione fuit reſolutum, illam concedi, ac liberam relinqui debere Capucinis, ita ut nemo in ea ſe amplius intromittere poſſit. Die 5. *Dec.* 1601.

Ex eodem Regeſto anni prædicti ſol. 108.

Lega-

Legatum perpetuum ab Antonia Oliva Fratribus relictum ad perfectionem fabricæ Domûs S. Michaelis Civitatis Aquilæ converti committit.

A tergo. *Venerabili Fratri Epiſcopo Aquilano, ſeu dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſeu Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Petrus Paulus Olivus Aquilanus, quod aliàs quondam Antonia Oliva, ejus germana ſoror. in ſuo ultimo, quod condidit, teſtamento, ſub cujus diſpoſitione ab humanis deceſſit, inter alia decem ſcuta monetæ annua, quæ in res convertibiles expendi deberent, Dilectis Filiis Fratribus Domûs Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Aquilan. reliquit, prout in dicto teſtameuto plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dicti Fratres Capucini, qui legati hujuſmodi juxta regularia eorum inſtituta, Apoſtolica auctoritate confirmata incapaces exiſtunt, ut fabricam eorum Domûs regularis ad debitum finem perducere poſſint, aliquo ſubventionis auxilio maximè indigeant, idem verò Petrus Paulus teſtamenti dictæ Antoniæ, ut aſſerit, Exequutor deputatus, voluntati ipſius Antoniæ, quantum fieri poteſt, ſatisfacere ſummopere cupiat: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis, ut infra, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictum Petrum Paulum ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus & mandamus, ut eidem Petro Paulo, quod tantum, quantùm ſortem principalem decem ſcutorum annuorum æſtimaveris, unica vice in perfectionem fabricæ dictæ Domûs erogare, Syndico ejuſdem domus perſolvere, ſicque voluntati ipſius Antoniæ ſatisfacere liberè & licitè poſſit & valeat, Apoſtolicam auctoritatem noſtram concedas & indulgeas, voluntatemque dictæ Antoniæ quoad præmiſſa ſufficienter commutes. Non obſtantibus voluntate prædicta, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis Fratrum Capucinorum hujuſmodi, etiam juramento &c. roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die ultima Maij MDCXIII. Pontificatus noſtri anno nono.

Ex Reg. Arch. Secret. Brev. Apoſt. menſ. & anni præd. fol. 25.

Situm pro nova Fratrum Domo in Civitate Ortonenſi legatum vendi, & pretium in ſubſidium Fabricæ in alio loco erigendæ converti concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater, ſive dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi Nobis fecit nuper dilectus Filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quod aliàs quidam Teſtator ſitum in Civitate Ortonenſi, ſeu ejus diſtrictu conſiſtentem, poſt obitum tamen cujuſdam ſuæ Sororis, ad effectum inibi Domum Regularem Fratrum hujuſmodi conſtruendi reliquit, volens, quod in eventum, in quem ille ab eiſdem Fratribus, recuſaretur, Epiſcopus & Univerſitas Ortonenſis pro tempore exiſtentes in illo poſt ejus ſororis obitum hujuſmodi Monaſterium ædificari curarent, prout in ſcripturis ſuper diſpoſitione ipſius Teſtatoris forſan confectis plenius contineri dicitur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſitus hujuſmodi pro Domus Regularis ipſorum Fratrum, vel Monaſterii Monialium ſtructura, & ædificatione opportunus non exiſtat, Tuque, Frater Epiſcope, & dilecti Filii Univerſitas prædicti conditionem Vobis à dicto Teſtatore impoſitam acceptare nolueritis; unde, cum iidem Fratres eorum Domûs fabricam in alio loco deſtinaverint, ad venditionem dicti ſitûs de conſenſu prædictæ ſororis, adhuc ſuperſtitis, & illum tamquam alienum emere cogitantis devenire ſtatuerunt, ſi ſibi ad id noſtra, & Sedis Apoſtolicæ licentia ſuffragetur, & facultas: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit Exponens prædictus, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dicti ſitûs ſituationes, confines, vocabula, & denominationes, nec non ſcripturarum hujuſmodi tenores, ac Data, & inde legitimè ſequuta quæcunque præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque Exponentem ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, nec non à quibuſvis excommunicationis, &c. & abſolutum fore cenſentes, certam tamen de præ-

præmiſſis notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus, & mandamus, quatenus Fratribus dicti Ordinis, ut prædictum ſitum Sorori dicti teſtatoris, vel de ejus, ac tuo, & Univerſitatis hujuſmodi conſenſu, alii cuicunque perſonæ pro pretio reperibili vendere, & pretium hujuſmodi in ſubſidium eorum fabricæ convertere liberè, & licitè, ac abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo poſſint, & valeant, auctoritate noſtra concedas, & indulgeas: irritum quoque & inane decernas, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus dicti Teſtatoris voluntate, quam in id, & quoad præmiſſa ſufficienter, & expreſsè volumus commutari: nec non, quatenus opus ſit, felicis rec. Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, ac quibuſvis aliis Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Domûs Regularis, & Ordinis hujuſmodi juramento, & confirmatione Apoſtolica, aut quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Decembris MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno quarto.

B. Buſpalus.

Exemplar in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Aprutina.

DECRETO

Sac. Congregat. Epiſc. & Regul.

Erectionem novæ Domûs in Terra Radiani à PP. Reformatis impediri non poſſe ſancitur.

CUM Fratres Minores de Obſervantia Reformati S. Franciſci prætenderent, Fratres Capucinos non poſſe erigere novum Conventum in Terra Radiani Sulmonen. Diœc. ſtante præſertim ſententiâ ad ipſorum favorem latâ in parte & partibus per Epiſcopum Sulmonenſem; causâ hujuſmodi in gradu appellationis introductâ in S. Congregatione, Eminentiſſimi ejuſdem S. Congregationis Patres viſis actis & proceſſibus unacum teſtibus hinc inde examinatis, auditis partibus; & negotio ad relationem Emin. Cæſarini maturè diſcuſſo, cenſuerunt permittendam eſſe à præfatis Fratribus de Obſervantia Reformatis erectionem dicti novi Conventûs in prædicta Terra Radiani Fratribus Capucinis antedictis, præmiſſis, cœteriſque contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ 18. Julii 1642.

Fr. Antonius Card. S. Honuphrii.

Ex Regeſt. Secretar. Congregat. menſ. & anni prædict. f. 230.

NOTA.

SEntentia Epiſcopalis, quæ in antepoſito Decrèto citatur, fuit ſequens:

In Cauſa in Epiſcopali Curia Sulmonæ vertente inter RR. PP. Minores Obſervantes Reformatos S. Franciſci, Ven. Conventûs S. Honuphrii loci Radiani, & RR. PP. Capucinos, prætendentes novam erectionem Conventûs in dicto loco Radiani, rebuſque aliis in actis fuit

In Dei Nomine Amen: Nec non attenta Conſtitutione Sanctiſſimi D. N. Urbani PP. VIII. quæ prohibet erectionem Monaſteriorum ſeu Conventuum non ſecuta forma Bullarum fel. rec. Clementis VIII. & Gregorii XV. per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum reſolutum & decretum, non licere RR. PP. Capucinis erigere Monaſterium in Oppido Radiani propter ejus inſufficientiam ad alendum, & ſuſtentandum 12. *Fratres, quamvis aliorum locorum & terrarum vicinarum eleemoſynis poſſent manuteneri. Ita per hoc ſuum &c. omni modo meliore &c. die* 23. *Decemb.* 1634.

Franciſcus Epiſcopus Sulmonenſis.

Sententiâ hac per ſuperius Sacræ Congregationis Decretum infirmatâ, pars contraria non quievit, ſed econtra apud Miniſtros Regiæ Neapolitanæ Cameræ, Decretum Apoſtolicum violenter ſupprimi quæſivit, Inde Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico Neapolitano indilata hujus executio fuit commiſſa per litteras ſequentes:

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine uti Frater. Cum innotuerit eos, qui in Sacra Congregatione erectioni Conventûs Capucinorum in Terra Radiani Diœc. Sulmonen. ſeſe oppoſuerunt, jam apud Regios Miniſtros pro impedienda hujuſmodi erectione inſtare, ac etiam nocturno tempore Crucem pro dicti Conventûs conſtructione fuiſſe ſublatam, S. Congregatio Amplit. Tuæ à me ſcribi juſſit, ut Capucinis pro executione Decreti ab Emin. Patribus, maturè & partibus deſuper ſæpius auditis emanati aſſiſtat, nec eos

propterea turbari, aut quovis modo impediri permittat; quem in finem vigore præſentium neceſſaria tribuitur auctoritas. Romæ 28. Nov. 1642.

Ex Reg. dictæ S. Congreg. fol. 472.

Emptum pro fabrica Domûs Civitatis Aquilæ terræ petium vendi, & pretium in neceſſitates alias dictæ Domûs converti indulget.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte dilecti Filii Provincialis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Provinciæ Aprutinæ Nobis expoſitum fuit, quòd aliàs occaſione mutationis Domûs Regularis dicti Ordinis Aquilan. quoddam terræ petium, quod pro fabrica neceſſarium credebatur, emptum fuit. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictum terræ petium pro eadem fabrica minimè neceſſarium fuerit, cupiatque propterea dictus Provincialis modernus illud per eum, qui dictæ fabricæ curam habet, vendi, ejuſque pretium in nonnullas neceſſitates dictæ Domûs converti poſſe; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur dictum modernum Provincialem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, illi, qui curam dictæ fabricæ gerit, quod ipſe dictæ terræ petium vendere, & pretium inde proveniens, quod ad ſummam quinquaginta ducatorum circiter aſcendet, in dictæ Domus Regularis neceſſitates convertere liberè, & licitè poſſit, & valeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtan. fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXII. Decembris MDCXXXII. Pontificatus noſtri Anno decimo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brev. Apoſtolic. Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 415.

DECRETO.

S. Cong. Epiſc. & Regul.

Venditio Sitûs Veteris Domûs Civitatis Sulmonæ, & erectio novæ Domûs ibidem conceditur.

Emi, ac Rmi Domini.

FRatres Capucini Provinciæ Aprutinæ, humillimi EE.VV. Oratores & Servi, ex communi Capituli Provincialis, hoc anno celebrati voto, ac etiam de P. Generalis legitimo conſenſu Conventum Sulmonæ de ſitu importuno, ac maximè infirmis nocivo, cum ob Civitatis diſtantiam beneficio Medici gaudere nequeant, ad alium ſitum viciniorem, proviſionique rerum neceſſariarum, ac infirmis opportuniorem transferre decreverunt, præſertim cum ad hujuſmodi translationem ipſa Civitas, quæ eapropter jam alias fecit inſtantias, concurrat. Hinc EE. Veſtris pro majore cautela ſupplicant pro licentia vendendi per Syndicum veterem ſitum, & pecunias inde redigendas novi Conventûs commodo applicandi. Pro qua gratia &c.

Sacra Congregatio Emin. S. R. E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſcoporum, & Regul. præpoſita, attentis narratis, ac audita deſuper relatione Procuratoris Generalis Ordinis hujuſmodi committendum cenſuit, prout præſentis Decreti vigore committit Epiſcopo Sulmonenſi, ut conſtito ſibi, ſervatis ſervandis, de veritate Expoſitorum, licentiam petitam vendendi ſitum Conventûs prædicti, ejuſdem Syndicis pro ſuo arbitrio & prudentia concedat, dummodo tamen prævià edictorum affixione ſeu publicatione oblatio utilior præferatur, & pretium inde redigendum unà cum cœmentis in conſtructionem dicti novi Conventûs integrè & fideliter, & non in alium uſum convertatur.

Romæ 23. Auguſti 1658.

M. Card. Ginnettus.

Epiſcopus Camerin. Secret.

Ex Regeſto Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 15.

NO-

NOTA.

UT ſpirituali Fratrum commodo, fabricâ Eccleſiæ nimium protractâ conſuleretur, interina Domeſticæ Capellæ erectio ſequenti Decreto fuit conceſſa.

Sacra Congregatio Eminent. &c. attentis narratis, P. Procuratoris Generalis precibus benignè annuit, ut petitur, ita tamen, ut Capella hujuſmodi in loco decenti, alicui Officinæ, ubi viliora ſervitia exercentur, non contiguo, aut ſubjecto, & à Fratrum Cellulis diſtincto, cum Altari Lapideo, Cruce, unà cum imagine S. D. N. Jeſu Chriſti iu ea affixa, & omnibus aliis ad Miſſæ celebrationem neceſſariis conſtituatur, & completâ fabricâ exterioris Eccleſiæ, Capella ipſa inde removeatur. Romæ die 14. *Jan.* 1661.

Ex Reg. ejuſdem Congreg. & anni prædicti fol. 6.

Cum fabrica Conventûs duobus terræ petiis, quorum unum ad Monaſterium S. Claræ, & alterum ad Monaſterum S. Antonii ſpectabat, & pro quorum primo pecuniaria ſolutio, & pro alio aliud terræ petium offerebatur, indigeret, S. Congregatio venditioni & permutationi hujuſmodi conſuluit, ut ſequitur.

Sacra Congregatio &c. attentis narratis, ac audita relatione Epiſcopi Sulmonenſis, petitam licentiam benignè conceſſit pro arbitrio & prudentia ejuſdem Epiſcopi, conſtito ſibi, ſervatis ſervandis, de expoſitis, ac de utilitate prædictorum Monaſteriorum, dummodo tamen pretium, ut exponitur, Monaſterio Sanctæ Claræ præviâ Peritorum æſtimatione ſolvendum, in aliis ſtabilibus fructiferis unico actu reinveſtiatur: petium verò terræ titulo permutationis Monaſterio Sancti Antonii tradendum, ſit ſaltem æqualis valoris & redditus, petio terræ recipiendo, & nulli obligationi hypothecæ vinculo, ſeu cuivis oneri ſubjaceat, ita ut ſecuritati & indemnitati dicti Monaſterii plenè conſulatur. Romæ 24. *April.* 1665.

Ex Reg. anni prædicti fol. 67.

Subortâ lite, qua RR. PP. Minimi Fratribus noſtris præcedentiam in Proceſſionibus denegabant, S. Congregatio horum jus ſuo Oraculo ſuffulſit, ſequentem per libellum ſupplicem implorato.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Cum Guardianus Capucinorum loci Sulmonæ Monitorium ab Illuſtriſſimo Domino Auditore Cameræ relaxatum, & 21. *April.* 1671. *præſentatum obtinuerit, vigore cujus ſtatuitur, ut Fratres Minimi Sancti Franciſci de Paula in poſſeſſione præcedentiæ in Proceſſionibus, quam ob concordiam cum Epiſcopis anteceſſoribus ab immemoriali factam ſibi competere allegârunt, manuteneantur. Cum autem concordia hujuſmodi à veritate penitus aberret, ex eo, quod Conventus Capucinorum* 50. *annis ante PP. Minimorum Monaſterium fuerit conſtructus, & Oratores toties, quoties facta eſt Proceſſio, in poſſeſſione præcedentiæ permanſerint. Imo PP. Minimi, quando aliquoties Proceſſioni intervenientes præcedentiam prætenderunt, ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo, vel in ejus abſentia, ab aliis Superioribus, notoriam juſtitiæ cauſam agnoſcentibus, cedere & diſcedere juſſi ſunt. Citavit anno elapſo Illuſtriſſimus D. Epiſcopus præfatos Patres ad jura ſua producenda, quatenus Decretum in favorem juſtitiæ interponi poſſet; at Tribunal Illuſtriſſimi ceu de merito cauſæ optimè informati declinarunt, ſumpto ad Auditorem Cameræ recurſu, cumque rei factum modo à Veritate alieno expoſuerint, ſupradictum evicerunt Monitorium. Interim Oratores ad gratiam & Juſtitiam EE. Veſtrarum recurrunt, rogantes, ut veritas rei recognoſcatur, & Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus informare, ac pro veritate & juſtitia cum celeri cauſæ expeditione ſententiam ferre jubeatur. Quod &c.*

Sacra Congregatio &c. audito P. Procuratore Generali Minimorum, referente Eminentiſſimo Cybo, cenſuit; præcedentiam deberi Fratribus Capucinis. Romæ 19. *Junii* 1671.

Fr. Cardinalis Brancatius.

Carolus de Vecchis Archiepiſcopus Athen.

Ex regeſto Procuræ Generalis Ordinis ad annum præd. fol. 199.

EPISTOLA.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Viſitatio SS. Sacramenti &c. in Eccleſia Conventûs Montorii ab Epiſcopo facta reprobatur.

Emi ac Rmi Domini.

PRocurator Generalis Capucinorum S. Congregationi exponit, qualiter Illuſtriſſimus Pinnenſis, die S. Joanni Baptiſtæ Sacro, ad Eccleſiam Capucinorum Oppidi Montorii, ſub prætextu dicendi ibi Miſſam privatam ſe contulerit; cumque poſt conſecrationem clavem ad viſitandum Sanctiſſimum poſtulâſſet, fuerit hæc à P. Guardiano denegata, dictumque, quod locus ille à Prædeceſſoribus nunquam fuerit viſitatus, nec ille hujuſmodi Auctoritate polleat, ideoque ipſum de clave denegata vellet habere excuſatum. Quo non obſtante, cum Epiſcopus finitâ Miſsâ de novo hanc repeteret, nec tamen ei conſignaretur, duo Canonici cum cultro, porticellæ Tabernaculi vim intulerunt, ſeram de impactis clavis ſolverunt, & aperuerunt. Ad quod Illmus Pontificalibus indutus, juxta relata Fratribus, qui ad evitandum omne præjudicium, & rumorem inde diſceſſerant, viſitavit, nonnullos articulos ſcribi juſſit, Fratribus tamen non intimatos, Sacramentum Confirmationis 5. vel 6. pueris præſentibus adminiſtravit, primam Tonſuram dedit &c. Quod privilegiis Ordinis adverſatur, & Epiſcopus, â Prædeceſſoribus ſuis unquam viſitatum eſſe, cum veritate probare nequit. Quod cum Illuſtriſſimus ipſe haud ſubſiſtere noſcat, id tamen ex duplici ratione à ſe factum eſſe allegat, primo ex eo, quod Capucini pro fabrica eorum Eccleſiæ diſtraxerint materialia cujuſdam Eccleſiæ, juriſdictioni ſuæ ſubjectæ, cum tamen de tali prætenſione adſint ſententiæ jam ab anno 1576. contra ipſum emanatæ.

Hoc cum fors & ipſi notum ſit, pro ſecundo motivo adducit, quod ibidem Fratres maturi juxta diſpoſitionem & novum Sanctiſſimi Decretum de Familia non morentur, cum tamen junior inter 5. Sacerdotes ibi degentes 40. ætatis annos numeret.

Hinc Procurator præfatus EE. VV. humillimè ſupplicat, quatenus exemptiones Ordinis manutenere, & ordinare dignentur, ut Illuſtriſſimus ab actibus talium functionum abſtineat. Quam gratiam &c.

Ad quod Sacra Congregatio 20. *Novembris* 1654. *Libellum ſupplicem parti communicari, & ab Epiſcopo Proceſſum de prætenſo jure viſitandi ad Urbem ablegari decrevit.*

Cum autem Illmus diſpoſitioni S. Congregationis morem gerere tardaret, per novas & ſequentes litteras ad jura ſua producenda fuit monitus.

A tergo: *Illuſtri, ac Adm. Rev. Domino uti Fratri Epiſcopo Pinnarum.*

Illuſtris & Reverende Domine, uti Frater. Proſequentibus adhuc Capucinis Montorii ſuas inſtantias pro declaratione, quod Amplit. Tuæ jus viſitandi Sanctiſſimum in eorum Eccleſia non competat, Eminentiſſimi Patres à me Eidem ſcribi juſſerunt, ut probationes convincentes ſuæ prætenſionis S. Congregationi tranſmittat juxta informationem jam anno elapſo datam. Quod &c. Romæ 25. *Junii* 1655.

Amplit. Tuæ.

Uti Frater

M. Card. Ginnettus.

NOTA.

SIluit & ad haſce litteras Curia Epiſcopalis, ita, ut Ordo novo recurſu ſibi provideri inſtiterit libello ſupplici ſequente.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Pinnenſis juxta exemplum duorum ſuorum Anteceſſorum prætendit viſitare Eccleſiam FF. Capucin. Montorii, Provinciæ Aprutinæ. Anteceſſoribus æquè, ac moderno Epiſcopo Sacræ Congregationis litteræ, quibus informare & jura ſua producere monebantur, fuerunt quidem exhibitæ, illas tamen exequi renuerunt; cumque modernus Epiſcopus præfatam Viſitationem noviter attentet, EE. Veſtris Procurator Generalis humillimè ſupplicat, quatenus eum ad hujuſmodi attentati ſuſpenſionem, uſque dum jura ſua produxerit, dehortari dignentur. Quam &c.

Juſſus ad hæc fuit Epiſcopus noviter per litteras ſub. 17. Novembr. 1662. ſignatas, ut jura ſua producat; & interim à prætenſa viſitatione abſtineat. Jura tandem Epiſcopus produxit; at, cum Sacra Congregatio ea caduca agnoſceret, eidem viſitatio prætenſa fuit interdicta litteris tenoris, qui ſequitur.

A tergo:

A tergo : *Perilluſtri, & Adm. R. Domino uti Fratri D. Epiſcopo Pinnen.*

Perilluſtris & A. R. Domine uti Frater. Relatâ & examinatâ in Sacra Congregatione Amplit. Tuæ prætenſione viſitandi Eccleſiam FF. Capucinorum Montorii illius Diœc. cum rationibus ab Eadem deductis, EE. Patres eidem ſcribi juſſerunt, ut deinceps â dicta viſitatione abſtineat. Quod dum ſignifico &c. Romæ 12. Decembr. 1664. Amplit. Tuæ.

Uti Frater.
M. Cardinalis Ginnettus.

Ex Reg. Secret. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 254. *& ex Reg. Procuræ Ord. fol.* 162. *&* 186.

DECRETO

S. Congreg. ſuper Statu Regular.

Domum S. Joſephi extra muros Civitatis Aquilæ ſuppreſſam ad primævum ſtatum reduci, Epiſcopo Loci committitur.

BEATISSIME PATER.

IN Generali Conventuum parvorum ſuppreſſione, tempore Innocentii gl. mem. facta comprehendebatur & ille PP. Capucinorum ſub invocatione S. Joſephi Provinciæ & Civitatis Aquilanæ in Aprutio. Cumque fatus locus ſituatus eſſet in medio multorum pagorum, à dicta Civitate, aliiſque Locis, in quibus S. Miſſæ dici ſolent, diſtantium, evenit, quod Agricolæ in diebus feſtivis commodum audiendi Miſſam non habentes, illam ſæpiùs negligant; ex eo etenim, quod memoratus locus Menſæ Epiſcopali ſit incorporatus, & redditus non habeat officiaturæ & commodis Eccleſiæ applicandos, in diebus feſtis S. Miſſa ibi non amplius celebratur. Caſu autem dictus locus Capucinis, prout flagitant, reſtitueretur, opus planè ſaluti animarum illius populi proficuum præſtaretur, eritque gratia, pro qua & ipſa Civitas ſequenti ſupplicat Memoriali:

BEATISSIME PATER.

FIdeliſſima Civitas Aquilana in Aprutio, & pro ea Camerarius & Electi Magiſtratûs ſupplices, & debitâ reverentiâ exponunt, qualiter prædicta Civitas habet duos Conventús PP. Capucinis aſſignatos, unum intra & alium extra Civitatem. Elapſis annis hic per ſiniſtras informationes à Perſonis parùm timoratis datas, juſſu Sanctitatis Veſtræ fuit ſuppreſſus: cùm autem experientia monſtraverit, præfatam ſuppreſſionem non ſolùm Patribus præfatis, ſed & ipſi Civitati præjudicare; iis quidem ob incommoda, quæ itinerantes patiuntur; huic autem, cum dictus S. Joſephi locus, à tempore ſuppreſſionis fuerit redactus ad ſtatum deſtructionis, omnique jam devotione careat, dum econtra tempore, quo dicti Patres ibi morabantur, fuerit locus maximæ devotionis, & ſummæ conſolationis Civitati Oratrici, hujus Cives unitim ad Sanctitatis Veſtræ Pedes proſtrati ſupplicant, quatenus hunc locum reviviſcere faciat, injungatque Generali, Provinciali, aliiſque dictorum Capucinorum Miniſtris, ut illum à ſuis Fratribus inhabitari, & officia priùs jam conſueta in eo ab illis peragi curent. Quam gratiam &c.

Cum pendulo Civitatis Sigillo.

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium perpenſa narratorum veritate, atque attento Epiſcopi Aquilani conſenſu, præſentis Decreti vigore committit eidem Epiſcopo, ut, poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti Conventûs S. Joſephi Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum omnibus numeris abſolutam, debitaque ſupellectili tam ſacra, quàm prophana pro uſu & habitatione octo ſaltem Religioſorum inſtructam eſſe, eundem Conventum auctoritate ipſius S. Congregationis ad primævum Statum Regularem reducat, & eidem Ordini reſtituat, ita tamen, ut in ipſo Conventu aſſiduè degant de familia octo Religioſi, quorum ad minus quinque ſint Sacerdotes, alioquin præſens gratia nulla ſit eoipſo, & Conventus maneat ſuppreſſus, & applicatus, ut prius. Et nihilominus, donec ex piorum eleemoſynis ſuſtentare poſſit & actu ſuſtentet duodecim Religioſos, Decretumque deſuper opportunum ab eadem S. Congregatione obtineat, ſubjectus remaneat Viſitationi & Juriſdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, ad præſcriptum Decreti fel. recordat. Innocentii X. quod incipit ut in parvis *&c. Datum Romæ die* 11. *Januarii* 1674.

C. Card. Carpineus Præf.

NOTA

N O T A.

ILluſtriſſimus D. Epiſcopus Aquilanus Decreti hujus promptam executionem commiſit ſuo D. Vicario Generali, ut conſtat ex ſequenti actu.

Carolus de Angelis, S. Th. Doct. & Mag. Colleg. Neap. Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Aquilanus Reg. Conſil. & ad infraſcripta à Sacra Congregatione ſuper Statu Regularium Delegatus Apoſtolicus ſpecialiter deputatus.

IN DEI NOMINE. Univerſis & Singulis præſentes inſpecturis &c. indubiam fidem facio; atque teſtor ego Notarius, & Actuarius infraſcriptus, qualiter die Martis tertia feſtivitate Paſchalis Pentecoſtes decima quinta Maii milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto Indictione duodecima, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Papæ X. anno ejus V. &c. in mei, & Teſtium infraſcriptorum præſentia ad hæc &c. Illuſtris, ac Reverendiſſimus Dominus, D. Fulgentius Tomaſſettus V. I. D. Prothonotarius Apoſtolicus, & Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Aquilani & Delegati Apoſtolici Vicarius Generalis & ſubdelegatus requiſitus pro executione ſupra inſerti Decreti Sacræ Congregationis ſuper Statu Regularium, emanati pro reductione ad primævum ſtatum regularem, & reſtitutione prædicti Conventûs cum Eccleſia S. Joſephi extra Civitatem Aquilæ Religioni ac Ordini Patrum Minorum Capucinorum S. Franciſci, & retroſcriptæ Proviſionis ab ipſo Domino Vicario Generali ſubdelegaio deſuper factæ. Volens igitur verè, realiter, & actualiter ad unguem omnia debitæ executioni demandare, ideo perſonaliter ſe contulit ad dictam Eccleſiam & Conventum prædictum cum clavibus Januarum jam clauſarum exiſtentium, ubi perſonaliter quoque ſupervenerunt A. R. P. F. Onuphrius de Luculi Religionis prædictæ, deſtinatus in primum futurum Guardianum ſupradicti Conventûs, & alii Patres ejuſdem Religionis, honorificè & charitativè ad id aſſociati ab Illuſtriſſimis Dominis D. Camerario & Electis Magiſtratus Civitatis prædictæ & à magno ejuſdem confluente populo ad infraſcripta omnia, etiam interreſſentibus &c. lectâ per me alta & intelligibili voce ſupradicta proviſione cum præinſerto Decretò Sacræ Congregationis eidem P. Guardiano humiliter gennflexo in Signum veræ, realis, actualis, & corporalis reductionis ac reſttutionis hujuſmodi, ſpontè & liberè dedit & conſignavit Claves Conventûs & Eccleſiœ prædictæ, cujus Januâ cum clave apertâ ab ipſo P. Onuphrio Guardiano, ut ſupra, electo, Conventum eidem aſſignavit & in alia Religionis prædictæ immiſit in eadem Eccleſia, in qua ipſis ingreſſis cum præfato Domino Vicario Generali ſubdelegato, & prædictis D D. de Magiſtratu, ac etiam ſupradicto fideli populo confluente, fuit intonatus hymnus Te Deum laudamus *ab ipſo P. Onuphrio Guardiano, ut ſupra, electo, illeque intus chorum ſucceſſivè decantatus: quo completo fuerunt ab eodem Domino Vicario Generali prope Altare majus Eccleſiæ prædictæ aſſiſtente cum Stola, Cappa, & Bireto fuſæ preces, & Orationes recitatæ, pro gratiarum actione ad formam deſcriptam in Rituali Romano, cum Oratione Titularis Eccleſiæ ſupradicti glorioſiſſimi Patriarchæ S. Joſephi, Sponſi genitricis D. N. J. Chriſti, Virginis Mariæ, & deinde prope ipſum Altare A. R. P. F. Cherubinus de Oſena Concionator prædicti Ordinis & Guardianus ad præſens Ven. Conventûs S. Michaëlis Archangeli, ſiti intus Civitatem prædictam, habuit ſermonem ſuper redditione gratiarum tam divinarum, ſpiritualium, quàm temporalium in hujuſmodi Coaventus & Eccleſiæ S. Joſephi reductione, & reſtitutione ſpecialiter impertitarum, ad majorem Dei, & prædicti Patriarchæ S. Joſephi gloriam & honorem, ſalutemque animarum &c. eiſdem Patre Guardiano & Fratribus in ipſo Ven. Conventu S. Joſephi pro nunc aſſignatis, illum pro eorum Religione auctoritate in hac parte conceſſa à præfata Sacra Congregatione reſtituit cum prædictis, & aliis actis & eorum ingreſſu in eodem Conventu S. Joſephi, quem quidem Conventum proin reduxit in primævum ejus ſtatum Regularem, & Clauſtralem ſervatâ formâ ſupradicti Decreti Sacræ Congregationis non ſolum &c. ſed omni &c. Unde &c. præſentibus &c.*

Philippus Meloſius de Aquila Apoſtolica auctoritate publicus Notarius in Archivo Romanæ Curiæ deſcriptus, & Epiſcopalis Curiæ Aquilanæ ordinarius Actuariu de prædictis rogatus, in fidem omnium ſingulorum præmiſſorum præſentem feci, hîc me ſubſcripſi, & meo ſolito ſigno ſignavi requiſitus.

Autograph. tam Decreti S. Congreg. quàm actûs executionis in Arch. Provinciæ, de quibus exemplar. Auth. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Aptutina.

Durior poſtmodum fuit comperta conditio, qua quinque Sacerdotum incolatum Decretum Apoſtolicum præſcripſit, inde P. Provincialis pro nova gratia ſequentem libellum S. Congregationi præſentavit.

Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini.

Provincialis Capucinorum Provinciæ Aprutinæ EE. Veſtris humillimè ſupplicat, quatenus concedere dignentur, ut in Conventu S. Joſephi Civitatis Aquilæ ejuſdem Provinciæ loco quinque Sacerdotum, quos ibi morari debere Decretum S. Congregationis anno elapſo, & tompore reſtituti Conventûs præſcripſerat, deinceps tres Sacerdotes & duo Clerici choriſtæ duntaxat ibi degant. Quod &c.

Ad quem Sacra Congregatio reſcripſit.

Sacra Congregatio ſuper Statu Regularium petitioni Provincialis Oratoris benignè annuit arbitrio Miniſtri Generalis Ordinis. Datum Romæ die 7. Februarii 1675.

C. Cardinalis Carpineus.

Huic

Huic Reſcripto fuit & adjunctum arbitrium P. Generalis, ut ſequitur.

Attentis & maturè diſcuſſis expoſitis Nobis à R. P. Provinciale Capucin. Provinciæ Aprutinæ de - et ſuper ab ipſo petitis à Sacra Congregatione ſuper ſtatu Regularium, & attento ejuſdem Sacræ Congregationis benigno aſſenſu, petitioni præfati RR. Provincialis utpote rationabiliſſimæ annuimus, & his præſentibus conceſſa confirmamus, & approbamus. Datum Romæ &c. 6. *Mart.* 1675.

Fr. Stephanus Miniſter Generalis.

Exemplar. auth. in loco & Armario prædicto.

Cupido auri, quod nonnulli in latebris huius Conventûs abſconditum credebant & quærebant, Fratribus varias cauſavit moleſtias, à quibus ut liberarentur, ſcriptum fuit à Sacra Congregatione Epiſcop., ut ſequitur:

Perilluſtris & A. R. Domine uti Frater. Percipitur PP. Capucinos ibidem adhuc & à diverſis, qui ſub prætextu quærendi theſauros, contra ipſorum voluntatem, clauſuram Conventûs ingredi tentant, moleſtari, hinc Sanctiſſimus ad præcavenda hujuſmodi inconvenientia præcipit, ut Amplit. Tua in locis publicis, & ſolitis, ac ſpeciatim ad portas Eccleſiæ & Conventûs præfati Edictum prohibitorium in Scriptis affigat, ne deinceps ullus, cujuſvis ſit ſtatûs & conditionis die vel noctu Conventum Fratrum prædictorum, nec ſub motivo theſauros quærendi, nec ex alia quacunque cauſa contra eorum voluntatem ſub pœna Excommunicationis Majoris, & Pontificiæ, Sanctiſſimo reſervatæ, & ipſo facto incurrendæ ingredi præſumat. Ita facere & exequi Amplit. Tuæ ſtudebit, Noſque de effectu reddet certiores &c. Romæ 17. *Januarii* 1600.

Ex Regeſto Secret. S. Congreg. Epiſcop. & Reg. anni præd. fol. 4.

Domum in Terra Cermigliani ab Euſtachio Sterlich Toparca &c. erigi, & Fratribus conſignari, Epiſcopo loci committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Pinnenſi.*

CLEMENS PAPA X.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX injuncto Nobis Divinitus Apoſtolicæ Servitutis munere, ad ea, per quæ Conventus, & alia Regularia loca ad Divini cultûs & Religionis incrementum, animarumque Salutem erigi, & inſtitui valeant, libenter intendimus, & in idipſum tendentia Chriſtifidelium vota paterna charitate exaudimus, ſavoribuſque & gratiis proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis fecit dilectus filius Euſtachius Sterlich Toparca Terræ Cermignani Pinnenſis Diœceſis, quod, cum in eadem Terra, illiuſque vicinia nullus Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Conventus reperiatur, & propter difficultatem trajiciendi flumen Vomanum illic vicinum hyberno tempore, Fratres dicti Ordinis illac tranſeuntes, aliquando ſex, vel octo numero, in dicta Terra per octo, vel decem dies morari cogantur, nec trajectum fluminis hujuſmodi evitare poſſint, tametſi itinerum diverticula quærant: ipſe Euſtachius pro peculiari ſuo erga Ordinem prædictum devotionis affectu, Conventum Fratrum ejuſdem Ordinis ſua impenſa in Terra prædicta ædificare, ac annua viginti quinque ſcuta monetæ ad annos centum, & amplius pro neceſſitatibus Sacriſtiæ ipſius Conventûs, nempe pro cera, paramentis, & aliis neceſſariis parandis aſſignare plurimum deſiderat. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur piis ejuſdem Euſtachii votis in præmiſſis, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, illumque &c. & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum conſilio, & attenta relatione tua eiſdem Cardinalibus facta, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, & poſtquam Tibi conſtiterit, fabricam dicti novi Conventûs cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Clauſtris, Dormitorio, Refectorio, & aliis officinis, Hortis, & ſpatiis eſ. numeris omnibus abſolutam, ac ſuppellectili tam ſacra, quàm profana pro uſu, & habitatione ſaltem duodecim Religioſorum dicti Ordinis inſtructam; quodque Civium pietas, & ad eleemoſynarum largitionem propenſio

ſio ad alendos prænarratos duodecim Religioſos ſufficere poſſint, ad petitam erectionem novi Conventûs in Terra ſupradicta pro duodecim Fratribus Ordinis hujuſmodi, authoritate Noſtra Apoſtolica, pro tuo arbitrio, & conſcientia procedas: ita tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per Conſtitutiones Apoſtolicas fel. rec. Clementis VIII., Greg. XV., Urbani VIII., & Innocentii X. Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum circa hujuſmodi novam Domorum Regularium erectiones editas præſcripta ſunt, religiosè ſerventur, ac ſalvâ ſemper in præmiſſis authoritate Congregationis, ejuſque Cardinalium. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, aliiſque quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cçteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Maii MDCLXXIV. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

I. G. Sluſius.

Ex Archivo Secretariæ Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 91.

N O T A.

Meritum Fundatoris, & Familiæ fuit à S. Congregatione tale judicatum, ut & Domûs Familiaribus ſepulturam in noſtra Eccleſia conceſſerit, ut ſequitur:

Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini.

Renaldus Sterlick Baro Cermignani Diœc. Pinnen. EE.VV. humiliter exponit, quod ejus Familia ex devotione erga S. Franciſcum anno 1669. in dicta Terra Conventum PP. Capucinorum è fundamentis erexerit, & erga hoſce Religioſos actus charitatis ſemper continuaverit, & adhuc co ntinuet; ex quo & eundem erga illos affectum conceperunt Sacerdos D. Antonius Romanelli, & Vexillifer Franc. Antonius de Angelis, Oratoris & Domûs ſuæ Familiares. Hinc poſt mortem in Eccleſia dicti Conventûs ſepeliri deſiderant, etiam ad effectum, ut ex frequentatione Eccleſiæ augeatur in iis memoria ſuffragiorum, poſt mortem applicandorum: cupienſque Orator, ut dicti Romanelli & de Angelis eadem conſolatione potiantur, EE.VV. humillimè pro opportuna licentia ſupplicat. Quam &c.

Sacra Congregatio Emin. & Rev. S.R.E. Cardinalium negot. & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, audito P. Procuratore Generali Ordinis eidem benignè commiſit, ut veris exiſtentibus narratis petitam facultatem pro ſuo arbitrio & conſcientia Oratoribus impertiatur, ita tamen, ut hujuſmodi ſepultura abſque ullo ornatu, & appoſitione inſignium conſtruatur, & per hæredes ad evitandas lites conveniatur prius cum Parocho ſuper juribus funerum. Romæ die 7. Decembris 1703.

G. Cardinalis Carpineus.

Ex Regeſto Secret. S. Congreg. menſ. & anni prædict.

D E C R E T O

S. Congreg. Concilii.

Unam ex tribus manſionibus Eccleſiæ Conventus Loci Aveani, vulgò *Avezzano* adjacentibus pro hoſpitandis Sæcularibus accomodari conceditur.

Emi ac Rmi Domini.

Fr. Joſephus à Caniſtro Guardianus Capucinorum Aveani Diœc. Marſorum in Aprutio EE.VV. humillimus Orator reverenter exponit, qualiter fabrica Eccleſiæ dicti loci antiquilus cum tribus navibus incepta, imperfecta manſiſſe credatur, cum ſolùm navis in medio fuerit relicta; quæ ex una parte, ceu non neceſſaria, fuit dejecta, ex altera parte muro antrorſum clauſa, & tres manſiones jam per plures annos pro conſervando ligno ſervientes, inibi conſtructæ, ſupra quas Dormitorium confectum eſt. Cumque in dictis tribus manſionibus nullum Capellæ veſtigium appareat, ex eo, quod nec picturæ, nec fornix, nec incruſtatura &c. videantur, & unam de hiſce manſionibus in habitationem pro Sæcularibus ad Conventum noctu divertentibus converti neceſſe ſit, EE.VV. ſupplicat, ut vel dubium, an Orator id facere queat, ſolvere, aut eum, quatenus opus ſit, opportuna

id

id faciendi facultate munire dignentur, cum habitatione hujuſmodi Conventus ſummopere indigeat. Quam &c.

Die 26. Martii 1689. Sac. Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, attentâ relatione Epiſcopi Marſicani petitam facultatem redigendi unam ex dictis manſionibus ad uſum hoſpitandi Perſonas Sæculares pro arbitrio & conſcientia ejuſdem Epiſcopi benignè Oratori impertita eſt.

F. Card. Columna Præf.

A. Altovitus Secret.

Ex Lib. 39. Secret. Congr. præd. fol. 124.

NOTA.

OPortuit jam anno 1651. Fratres noſtros conqueri contra RR. Patres Tertii Ordinis, Hoſpitium in hoc eodem loco erigentes, fuitque contra eos ſcriptum Epiſcopo Marſicano, ut ſequitur.

Factus eſt ad S. Congregationem recurſus ex parte Capucinorum Conventûs Terræ Aveani iſtius Diœc. conquerentium, à Patribus Tertii Ordinis cum illorum præjudicio, & ſine neceſſario eorum conſenſu novum Hoſpitium inibi fuiſſe erectum; inde Eminentiſſimi Domini mei Amplit. Tuæ à me ſcribi juſſerunt, quod, ſi expoſitum ſubſiſtat, Eadem quidem ex ſe id in plurium Conſtitutionum Pontificiarum deſuper emanatarum executionem impedire debuiſſet; jam ſaltem & illico dictum Hoſpitium claudi curet, obligando Patres Tertii Ordinis ad regreſſum ad eorum Conventum, & inſtantias unius, & alterius partis ad S. Congregationem remittendo. Ita exequatur ſignificando, quæ in hujuſmodi prætenſione occurrent, Romæ 16. Junii 1651.

Retardatâ executione, fuêre ſacra juſſa repetita, Epiſtolâ ſubnexâ.

Noviter PP. Capucini Terræ Aveani illius Diœc. expoſuerunt, quod non obſtante ordine Amplit. Tuæ à S. Congregatione dato circa novi Hoſpitii erectionem, quam Patres Tertii Ordinis inibi inducere tentârant, fabricam jam inceptam proſequentes, non permittendam, nihilominus hæc ſub prætextu continuetur, quod non ſit novi Hoſpitii conſtructio, ſed veteris reſtauratio. Inde, quantumvis Emin. DD. mei executionem Ordinis à ſe Amplit. Tuæ datum negligi non credant, nihilominus à me repeti mandârunt, ut hiſce receptis illico à prædicta fabrica abſtineri curet, & Emin. Dominis plenam, diſtinctamque relationem tranſmittat. Romæ 1. Septemb. 1651.

Utriuſque epiſtolæ autograph. in Secret. S. Congreg. Epiſc. & Regul. Regeſto menſ. & ann. prædict.

Dudum prius fuit & Fratribus hujus loci indultum componere cum hæredibus Marci Antonii Dominientis circa Legatum pium ab illo relictum, uti ex ſubjuncta patet Epiſtola:

Sacra Congregatio indulget, ut pro fabrica & reparatione Conventûs FF. Capucinorum S. Franciſci Terræ Aveani Diœc. Marſicanæ ipſi Fratres, ſeu eorum Syndici, vel Fabricerii poſſint pro una vice componere cum hæredibus quondam Marci Antonii Dominientis ejuſdem loci ſuper Legato ab eo facto, ut ex fructibus annuis centum ſcutorum ipſi hæredes tenerentur emere oleum pro lampade Eccleſiæ eorumdem Fratrum, poſſintque facere eiſdem hæredibus plenam, liberam, ac perpetuam quietantiam dicti Legati, ita, quod deinceps ſub eo prætextu non amplius poſſint moleſtari nec in Judicio, nec extra. Hoc quoque conceditur, etiamſi Fratres eſſent incapaces legati. Et ita executioni dari, & obſervari mandat. Romæ 3. Februarii 1604.

Ex Regeſto Secret. dictæ S. Cong. menſ. & anni præd. fol. 11.

Similis facultas fuit & conceſſa Fratribus loci Scurculæ circa Legatum, & annuum fructum 50. ſcutorum, à quondam Leonardo Antonio Roſcioli pro oleo Lampadis Eccleſiæ ibi pariter relictum, prout in ejuſdem anni Regeſto menſ. Aug. fol. 39. regiſtratum reperitur.

PROVINCIA CALARITANA
IN SARDINIA.

PRovinciis Italiæ meritò adjungitur utraque Provincia Sardiniæ, cum Regnum hoc, à Sardo, Herculis Filio juxta Strabonem & Solinum ita appellatum, unam ex Maris Mediterranei Inſulis, Italiæ adjacentibus conſtituat, & tum à Summis Pontificibus, tum à Topographis juxta Rotam Deciſ. 251. n. 8. part. 7. & Deciſ. 101. num. 4. part. 16. Inſula Italiæ reputetur, ac ideo illius cauſæ in Almæ Urbis Curia, ad formam negotiorum Italiæ expediri conſueſcant.

Inducta eſt in Regnum noſtra Reformatio anno Virginei partûs milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, quo P. Zephyrinus Bergomas Commiſſarius Generalis, duodecim Sociis ſtipatus juſſu Pontificio Civitatem Calaritanam acceſſit, ubi Charitas RR. PP. Conventualium, erga Nos ſemper benevola, per integrum annum illos in illorum Monaſterio tenuit, dum interim fabrica illius Domûs complebatur, & alibi aliæ inchoabantur. Longiore tempore omnes totius Regni Conventus unam eandemque conſtituêre Provinciam, donec inſtante Carolo Hiſpaniarum Rege anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quinto in duas Provincias, Calaritanam videlicet, & Turritanam fuit diſſecta.

De prima dum alia in gloriam addere nequeo, id nec Fratrum oſcitantiæ, nec temporum injuriæ, ſed econtra locorum diſtantiæ, quæ per integrum triennium litterarum curſum reddidit infelicem, imputare debeo.

Numerat Conventus Fratrum XI.
Monaſteria Monialium II.

EPISTOLA.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Executionem Decretorum, à Viſitatoribus Apoſtolicis emanatorum, Superioribus Ordinis ſeu Provinciæ relinqui, Archiepiſc. Calaritano committitur.

RRecurſu ad Sanctiſſimum facto, PP. Capucini ſupplicârunt, ut Mandatum ab Amplitudine Tua circa executionem nonnullorum Decretorum, elapſis annis à Viſitatoribus Apoſtolicis ad illam Inſulam à Clemente VIII. miſſis emanatorum revocaretur, pariterque inſtiterunt, ut deinceps hujuſmodi Mandata ad tollenda diſſidia, quæ, ubi locorum Ordinarii, ſeu alii Judices extra Religionem ſe ingerunt, neceſſariò ſequuntur, ab eorum Superioribus executioni dari permitteretur. Cumque petitio hæc Sanctitati ſuæ viſa fuerit rationi conſona, Amplit. Tuæ à me ſcribi juſſit, ut præceptum & ordinem deſuper factum revocet, & onus hujuſmodi Superioribus Religionis deinceps relinquat, quin, alia diſpoſitione Curiæ Romanæ non ſupraveniente, ulterius ſe immiſceat. Et ita exequatur, non obſtante, quod de præterito alias habuerit commiſſiones. Romæ 28. Jan. 1606.

Ex Regeſto Secret. Cong. anni & menſ. præd. fol. 12.

Fr. Michaëlem à Panormo, qui ad Provinciam Viſitator fuerat miſſus, & poſt obitum P. Miniſtri Provincialis eandem ceu Viſitator permanens gubernaverat, Miniſtrum Provincialem, Generale Capitulum acceſſuſurum conſtituit.

A tergo. *Dilecto Filio Michaeli à Panormo Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupat. profeſſori.*

CLEMENS PAPA X.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

RReligionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia virtutum, & probitatis merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut Tibi reddamur ad gratias liberales. Cum itaque, ſicut ex relatione Dilecti Filii Procuratoris, & Vicarii Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum accepimus, aliàs quondam Fortunatus à Cadoro, dum vixit, Miniſter Generalis dicti Ordinis, propter quædam negocia in Provincia Sardiniæ ejuſdem Ordinis enata, Te illuc viſitatorem miſerit; Tuque ſecuto obitu quondam Hyacinthi à Mediolano, qui in Miniſtrum Provincialem dictæ Provinciæ electus fuerat, eandem Provinciam tanquam Viſitator permanens uſque in præſentem diem rectè, & laudabiliter gubernaveris; nunc verò novus Miniſter Provinciæ hujuſmodi, qui ad Capitulum Generale Ordinis præfati accedat, ſit eligendus. Nos juſtis ex cauſis Nobis notis eidem Provinciæ, de idoneo Miniſtro Provinciali, qui illam adjuvante Domino ſalubriter dirigat, hac vice providere volentes, ac de ſpectata tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, integritate, doctrina, & Religionis zelo plurimùm in Domino confiſi, Teque à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine Te memoratæ Provinciæ Sardiniæ Miniſtrum Provincialem ad tempus, quo ejuſmodi Provincialatûs officium juxta Regularia dicti Ordinis inſtituta durare conſuevit, cum facultate Capitulum Provinciale ipſius Provinciæ convocandi, omneſque alias functiones, quæ juxta Conſtitutiones ejuſdem Ordinis, Apoſtolica auctoritate confirmatas, ad Miniſtrum Provincialem ſpectant, obeundi, & peragendi, ac cum aliis omnibus, & ſingulis facultatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, auctoritate, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, tenore præſentium creamus, facimus, ac conſtituimus, & deputamus. Mandantes propterea in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, aliiſque arbitrii noſtri pœnis, omnibus, & ſingulis præfatæ Provinciæ Sardiniæ Superioribus, Fratribus & Perſonis, cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, ut Te ad demandatum Tibi per præſentes Provincialatûs officium ejuſque liberum exercitium, omni mora & tergiverſatione poſtpoſitis, recipiant, & admittant, Teque recognoſcant, & Tibi in omnibus officium hujuſmodi concernentibus reſpectivè pareant, & obediant, faveantque, & aſſiſtant. Ac decernentes ipſas præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus,

nibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIX. Auguſti MDCLXXI. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Ex Archivo Vaticano Secreto Miſcellan. Diverſ. Brevium fol. 268. Arm. 43.

Conſtitutionem de abrogatione Diſcretorum ad Provinciam extendit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

ALiàs pro parte chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis expoſito, quod tam Prædicatorum, & Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quàm aliorum diverſorum Ordinum Fratres, in Regnis utriuſque Caſtellæ exiſtentes, ſua Capitula Provincialia cum interventu Superiorum Localium Conventuum Ordinum hujuſmodi abſque Diſcretis, ſeu Sociis, qui olim ab ipſis Conventibus ad effectum ſua ſuffragia ferendi in eiſdem Capitulis, eligi conſueverant, tunc celebrare ſolebant; id ſiquidem, præterquam quod Decretis Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. ibi -- Nec impoſterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcumque Titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere &c. magis conforme videbatur, neceſſarium quoque compertum fuerat, tum ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex eorumdem Diſcretorum, ſeu Sociorum electione in Religioſæ pacis, & concordiæ, quæ in Ordinibus præfatis ſemper florere debet, præjudicium proveniebant, tum ad impediendas relaxationes, quas dependentia, quam tunc Superiores à ſuis ſubditis habebant, producebat: Ipſi enim Superiores, ut dictos ſuos ſubditos pro iis in Diſcretos, ſeu Socios hujuſmodi eligendis, quos, ad effectum ſe in perpetuo ſuarum Provinciarum gubernio confovendi, eligi neceſſe erat, benevolos haberent, regularis diſciplinæ conſervationi, prout eorum officii erat, incumbere negligebant. Quocirca, quoties dictorum Regnorum Religioſi, Regularis Diſciplinæ hujuſmodi tuendæ zelo ducti, ad ipſius Caroli Regis Patrocinium pro eorundem Diſcretorum, ſeu Sociorum abrogatione ab hac S. Sede impetranda confugerant, illud ſemper eis adfuerat, donec hujuſmodi gratiam conſecuti fuiſſent. Et in eadem expoſitione ſubjuncto, quod dictus Carolus Rex certior factus fuerat, Fratres Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum in Regnis præfatis exiſtentes non modò eadem incommoda, & damna, quæ olim Religioſi aliorum Ordinum præfatorum ex electione Diſcretorum, ſeu Sociorum hujuſmodi experti fuerant, pati, ſed & alia multa concurrere, propter quæ Fratres prædicti uſum eligendi Diſcretos, ſeu Socios præfatos in Provinciis dictorum Regnorum abrogari plurimum deſiderabant, adeoque ipſius Caroli Regis zelum ſollicitabant, ut Apoſtolicæ deſuper auctoritatis Noſtræ partes interponi ſimiliter curaret:

Nos ſupplicationibus ejuſdem Caroli Regis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Diſcretos præfatos in Provinciis utriuſque Caſtellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, authoritate Apoſtolica ſuſtulimus, & removimus, & alias, prout in noſtris in ſimili forma Brevis die 29. Martii 1693. deſuper expeditis litteris pleniùs continetur. Subinde verò pro parte ejuſdem Caroli Regis Nobis iterum expoſito, quod in præfatis Noſtris litteris trium Provinciarum Regnorum utriuſq; Caſtellæ veteris & novæ nuncupatæ, nec non Bethicæ, & Navarræ Provinciarum diſtincta, & expreſſa mentio facta non fuerat, quin imò nec in eiſdem litteris proviſum fuerat, quod loco ſupradictorum Diſcretorum Conventualium, ſicut præmittitur, ſublatorum, & remotorum pro tempore exiſtentes earumdem Provinciarum Diffinitores, & Cuſtodes, nec non is ſaltem, qui noviſſimè in illis Provincialatûs officio reſpectivè functus fuerat, in earum Definitoriis, & Capitulis Provincialibus votum, ſeu ſuffragium reſpectivè habere deberent, quemadmodum ipſe Carolus Rex pro peculiari ſuo in Ordinem præfatum devotionis

tionis affectu, commune ipſarum Provinciarum bonum promovendi ſtudio ductus Nobis ſupplicari fecerat; ac proinde opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, nec non præterea, quod in Provinciis prædictis Capitula Provincialia de ſeſquianno in ſeſquiannum celebrari deberent, quemadmodum fel. rec. Clemens PP. X. Prædeceſſor Noſter pro omnibus ejuſdem Ordinis Provinciis per quaſdam ſuas itidem in forma Brevis anno MDCLXXVI. deſuper expeditas litteras præſcripſiſſe dicebatur, decerni, & ordinari plurimum deſiderabat. Nos porrectis Nobis hac in re pro ejuſdem Caroli Regis parte precibus benignè annuentes, eadem authoritate declaravimus remotionem, & abolitionem Diſcretorum Conventualium in Provinciis utriuſque Caſtellæ Fratrum dicti Ordinis Capucinorum factas, ut præfertur, expeditaſque deſuper litteras noſtras prædictas intelligendas eſſe non ſolùm reſpectu Provinciæ utriuſque Caſtellæ veteris ſcilicet, & novæ, verùm etiam reſpectu Provinciarum Bethicæ, vulgò Andaluciæ, nec non Navarræ, &, quatenus opus eſſet, remotionem, abolitionem, ac noſtras litteras hujuſmodi ad ſupradictas Provincias Bethicam, & Navarræ dicta authoritate extendimus & ampliavimus. Præterea eadem authoritate decrevimus, quod vice, & loco prædictorum Diſcretorum in tribus Provinciis hujuſmodi, ſicut præmittitur, ſublatorum, & abolitorum Definitores, atque Cuſtodes, & immediatus ex-Provincialis earumdem Provinciarum in ipſarum reſpectivè Definitoriis, & Capitulis votum haberent, dictarumque Provinciarum Capitula de ſeſquianno in ſeſquiannum deinceps celebrari deberent, & alias, prout in aliis noſtris in eadem forma Brevis die 12. Septembris proximè præteriti deſuper emanatis litteris, quarum, & primò dictarum noſtrarum litterarum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberius continetur.

Cum autem, ſicut dictus Carolus Rex Nobis nuper denuò exponi fecit, ipſe binas litteras noſtras præfatas ad Provincias Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, *Sardiniæ*, & Majoricæ dicti Ordinis FF. Capucinorum per nos extendi plurimũ deſideret. Nos piis ejuſdem Caroli Regis votis, hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, ſupplicationibus ejuſdem Caroli Regis nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Congregationis nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus à Nobis particulariter deputatæ conſilio, binas noſtras litteras ſupradictas, omniaque in illis diſpoſita quoad Provincias Fratrum Capucinorum utriuſque Caſtellæ veteris ſcilicet, & novæ, nec non Bethicam, & Navarræ, ad Provincias eorumdem Fratrum Capucinorum Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, *Sardiniæ*, & Majoricæ, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, extendimus pariter, & ampliamus, decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Provinciarnm & Ordinis hujuſmodi, aliiſve quibuslibet, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, nec non omnibus & ſingulis illis, quæ in præfatis noſtris litteris conceſſimus non obſtare, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die v. Aprilis MDCXCIV. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

I. F. Card. Albanus.

Provinciam, Sardiniæ aliàs nuncupatam, in duas videlicet Calaritanam & Turritanam dividi, concedit.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRO parte chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis nuper exponi fecit dilectus Filius nobilis Vir modernus Dux de Medina Cœli, ejuſdem Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Orator, quod, cum in Regno Sardiniæ, cujus ipſe Carolus etiam Rex exiſtit, una duntaxat Provincia Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum

rum reperiatur, eaque viginti duobus Conventibus, in quibus quadringenti, vel circiter Religioſi dicti Ordinis degunt, conſtet, ac pro illius viſitatione quotannis juxta eorum Conſtitutiones facienda pluſquam quadringentarum leucarum iter pedibus conficiendum ſit, Miniſtri Provinciales Provinciæ hujuſmodi plerumque in tam longa peregrinatione decedere, aut inutiles per reliquum vitæ illorum tempus remanere ſolent. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in Capitulo Generali ejuſdem Ordinis noviſſimè celebrato, pro hujuſmodi incommodo tollendo, ſeu remedio illi rei adhibendo, decretum fuerit, ut memorata Provincia in duas dividatur, Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut opportunam ad id facultatem concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur piis ejuſdem Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, De Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularum Præpoſitorum, qui dilectos Filios Procuratorem & Definitores Generales prædicti Ordinis audiverunt, conſilio, & attento, quod pro hoc ipſo inſtant etiam dilecti filii Miniſter Provincialis, & Cuſtodes Provinciæ ſupradictæ, petitam facultatem dividendi eamdem Provinciam, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & impartimur, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non præfatorum Ordinis, & Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VI. Auguſti MDCXCV. Pontificatus noſtri Anno quinto.

I. F. Card. Albanus.

Breve format. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Calaritana.

N O T A

Laborem non faceſſit diviſionis actus, cui utraque pars conſenſit, fortior fuit diviſionis conditio, utrinque circa ſigillum, præcedentiam & confinia prætenſa: ad Capitulum Generale remiſſa, fuit in hoc compoſita per ſequens:

D E C R E T U M

Super compoſitione Provinciarum Calaritanæ, & Turritanæ.

IN NOMINE DOMINI Amen. Nos Joan. Petrus à Buſto FF. Minorum Capucinorum Miniſter Generalis &c.

Cum ex diviſione noſtræ Provinciæ Capucinorum Sardiniæ in duas, videlicet in Calaritanam, & Turritanam ortum habuerint duo dubia, non facile diſſolvenda; aliud circa Sigillum & Præcedentiam, alterum circa diviſionem confinium, quæ quidem dubia R. P. Joan. Carolus à Mediolano Commiſſarius, & Viſitator Generalis ad effectum præfatæ Diviſionis deſtinatus remiſit ſolvenda ad præſens novum Capitulum Generale anno præſenti 1698. *die* 16. *Maii celebratum, in quo variè diſcuſſis rationibus ab utraque parte allegatis, cum adhuc difficultates apparerent maximæ, non facilè ſolvendæ, judicavimus, & ratum duximus Partes componi fraternâ charitate debere. Itaque convenientibus Partibus utriuſque Provinciæ, & ad præcavendas lites, pacemque mutuam perpetuò ſtabiliendam, & compoſitionem deſiderantibus, cum in noſtrum arbitrium ſuam voluntatem & conſenſum refuderint, in modum ſequentem componi decernimus, prout componimus, videlicet.*

Circa Sigillum, quod unaquæque Provincia apponat inſcriptionem propriam ſuæ Provinciæ, in hunc modum Sigillum Capucinorum Provinciæ Turritanæ: Sigillum Capucinorum Provinciæ Calaritanæ. *Cum autem Sigillum antiquum Provinciæ Sardiniæ impreſſam habeat Imaginem S. Gavini Patroni Turritani, illud aſſignandum duximus Provinciæ Turritanæ, prout & aſſignamus.*

Circa

Circa præcedentiam verò unuſquiſque Provincialis utriuſque Provinciæ utatur jure ſuo ſecundùm morem & conſuetudinem Religionis: in tabulis autem Capitulorum Generalium habeat primum locum Provincia Calaritana, reſpectu Provinciæ Turritanæ, & hæc ſecundum obtineat.

Circa confinia autem ea in modum ſequentem dividimus & ſtabilimus: Provinciæ Turritanæ adſcribuntur loca de Gallus, ſcilicet Tempier, Colonianus, Luris, Bortigiada, Nugnes, Baronia de Po ada, ſcilicet, Siniþolæ, Torpe, Pojada, Lodè: Baronia de Croſei, ſcilicet: Sula, Galtelli, Dorgali, Oroſei, Onifai, Locoli, Irgoli, Torpei, Encontiata de Barbana de Ecolai, ſcilicet: Founi, Mamoyada, Orzaci, Lodini, Gavois, Ocolay, Ovodda, Villa de Sedilo, Loa de Bonaccado, Senegui & Nacbulia. Provinciæ autem Calaritanæ aſſignantur Loca incontratæ de Parteocier, loca de Canois, ſcilicet Gudaſun, Boſſonedun, Turi, Soddi. Norguiddo, Domos novas, Loca de Parte Barigadu Ardauly, Neundi, Ula, Sarradili, Nuedu, Bidoni; Villa autem Pauli Latini pro lana & lino adſcribitur Provinciæ Turritanæ; reliqua verò loca utriuſque Provinciæ remaneant in ſuo eſſe reſpectu utriuſque Provinciæ, &, ut impoſterum nulla ſit altercatio in utraque Provincia, præcipimus omnibus Fratribus utriuſque Provinciæ, ut perſiſtant in obſervantia hujus noſtri Decreti, ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæ; ſic decernimus, mandamus & ordinamus. Datum Romæ die 11. Junii 1698.

Fr. Joan. Petrus Miniſter Generalis cum Definitorio Generali.

Decreta, quibus S. Congregatio Epiſc. & Regul. Fratribus Regni Sardiniæ Facultatem Tertii Ordinis Habitum Sæcularibus utriuſque ſexus diſpenſandi competere nominatim declaravit, confirmat.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

EManârunt nuper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, ad favorem dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Regni Sardiniæ tria Decreta tenoris, qui ſequitur, videlicet -- In cauſa vertente inter Patres Minores Capucinos Regni Sardiniæ ex una, & Patres Minores de Obſervantia ejuſdem Regni, ſeu &c. partibus ex altera, de, & ſuper infraſcripto dubio -- nempe, An Patribus Capucinis Regni Sardiniæ liceat diſpenſare, ſeu diſtribuere Habitum, ſeu ſcapulare parvum cum cingulo S. Franciſci Sæcularibus utriuſque ſexus in propriis Domibus, & ſub juriſdictione Ordinarii viventibus, qui denominantur Tertiarij, ſeu tertii Ordinis, eoſque dirigere in ſpiritualibus juxta Regulas dicti Tertii Ordinis in propriis Eccleſiis in caſu? &c. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, partibus ipſis auditis, referente Eminentiſſimo Gabriellio, cenſuit, ac declaravit, competere PP. Capucinis facultatem conferendi ſcapulare, ſeu Habitum parvum cum cingulo Sancti Franciſci. Romæ 16. Novembris 1703. Et die 29. Febr. 1704. denuò auditis Religionibus Patrum Minorum de Obſervantia, & PP. Minorum Capucinorum S. Franciſci, referente eodem Emo Gabriellio, Eminentiſſimi Patres cenſuerunt, perſiſtendum eſſe in deciſis ſub prædicta die 16. Novembris 1703. Romæ &c. Die verò 6. Martii ejuſdem anni 1704. tertia vice propoſita Cauſa per eumdem Emum Gabriellium ad preces Procuratoris Generalis Commiſſarii Curiæ Minorum de Obſervantia, & Procuratoris Generalis Strictioris Obſervantiæ S. Franciſci, eadem Sac. Congr. cenſuit, ac decrevit, extradendum ſupradictum Decret. Romæ &c. G. Cardinalis Carpineus. Locus ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut pro parte dilecti Filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis Nobis ſubinde expoſitum fuit, ipſe Decreta hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri plurimùm deſideret. Nos ipſum modernum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decreta præinſerta Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, approbamus & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium: decernentes eaſdem præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſimè ſuffragari; Sicque in præmiſ-

ſis

ſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtan. Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenùs opus ſit, Ordinum hujuſmodi, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſsis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſsis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxix. Martii MDCCIV. Pontificatus noſtri Anno quarto.

F. Oliverius.

Breve formatum in Archivo Gen. Ordinis Armario Bullæ Pontificiæ.

Decretum, quo Sac. Congregatio Epiſc. & Regul. electionem Diſcretorum pro duobus Capitulis Provincialibus reſtituit, Apoſtolica confirmatione communit.

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

NUper pro parte Dilectorum Filiorum Bernardini à S. Angelo in Vado Vicarii Generalis, ac Petri Mariæ à Luca in Romana Curia Procuratoris & Commiſſarii Generalis, & Fr. Franciſci à Caſtro S. Petri Definitoris Generalis, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negot. & conſult. Epiſcoporum & Regularium præpoſitæ, expoſito, quod aliàs, poſtquam fel. rec. Innocentius PP. XII. Prædeceſſor noſter, per quaſdam ſuas litteras, deſuper in ſimili forma Brevis expeditas ad ſupplicationem cla: mem: Caroli II. dum vixit, Hiſpaniarum Regis Catholici, & tunc exiſtentium Fratrum Provinciarum utriuſque Caſtellæ, dicti Ordinis, ad tollenda damna, & incommoda, quæ ex electione Diſcretorum, qui à Conventibus ad effectum ſua ſuffragia in Capitulis Provincialibus ferendi eligi conſueverant, in religioſæ pacis, & concordiæ, ac Regularis Diſciplinæ præjudicium patiebantur, uſum eligendi Diſcretos prædictos in iiſdem utriuſque Caſtellæ, necnon Bethicæ ſive Andaluciæ, & Navarræ Provinciis ſuſtulerat, ac removerat; Deinde per alias ſuas pariter in ſimili forma Brevis expeditas litteras abrogationem, & abolitionem Diſcretorum hujuſmodi ad Provincias Aragoniæ, & Valentiæ, Cathalauniæ, Majoricæ, & Sardiniæ tunc indiviſæ ſub certis modo & forma tunc expreſſis, Auctoritate Apoſtolica, extenderat & ampliaverat, & aliàs, prout in binis ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris litteris, primis quidem die XII. Septemb. MDCXCIII. & die V. Aprilis MDCXCIV. reſpectivè expeditis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Ac poſtmodum piæ mem. Clemens PP. XI. pariter Prædeceſſor Noſter piis chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi earumdem Hiſpaniarum Regis Catholici votis annuens, prædictam Diſcretorum electionem in Provincia Flandro-Belgica dicti Ordinis ad impediendas relaxationes & evitanda præjudicia, quæ in Regularem Obſervantiam ex illorum electionibus irrepere ſolebant, ſuſtulerat etiam, & removerat per quaſdam ſuas itidem litteras in forma Brevis die XXVIII. Aug. MDCCII. quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus. Abeo autem tempore, experientia docente, quod non ſolùm damna, & incommoda ejuſmodi Diſcretorum electione ſublata non fuerant, ſed majora in gravius religioſæ pacis, & concordiæ, ac Regul. Obſer. præjudicium, etiam cum ſcandalo, & ſæcularium admiratione in eadem Provincia emerſerant, ac actu emergebant, Fratres prædictæ Provinciæ Flandro-Belgicæ pluries nedum Superioribus Generalibus Ordinis prædicti, ſed etiam tunc exiſtenti illius apud Sedem Apoſtolicam Protectori, necnon eidem Clementi Prædeceſſori, præſertim in Comitiis Generalibus Ordinis prædicti die XIII. Maii MDCCXII. celebratis pro eorumdem Diſcretorum electione, ac reſtitutione ſupplicaverant. Idem Clemens Prædeceſſor dilecto Filio Michaëli Angelo à Raguſia, tunc Miniſtro Generali Ordinis prædicti, auditis prius, ac viſitatis omnibus & ſingulis ejuſdem Provinciæ Flandro-Belgicæ Fratribus, ac re ſeriò, prudenter, & diligenter examinatâ, electionem Diſcretorum hujuſmodi, ſi id Divinæ gloriæ, publicæ tranquillitati, ac Regularis Obſervantiæ incremento in Domino expedire judicaſſet, reſtituendi facultatem dicta Auctoritate conceſſerat, & impertitus fuerat; prout in memorati Clementis Prædeceſſoris Litteris, itidem in ſimili forma

ma

mi Brevis die XIII. Julii MDCCIV. expeditis dicitur contineri. Ipſe verò Michael Angelus in vim facultatis, ſibi per præfatas Clementis Prædeceſſoris litteras conceſſæ, eoſdem Diſcretos reſtituerat, & in eadem expoſitione ſubjunctο, quod Dilectus filius Matthæus à Carallio Frater expreſsè Profeſſus Provinciæ Pedemontanæ Definitor à ſupradicto Bernardino Vicario Generali, Viſitator Generalis deputatus, Sardiniam in duas Capucinorum Provincias uſque ab anno MDCXCV. per alias prædicti Innocentii Prædeceſſoris litteras diviſam, Calaritanam ſcilicet, & Turritanam, & quoad primam, nempe Calaritanam juxta mentem ſupradictæ Congregationis Cardinalium de præſenti viſitabat, in utraque verò Provincia ex abolitione, & abrogatione Diſcretorum hujuſmodi, non ſolum damna, & incommoda minimè ſublata, ſed majora in religioſæ pacis & concordiæ, & Regularis obſervantiæ præjudicium orta fuerant, & oriebantur; Ideoque pro parte Fratrum utriuſque Provinciæ prædictæ eidem Congregationi Cardinalium ſupplicato; conſulto tamen priùs & annuente Venerabili Fratre noſtro Franciſco Epiſcopo Prænestino S.R.E. Cardinale Barberino nuncupato, memorati Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectore, ut prædicto Matthæo actu Provinciam Calaritanam & ſucceſſivè Turritanam viſitaturo auditis prius, & viſitatis omnibus, & ſingulis earumdem Provinciarum Fratribus & re ſeriò, prudenter & diligenter examinatâ, facultatem reſtituendi Diſcretorum electionem hujuſmodi, ſi id Divinæ Gloriæ, publicæ utriuſque Provinciæ tranquillitati, ac Regularis Obſervantiæ incremento in Domino expedire judicaviſſet, concederet: Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris ſequentis, videlicet, *die* X. *Martii* MDCCXXIII. *Sanctiſſimus Dominus noſter facta per me infraſcriptum Secretarium de præmiſſis relatione in ſolita audientia, benignè indulſit, ut enunciatus Pater Viſitator conſideratis rationabilibus motivis, ex ſua Viſitatione reſultantibus, ejus arbitrio in prædictis Provinciis Calaritana, & Turritana Diſcretorum Electionem, ac uſum pro duobus Capitulis Provincialibus proximis tantùm intra triennium convocandis reſtituat.*

Romæ &c. F. Cardinalis Paulutius. V. Archiepiſcopus Damaſcenus Secret. Locus ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut prædicti Bernardinus Vicarius Generalis, Petrus Maria Procurator, & Commiſſarius Generalis, & Joannes Franciſcus à Caſtro S. Petri Definitor Generalis Nobis ſubinde exponi fecerunt, ipſi Decretum hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri plurimum deſiderent, Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis excommunicationis, &c. cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus: Decernentes præſentes litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Provinciarum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, Privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus: cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die V. Maii MDCCXXIII. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

F. Card. Oliverius.

Exemplar in Arch. Gen. Ordinis Armario Provincia Calaritana.

Eandem electionem Diſcretalem ad quatuor alia Capitula Provincialia extendit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius modernus Procurator Generalis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, quòd aliàs, nempe die X. Martii

tii MDCCXXIII. emanavit à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita Decretum, à fel. rec. Innocentio Papa XIII. Prædeceſſore Noſtro per quaſdam ſuas literas deſuper in ſimili forma Brevis die v. Maii ejuſdem anni expeditas toto illius tenore inſerto confirmatum, quo indultum fuerat, ut dilectus pariter Filius Matthæus à Carallio Frater expreſsè profeſſus, & Provinciæ Pedemontanæ Definitor, ejuſdem Ordinis, à ſuo Superiore Generali, Calaritanæ, & Turritanæ Provinciarum tunc Viſitator Generalis deputatus, conſideratis rationabilibus motivis ex ſua Viſitatione reſultantibus, ejus arbitrio in ejuſmodi Provinciis Calaritana, & Turritana Diſcretorum electionem, & uſum pro duobus Capitulis Provincialibus tunc proximis tantùm intra triennium convocandis reſtitueret, & aliàs, prout in ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberius aſſeritur contineri. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Matthæus vigore facultatis ſibi ſic attributæ litteras prædictas executioni demandaverit, ipſe verò Procurator Generalis exiſtimet Diſcretorum hujuſmodi electionem & nunc reſtitui poſſe, cupiatq; propterea opportunè in præmiſſis à Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri.

Nos prædictum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio, ſupradictis Provinciis Calaritanæ & Turritanæ electionem Diſcretorum prædictorum pro quatuor Capitulis dumtaxat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium reſtituimus; ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Provinciæ & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXXI. Julii MDCCXXIV. Pontificatus noſtri Anno primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Exempl. Auth. loco & Armario prædicto.

N O T A.

JActavit haud parum Provincias Sardiniæ FF. Diſcretorum uſus, & an illorum abrogatio bono Provinciarum magis conducat, an illorum concurſus? diutius incertum manſit. Probârunt utrumque, eos excluſère, & reaſſumpſère. Impræſentiarum iis excluſis Capitula celebrant, ex PP. Definitoribus, Guardianis actualibus, & illo P. ex Provinciale duntaxat, qui ultimò munus Miniſtri Provincialis exercuit, conſtituta, & in dulcedine pacis negotia tractant, muniaque diſpenſant &c.

DE-

DECRETO

Sac. Congreg. Epiſc. & Regul.

Erectio novæ Domûs in Oppido Tortolii Archiepiſcopo Calaritano committitur.

SAcra Congregatio Emin. ac Reverendiſſimorum S.R.E. Cardinalium negotiis & conſult. Epiſc. & Regul. præpoſita, referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Zondadari Ponente, attentâ relatione Archiepiſcopi Calaritani, ac Partibus contradicentibus auditis, cenſuit committendum, prout præſentis decreti tenore benignè committit eidem Archiepiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis, &, poſtquàm ſibi conſtiterit, Fabricam præfati Conventûs cum Eccleſia, Campanili, choro, ſacriſtia, refectorio, dormitorio, hortis, & ſpatiis, numeris omnibus eſſe abſolutam, & ſupellectili tam ſacra, quàm prophana ſufficientèr inſtructam, ac ex eleemoſynis piorum Benefactorum inibi duodecim Religioſos commodè ſuſtentari poſſe, ad petitam erectionem, & Religioſorum introductionem, pro ſuo arbitrio & conſcientia procedat; Ità tamen, ut in reliquis ea omnia, quæ per ſacros Canones, S. Conc. Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujuſmodi novorum Conventuum Regularium erectiones præſcripta ſunt, religiosè ſerventur. Romæ 23. Jan. 1733.

Fr. Card. Barberinus Præf.

Ex Regeſto Secret. Congregation. menſ. & anni præd.

PROVINCIA TURRITANA.

EA, quæ anteriùs de Provinciæ Calaritanæ origine prælibata ſunt, Provinciæ Turritanæ communia, Lector, tene, cum ambæ Provinciæ ex ſucceſſiva & mixta Conventum conſtructione coaluerint in unam, & uſque ad dictum milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum quintum annum jucundo Fraternitatis vinculo fultæ habitaverint in unum.

De prima dum pauca memorare licuit, ſorte datum eſt de Turritana ſpeciatim ſcire, quod tum à Miſſionibus, quas hæc Provincia exercet frequentiùs, tum ex Evangelico labore, quo animarum Saluti ſtudet, Eccleſia Dei recipiat fructus laude dignos: Tertius Ordo, Fratrum curâ ad regulæ ſuæ apicem ductus, mirè hîc floreat & exhibeat Filiationem S. Patris numeroſiſſimam: De Fratribus noſtris, inter quos plures de nobili parentela, & ex Familiis, de Amat-Cambella-Manca, Arca, Capella, Falca, Navarra &c. fuêre, alios S. Inquiſitionis Officium Qualificatores ſelegerit, alios Curiæ Epiſcopales Examinatores Synodales aſſumpſerint: Virtutem autem, quæ exacta Regularis vitæ ratione munita ſemper in Provincia micuit, inſigni decore noviſſimè ſignavit Fr. Paulus à Culari, Laicus, in quem à tempore, quo ſe noſtræ Religioni ſacravit, ſpiritus Domini inſiluit in virtute, & vitam activam & contemplativam in Eo ita univit, ut, dum ex converſatione ſua inter homines adeptus eſt gloriam, mentis exceſſu, qui ſæpius ſuper eum irruit, cœli delicias guſtaverit. Et ſicut de illo in vita virtus, quâ ſanavit, & mira patravit, exivit, & poſt mortem de ſicco illius Cadavere egreſſus eſt Sanguis, ita illum populi opinio Sacri honoris dignum ſemper cenſuit, & Curia Epiſcopalis Boſſanenſis tam vitæ, quam mortis mirabilia cenſorio examine propterea jam diſcuſſit.

Comprehendit Conventus Fratrum XIII.
Monaſteria Monialium II.

Ampullam Sanguinis S. Gavini Martyris, ſeu ejus partem ex Eccleſia Fratrum loci Nulvi extrahi ſub cenſuris prohibet.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CONſervationi & manutentioni Sanguinis S. Gavini Martyris, qui in quadam Ampulla in Eccleſia Domûs Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Terræ, ſeu loci Nului Ampurien. Diœceſis, prout ipſi Nobis exponi fecerunt, aſſervatur, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, ſupplicationibus Dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Domûs hujuſmodi, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Ne de cætero quiſquam quavis auctoritate fungens ampullam, ſeu phialam, aut Sanguinem hujuſmodi, vel illius aliquam partem, quovis prætextu, aut quæſito colore, cauſa, ratione, aut occaſione, è dicta Eccleſia extrahere, aut aſportare, ſeu aliis Eccleſiis, & locis piis commodare, vel, ut extrahatur, aut aſportetur, permittere audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis & privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes incurrendis, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium interdicimus & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon Domûs, & Ordinis præfatorum etiam &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictæ Eccleſiæ, aut aliquo alio perſpicuo loco, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVIII. Junii MDCXXV. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Vaticano Secreto Regeſto Brevium Urb. VIII. 59. fol. 133.

Decretum S. Congregationis Rituum, quo præcedentia in Proceſſionibus in dicto loco Nulvi RR. PP. Obſervantibus contra Fratres noſtros adjudicata eſt, confirmat.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum emanavit Decretum tenoris, qui ſequitur, videlicet. Factâ relatione per Eminentiſſimum D. Cardinalem Sabellum Ponentem Ampurien. præcedentiæ in Sacra Rituum Congregatione de controverſia ſuper præcedentia in proceſsionibus, vertente inter Fratres Minores Obſervantes ex una, & Capucinos parte ex altera, habentes ambos Conventum in Oppido de Nului in Sardinia Ampurien. Diœceſis, & eadem Sacra Congregatio auditis hinc inde partibus in voce, & in ſcriptis pluries informantibus, & præcipuè pro parte Minorum Obſervantium declaravit, præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Obſervantibus, ex quo Obſervantes ſunt priores in ordine qualitatis, & approbationis Apoſtolicæ, & Capucini, licet priores in fundatione per quatuor annos in eodem loco, ſunt tamen Filiales ex eadem Religione Obſervantium, & longè poſteriores in approbatione Apoſtolica, quo caſu non intrat Bulla Gregoriana de Anterioritate Conventûs in eodem loco. Et ita decrevit, & ſervari mandavit. Die 26. Novembris 1678. V. Cardinalis Carpineus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Caſalius Sacræ Rituum Congtegationis Secretarius.

Cum autem, ſicut dilectus Filius Joſepus de Copons, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, Nobis ſubindè exponi fecit; ipſe Decretum hujuſmodi, quò firmius ſubſiſtat, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſideret. Nos ipſum Joſephum Procuratorem Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum, Auctoritate Apoſtolica, teno-

tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque pſenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarùm Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Januarii MDCLXXIX. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

I. G. Sluſius.

Exempl. Authent. in Archivo Generali Ordinis Armario Provincia Turritana.

N O T A.

Durus viſus eſt Fratribus noſtris hujus Conſtitutionis, & approbati per eam Decreti Sermo, cum ex hypotheſi aut fundamento, quod ſimus *Filiales ex eadem Religione Obſervantium*, feriat totum Ordinem: univerſalitatem enim neceſſariò involvit prætenſa Filiatio, & conſectariò univerſalis quoque infert conſequentiæ præjudicium, noſque privat præcedentia, ubicunque PP. Obſervantes in noſtræ habitationis aut Conventuum locis coexiſtunt. Inde Fratribus, vel ſe non ſufficienter auditos, vel Sacrum Conſeſſum non ſufficienter inſtructum allegantibus, iterum per Emin. ac Rev. Dominum Cardinalem Sabellum Cauſa fuit propoſita. At, cum torrens repagula jam rupiſſet, curſum aquæ turbidæ nemo amplius impedire potuit, hinc & denuò contra Nos, ut ſequitur, fuit deciſum:

Sacra Rituum Congregatio, auditâ utraque parte in voce, & in ſcriptis plenè informante, viſiſque juribus hinc inde deductis, illiſque maturè diſcuſſis cenſuit ſtandum eſſe in deciſis ſub die 26. *Nov.* 1678. *nempe præcedentiam deberi Fratribus Minoribus Obſervantibus, & ita decrevit die* 24. *Februarii* 1680.

Cæſar Cardinalis Fachenettus.

Bernardinus Caſalius Secret.

Veneror eâ, quâ decet, reverentiâ S. Congregationis Oraculum, cum tamen in Curia Romana ſæpius Decreta ob rationes Partium vel minùs ſolidè, vel etiam æquivocè expoſitas, ex integro revocari non rara doceant exempla, neceſſarium mihi viſum eſt, fundamenta, quibus prædictum Decretum nititur, aut caducum, aut ſaltem non ita firmum, ut regulam generalis conſequentiæ firmet, demonſtrare.

Supponimur Nos Capucini in dicto Decreto *Filiales ex eadem Religione Obſervantium*. Digna autem movetur à pluribus quæſtio, & necdum ſine contradictione deciſa, an Nos à PP. Obſervantibus, vel à Patribus Conventualibus immediatè deſcendamus?

Partem litis non Introeo, inhærens tamen Litteræ Conſtitutionum tum Pauli V. incip. *Eccleſiæ Militantis*, tum Urbani VIII. incip. *Salvatoris & Domini* tom. 1. Bull. fol. 57. & 77. videndarum, à neutris Nos procedere prætendo, ex eo enim, quod in Conſtitutione Pauli V. veri S. P. Franciſci Filii, & in illa Urbani VIII. Filii ex nunquam interrupta linea nominemur & ſimus, Patres intermedios, quorum Filiales dicamur, non habemus, & Pater noſter immediatus in Cœlis eſt S. Franciſcus, adeoque in harum Conſtitutionum apice à neutris procedimus, ruitque præcipuum Decreti fundamentum.

Speculativa reflexio hæc ſi minus arrideat, Nos & à PP. Obſervantibus, & à PP. Conventualibus derivare libenter & in obſequium dico; à PP. Obſervantibus, dum primi noſtri Patres zelo arctioris vitæ eos deſeruêre, à PP. Conventualibus verò, dum iidem noſtri Patres ſub eorum obedientia Pontificio juſſu fuerunt collocati; & quidem, ut Boverius tom. 1. Annal. fol. 94. advertit, *ut nova Reformatio non ex Obſervantium ſinu, ſed ex Minorum Conventualium gremio effluxiſſe videatur*. Ex quo nos rectius Filiales Conventualium, & non Obſervantium appellari debere, clarè ſequitur. Quid ergo conducit, & quid operari poteſt contenta in Decreto phraſis *Filiales ex eadem Religione Obſervantium*?

Ne tamen Filialem à PP. Obſervantibus Ortum nauſeare videar, miſſa facio, quæ hucùſque dicta ſunt, & corde & ore honorem hujuſmodi Religioni meæ adſcribo, eandemque Filialem ſeu immediatam PP. Obſervantium Prolem nuncupatam volo, ac ex hoc fonte prioritatem originis iis competere ultrò fateor. Hanc autem nullum jus præcedendi conferre ſuperaddo, poſtquam Conſtitutio Gregorii XIV. quæ incipit: *Expoſcit &c.* pro regula univerſali, à qua, quod Sacra Tribunalia Romæ deflectant, forſan ante & poſt noſtrum Decretum Ampurienſe, aliud exemplum non reperitur, inter Mendicantes eos, qui antiquiores in loco controverſiæ eſſent, præcedere debere ſancivit. Non ergo prioritas Profeſſionis, Habitûs &c. nec prioritas in approbatione Apoſtolica, ſed prioritas in loco videtur regula præcedentiæ. Hinc ipſa & eadem Sac. Rit. Congr. in poſterioribus Cauſis, à PP. Obſervantibus magnificatam ſuam Prioritatem ſeu noſtram Filiationem mancam palpavit, hácque non attentâ variè contra eos decidit, uti patet ex Decretis in Cauſa Porrentina loci Vineolæ ſupra fol. 49. & 50. in Materanenſi loci de Ferrandina fol. 53. & in cauſa Nullius ſeu Barenſis Terræ Putignani fol. 110. videndis &c.

Jam verò, cum ſit regula ab omnibus recepta, & propoſitio textualis, quod in circumſtantiis Decretorum inter ſe contrariorum poſteriora ſemper ſint præferenda, vel quod poſteriora derogent prioribus, uti notat Syl-

Sylver. *in var. opuſc. tit. de Declarat. Card. opuſc.* 2. *n.* 11. *fol.* 223. Rota in Milevitana *Decret.* 2. *Mart.* 1707. §. *fin. cor. Anſaldo cum aliis*, de qualitate baſeos, in qua Decretum Ampurienſe fundatur, facilè concluditur, concluditur inquam, quod Filialitas prætenſa, fuerit & ſit medium gratis allegatum, & paris conſequentiæ inferendæ exemplum æquum non ſit. Inde, ne, qui hujus Apoſtolici Brevis Summarium vidit, abducatur in errorem, hanc Notam legere neceſſe eſt.

Suſcitata fuit & poſtmodum in hoc eodem loco à R. D. Parocho Quartæ funeralis & juris ſepulturæ prætenſio, occaſione, quâ Cadaver Antonii Mariæ Pinnæ in Eccleſia Fratrum fuit humatum: Cauſam decidit & diviſit Sacra Congregatio Concilii, ut ſequitur.

Ampurien. Quartæ Funeralis, & juris ſepeliendi.

Cum Cadaver Antonii Mariæ Pinnæ defuncti in elapſo menſe Decembri delatum fuerit ad gentilitium ſepulchrum ſuum ſitum in Eccleſia PP. Capucinorum Oppidi Nulvi, Parochus prætendit, & Quartam funeralem, & jus ſepulturæ exigere, tam ratione prætenſæ conſuetudinis, juris aſſiſtentia munitæ, quam probat pluribus Teſtibus, inter quos etiam aliqui de facto proprio teſtimonium ferunt, diſertè deponentibus, Parochum exegiſſe omnia jura Parochialia pro tumulatis in Eccleſia S. Theclæ PP. Capucinorum, quàm ratione juriſdictionis prætenſæ in dicta Eccleſia S. Theclæ: & quia ex Libris Parochiæ conſtat, dictam Eccleſiam fuiſſe de juribus ſuæ Parochiæ, & poſtquam ceſſum fuerit commodum illius PP. Capucinis, nihilominus Parochus pro tempore exercuerit in eadem Eccleſia plures actus juriſdictionales, Dominii & juriſdictionis reſervationem demonſtrantes ut ſunt, celebratio Miſſarum cum cantu, recitatio Officiorum Defunctorum, ingreſſus in Eccleſiam erectâ Cruce, de quibus omnibus deponunt ſex Teſtes examinati tantùm ſuper articulis citato Syndico PP. Capucinorum, qui ulterius teſtantur penes Parochum aſſervari clavem Conditorii vitreæ Ampullæ Sanguine S. Gavini Martyris plenæ. Econtra verò PP. Capucini exhibent fides Regularium omnium Ordinum ſuper eo, quod Parochi pro Cadaveribus tumulatis in earum Eccleſiis nihil penitus, nec nomine Quartæ Funeralis, ſeu alterius cujuſvis juris exigere conſueverint, ſeque jure exemptos contendunt à traditione dictæ Quartæ ex ampliſſimis privilegiis eorum Ordini conceſſis à Summis Pontificibus, & Parochum poſſe quidem à ſponte dantibus recipere eleemoſynam pro loco humandi Cadaver, quam jus ſepulturæ vocant, non autem petere, & exigere: ſuper quibus controverſiis juxta infraſcripta dubia Oraculum EE. VV. humillimè Partes exorant.

I. An debeatur Quarta Funeralis in caſu? &c.
II. An debeatur jus ſepulturæ in caſu? &c.
Die 6 Junii 1716. S. Congregatio Concilii ad primum reſpondit negativè, Ad ſecundum affirmativè per quantitate ab Epiſcopo taxanda.

B. Cardinalis Panciaticus Præf.

Ex Regeſto ſeu Libro 66. Secret. S. Congreg. menſ. & anni præd. fol. 263.

Conventus Turritanos in Provinciam erigi indulget.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

PRo parte Chariſſimi Filii Noſtri Caroli Hiſpaniarum Regis Catholici Nobis nuper exponi fecit Dilectus Filius, Nobilis Vir, modernus Dux de Medina Cœli, ejuſdem Caroli Regis apud Nos & Sedem Apoſtolicam Orator, quod, cum in Regno Sardiniæ &c.

Reſiduum cum Diviſionis Decreto vide in anterioribus fol. 221. *&c. ac in eodem Documentorum Calarit anorum complexu nota & ea, quæ Diſcretorum & reſtitutionem & abrogationem in Regno Sardiniæ concernunt &c.*

D E C R E T O

S. Congreg. Indulg.

Peragentibus Viam Crucis à Fratribus noſtris Civitatis Saceris ante Conſtitutionem Clem. XII. in Monte Valverde nuncupato erectam, eædem Indulgentiæ conceduntur, quas lucrantur peragentes erectam à Fratribus, Miniſtro Generali Obſervantium ſubjectis.

TURRITANA.

NUper s. m. Clemens PP. XII. per ſuum Breve incip. *Exponi Nobis* ſub die XVI. Jan. MDCCXXXI. editum, Fratribus Miniſtro Generali Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupatorum ſubjectis privativè, ut ajunt, ad quoslibet alios Sacerdotes, facultatem erigendi in locis inibi expreſſis, pia loca Viæ Crucis, ſeu Calvarii nuncupata cum adeptione Indulgentiarum, adinſtar Stationum Montis Calvarii, conceſſit. Cum verò Fra-

Fratres Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci, Capucini nuncupati, Provinciæ Turritanæ in Sardinia, in pacifica, ſicut exponebant, poſſeſſione, etiam per centenariam completam, reperiantur habendi in ſuis Conventibus ejuſmodi pia loca, quæ Chriſtifideles hucuſque frequentaverint, Indulgentias ejuſmodi loca ritè erecta peragentibus conceſſas acquirere credentes, precibus Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto PP. XIV. humillimè porrectis ſupplicabant.

I. *Declarari, peragentes pia Loca Viæ Crucis uſque de anno* 1616. *erecta apud eoſdem FF. Capucinos Montis* di Valverde *nuncupati extra mœnia Civitatis Saceris in Sardinia eaſdem indulgentias conſequi, quas peragendo ejuſmodi Viam Crucis à Fratribus præfato Miniſtro Generali Minorum de Obſervantia ſubjectis erectam conſequerentur, & quatenus opus ſit, ex integro concedi.*

II. *Et hujuſmodi declaratio ſeu conceſſio extendatur etiam ad cætera ejuſmodi pia loca Viæ Crucis à dictis Fratribus Capucinis ubilibet jam erecta.*

III. *Ut eadem facultas ejuſmodi loca pia Viæ Crucis erigendi cum Indulgentiis jam conceſſis, etiam Fratribus Capucinis communicetur eo modo, quo ad Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia Reformatorum, Receſsûs & de Ambroſiana nuncupat. ſub die* 16. *Januarii currentis anni extenſa fuit.*

Eadem Sanctitas Sua, auditis Ordinario Turritano, & Procuratore Generali præfati Ordinis de Obſervantia, ac referente ſub die 28. Novemb. 1742. Me infraſcripto, Sac. Congregationis Indulgentiis ſacriſque Reliquiis præpoſitæ Secretario benignè reſpondit:

Ad Primum pro conceſſione.

Ad Secundum recurrant in caſu particulari.

Ad Tertium negativè.

L. Card. Picus Præf.

A. M. Erba Proth. Apoſt. Secret.

Ex Reg. Secret. Congr. menſis & anni præd. & habetur exemplar auth. in Arch. Gen. Ord. Armario Provincia Turritana.

N O T A.

Acquieſcere huic Decreto PP. Obſervantes noluerunt, & econtra illud novo recurſu & prætextu ſubvertere conati ſunt, dicentes, quod, etiamſi Via Crucis, erecta à Fratribus noſtris, Pontificio Oraculo fuerit munita, nihilominus exinde indulgentias non habeat annexas, cum Bulla Clementis PP. XII. expreſsè doceat, erectionem à quocumque alio, præter Obſervantes, factam, indulgentiis non gaudere, quod & Decreto Sac. Congregat. Indulgentiarum comprobare nitebantur, edito 25. April. anno 1735.: nam propoſito tunc dubio: *An Indulgentiæ Viam Crucis peragentibus à S. Sede conceſſæ, etiam ad Vias Crucis erectas à non ſubjectis Miniſtro Generali Ordinis S. Franciſci Regularium Obſervantium extenſæ intelligantur? Fuit reſponſum, negativè.*

Impugnârunt & eadem occaſione ac noviter poſſeſſionem legitimam à Nobis adductam, aſſerentes, Indulgentias Viæ Crucis exercitio conceſſas, non priùs, quàm à fel. rec. Benedicto XIII. ad omnes Chriſtifideles, fuiſſe ampliatas, & hanc ampliationem recentem potius, quàm antiquam dicendam eſſe contenderunt. Imò attentâ Conſtitutione Clem. XII. munitâ conſuetis clauſulis *ſublata & Decreto irritante* quamcunque conſuetudinem ita abrogatam inferebant, ut cenſeri debeat, ac ſi nunqnam fuiſſet.

Scriptis & dictis autem uſque ad molem coacervatis, PP. Obſervantes aliud non effecêre, quàm quod Poſſeſſio noſtra fuerit confirmata, & Indulgentiarum communio Viis Crucis à Nobis erectis ſine differentia conceſſa, quemadmodum patet ex emanato deſuper

D E C R E T O

Provinciæ Turritanæ.

Cum à longiſſimo tempore pium, ſanctumque exercitium Viæ Crucis, ut vocant, obirent FF. Minores Capucini nuncupati, Provinciæ Turritanæ, ſuos penes Conventus, cumque promulgatâ ſubinde Conſtitutione s. m. Clementis XII. cujus initium eſt: Exponi Nobis; *quâ facultas erigendi Viam Crucis Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia S. Franciſci, Fratribuſque ab eo dependentibus tribuitur, ipſi Fratres Capucinos in poſſeſſione hujus exercitii deturbare cœperint, ob id potiſſimum, quod erectio ab ipſis facta non eſſet, Procurator Generalis Capucinorum ad removenda jurgia & diſſenſiones cum Chriſtifidelium ſcandalo ſubortas, Sac. Congregationi, Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ, pro manutentione in poſſeſſione erectionis antedicti exercitii, & pro Indulgentiarum conceſſione humillimas preces porrexit.*

Quare eadem Sac. Congregatio audito Procuratore Generali FF. Minorum de Obſervantia, & ſingulis rationum monumentis hinc inde deductis, cæteriſque de jure videndis maturè perpenſis, ac formatis demum his deſuper dubiis, nempe:

I. *An Viæ Crucis erectio à PP. Capucinis in Provincia Turritana ante promulgationem Conſtitutionis s. m. Clementis XII. ſuſtineatur? & quatenus affirmativè.*

II. *An illi ſint concedendæ Indulgentiæ, quibus gaudent Viæ Crucis erectæ à PP. Minoribus Obſervantiæ S. Franciſci?*

Die

Die 9. Februarii 1745. cenſuit reſcribendum eſſe

Ad primum, ſupplicandum Sanctiſſimo pro ſanatione, quatenus opus ſit, dictæ erectionis, & pro Indulgentiarnm conceſſione.
Ad ſecundum, proviſum in primo.

De quibus factâ per Me infraſcriptum Secretarium Sanctiſſimo Domino relatione die 13. ejuſdem menſis, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando, benignè annuit.

C. Card. de Hieronymis Præf.

A. M. Erba Prothon. Apoſtol. Præfect.

Exempl. Authogr. in ſupradicto Armario.

Cum & aliæ Ordinis noſtri Provinciæ vel ſint in ſimili poſſeſſione, vel ſpeciali Viam Crucis cum Indulgentia erigendi gaudeant privilegio, aliâſque potiſſimum de harum Indulgentiarum qualitate vel quantitate notitia non habeatur, conſultum cenſui hîc ſubnectere earum ſummarium, Romæ Superiorum permiſſu, & in Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ anno MDCCXXVII. impreſſum.

Summarium Indulgentiarum Terræ Sanctæ, & Viæ Crucis extractum, ſive ex Bullis Summorum Pontificum, ſive ex vivæ vocis Oraculis authenticis, ſive ex Ordinis Seraphici Monumentis, Annalibus & Chronicis antiquis, ſive ex quamplurimis Authoribus approbatis.

Plurimas Indulgentias Sanctis Locis fuiſſe & eſſe, conceſſas, nullus dubitare valet: dubitanti namque Sanctæ Birgittæ, an, quia Muri aliquorum locorum ſacrorum deſtructi erant, etiam gratiæ, & Indulgentiæ forent abolitæ? Chriſtus Dominus reſpondit: quod, licèt pares illæ, quæ Corpus ſuum, vel ejus benedictæ Matris tetigerunt, eſſent abraſæ, peregrini tamen eandem priorem gratiam, & peccatorum remiſſionem invenirent, *uti habetur Libro quarto Revelationum cap. 114. Item Eidem prima vice, qua intravit in Eccleſiam Sanctiſſimi Sepulchri, idem Chriſtus Dominus apparuit, & dixit:* Quando intrâſtis in Templum meum dedicatum Sanguine meo, ſic mundati eſtis ab omnibus peccatis veſtris, ſicut ſi tunc levati eſſetis de fonte Baptiſmatis, & propter labores, & devotionem veſtram aliquæ animæ conſanguineorum veſtrorum, quæ erant in Purgatorio, hodie liberatæ ſunt, & intraverunt Cœlum gloriæ meæ: nam omnes, qui veniunt ad locum iſtum cum voluntate perfecta ſe emendandi juxta meliorem conſcientiam ſuam, nec volentes reincidere in priora peccata, his omnia peccata priora totaliter dimittuntur, & augetur eis gratia proficiendi. *Sic habetur lib. 7. Revelationum cap. 14. Unde Eugenius IV. cuidam, tunc Guardiano Sacri Montis Sion, eidem ſupplicanti litteras Apoſtolicas pro Indulgentiis Terræ Sanctæ, reſpondit:* Loca illa Sanctiſſima non indigere litteris Noſtris: nam potius eſſet derogatio, quàm autenticatio: *& meritò; illa etenim ſanctiſſima loca, quaſi fontes ſunt omnium gratiarum, & Indulgentiarum, in quibus pretioſiſſimus Sanguis Chriſti Domini effuſus eſt, atque Theſaurus meritorum ejuſdem Jeſu Chriſti repoſitus.*

Ea igitur propter s.m. Pius IV. Bullâ ſub plumbo: Divina diſponente Clementia &c. XVII. *Kalendas Auguſti 1561. Pontificatûs ſui anno tertio expeditâ, omnes Indulgentias, quæ olim erant conceſſæ Eccleſiæ Sacri Montis Sion, ſeu Cœnaculi, ad Eccleſiam S. Salvatoris in Hieruſalem transferre dignatus eſt. Deinde tam præfatas Indulgentias, quàm in quadam tabella antiquiſſima, quæ apud Sanctiſſimum Sepulchrum pendens cuſtodiebatur, deſcriptas, &, ut piè creditur, ad inſtantiam S. Helenæ à S. Silveſtro Papa, uti ipſe Pius aſſerit, ſicut alias quaſcunque conceſſas Sanctiſſimo Sepulchro prædicto, cæteriſque Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, ac piis Locis Terræ Sanctæ, illaque viſitantibus approbavit, & confirmavit, & pro tutiori cautela omnes & ſingulas eiſdem modis, & formis, quibus fuerunt conceſſæ, perpetuò conceſſit, & indulſit, ſuæ intentionis eſſe & fore, declarans, hujuſmodi Indulgentias, ſicut etiam indulta, & Privilegia ſacratis Locis conceſſa, approbata, & confirmata, ſub nullis revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus, tam à Sanctitate Sua, quàm à Romanis Pontificibus Succeſſoribus pro tempore emanatis comprehendi, ſed attentis locorum diſtantiâ, religioneque, ſemper ab illis exceptas fore, & cenſeri &c.*

Præterea Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIII. Conſtitutione, quæ incipit: Loca Sanctæ Paleſtinæ &c. *ultra Bullas Pontificias in ea expreſſas, & citatas, quaslibet alias in Ordinis Minorum de Obſervantia Annalibus, & Monumentis laudatas, ad eos per quoſcunque Romanos Pontifices quomodolibet ſcriptas, quoad Indulgentias, præſertim ſanctis Locis conceſſas, approbare, & confirmare, atque in priſtinum ſtatum renovare perpetuò dignatus eſt. Item aliâ Conſtitutione incipiente:* Inter plurima &c. *eodem die, & anno, quibus ſupra citatis, pium Viæ Crucis exercitium à s. m. Innocentio XI. litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſub die 5. Septembris 1586. incipientis:* Exponi Nobis &c. *nec non à s. mem. Innocentio XII. litteris etiam Apoſtolicis:* Ad ea quæ &c. *die 24. Decembris 1692. & aliis incipientibus:* Sua Nobis &c. *ſub plumbo datis 7. Kalendas Januarii 1695. cæleſtium munerum, & Indulgentiarum largitione approbatum, promotum, & extenſum approbavit & confirmavit, omneſque Indulgentias etiam animabus in Chriſti charitate Defunctorum applicabiles ſanctis Locis, atque eorum Stationibus, intra, & extra Hieruſalem, per Sedem Apoſtolicam conceſſas, etiam per viam communicationis approbavit, & confirmavit, quin & eaſdem ad quoſcunque Chriſtifideles utriuſque ſexûs, Miniſtro Generali Obſervantium nullo modo ſubditos, qui exercitium Viæ Crucis peragent, & adimplebunt, eiſdem modo, & forma, quibus à Fratribus, & Monialibus, atque*

aliis utriuſque ſexûs perſonis, Ordinum, & Congregationum, obedientiæ, ſeu directioni Miniſtri Generalis Fratrum Minorum de Obſervantia ſubditis, Chriſtique Fidelibus, Confratribus, & Conſororibus quarumcunque Confraternitatum, & Societatum, in eorumdem Fratrum, & Monialium Eccleſiis canonicè erectarum, ſive erigendarum peragitur, in perpetuum extendit, & ampliavit. Indulgentiæ igitur, quæ in ſupradicta antiquiſſima Tabella erant deſcriptæ, atque in variis Monumentis Ordinis Minorum, authoribus probatis, Tabelliſque publicis notatæ, atque laudatæ reperiuntur, de quarum propterea legitima validitate nullus dubitare valet, ſunt ſequentes:

Indulgentiæ conceſſæ in Monte Sion.

† In Monaſterio Montis Sion, ubi habitant Fratres Minores, in loco, ubi Chriſtus fecit ultimam Cœnam, eſt Indulgentia plenaria.

† In Capella, quæ dicitur S. Thomæ Apoſtoli, ubi Dominus apparuit, eſt indulgentia plenaria.

† In Capella, ubi deſcendit Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes, eſt indulgentia Plenaria.

† In loco, ubi obiit B. Virgo, eſt Indulgentia Plenaria.

Ubi Sanctus Matthias fuit electus in Apoſtolum, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ indulgentiæ.

Ubi S. Jacobus Minor fuit electus in primum Epiſcopum Hieroſolymitanum, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Capella, ubi S. Joannes Evangeliſta dicebat Miſſam Dominæ Noſtræ, ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

Ubi fuerunt diviſi Sancti Apoſtoli; ut irent ad prædicandum per Univerſum Orbem, ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In loco, ubi fuit translatum Corpus S. Stephani Proto-Martyris, ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Capella, quæ quondam fuit coquina, ubi Agnus Paſchalis Cœnæ Domini fuit aſſatus, ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In introitu Domûs Caiphæ, ubi Ancilla oſtiaria dixit: Et Tu cum Jeſu Galilæo eras, *ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.*

In medio præfatæ domûs Caiphæ, ubi Petrus negavit Chriſtum, ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

Juxta prædictam domum eſt locus, qui dicitur Galli cantus, *& ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.*

In quodam loco, ubi Chriſtus Dominus, in domo Caiphæ ſtetit uſque manè, poſtquam fuit captus in nocte Paſſionis, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

Prope dictam domum eſt locus, ubi Domina Noſtra venit, & ſtetit, poſtquam ſcivit captionem ſui Filii, & ſunt ibi ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

† In domo Annæ, ubi Chriſto fuit data alapa, eſt Indulgentia Plenaria.

Juxta prædictam domum eſt locus, ubi Judæi voluerunt capere Corpus Dominæ Noſtræ, ſunt ſeptem anni; & ſeptem quadragenæ.

† In præfato Monte Sion eſt locus, ubi decollatus fuit S. Jacobus Major, & ibidem eſt indulgentia plenaria.

In Monte Calvario.

† Prope foramen, ubi poſita eſt Crux Chriſti, & ipſe ibi crucifixus, eſt Indulgentia Plenaria.

Ubi Melchiſedech obtulit panem, & vinum, ſunt ſeptem anni & totidem quadragenæ.

Ibidem prope eſt locus, ubi Abraham voluit immolare Iſaac, & ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

† In loco, ubi Dominus de Cruce fuit depoſitus in gremio Dominæ noſtræ, eſt Indulgentia Plenaria.

† In S. Sepulchro, eſt Indulgentia Plenaria, applicabilis etiam pro Animabus Purgatorii.

† In quadam Capella, quæ eſt juxta locum, ubi crucifixus eſt Chriſtus, eſt quædam ſcala, & ibi eſt Indulgentia Plenaria.

† Sub rupe, ubi Dominus crucifixus eſt, habetur quædam Capella, in qua S. Helena reperit Crucem Dominicam, & eſt ibi Indulgentia Plenaria.

In alia Capella, ubi eſt columna, ſuper quam ſedit Chriſtus, cum fuit ſpinis coronatus, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In altera Capella, ubi ſortes miſſæ ſunt ſuper Veſtem Chriſti, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Specu quadam, ubi poſitus eſt Chriſtus interim quod Crucifixores aptabant Crucem, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Horto, ubi Dominus ſtetit, quando poſt Reſurrectionem apparuit Magdalenæ, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

Item in loco, ubi ſtetit Magdalena in horto, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In eodem loco eſt quædam concavitas inſtar feneſtræ, ubi eſt pars Columnæ, ad quam flagellatus fuit Chriſtus, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Altari Capellæ, ubi ſunt duo ſupraſcripta, eſt quædam pars veræ Crucis, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In præfata Capella eſt locus, ubi, quando inventa fuit Sancta Crux, reſuſcitata eſt per impoſitionem illius Mulier defuncta, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Corpore Civitatis ſunt ſequentes.

† In quadam domo, ubi fertur, quod nata eſt B. Virgo Maria, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ; alibi tamen reperitur, quod eſt Indulgentia Plenaria.

In Probatica Piſcina, ubi deſcendebat Angelus & movebat aquam, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

† In domo Palatii, eſt Indulgentia Plenaria.

In via, per quam Chriſtus ductus eſt ad crucifigendum, vocata Amaritudinis, ubi eſt domus Lazari; & Sororum ejus, ac etiam domus Phariſæi, ad quam venit Magdalena, ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In domo illius fœminæ, quæ appellatur Veronica, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

† *In Templo Salomonis, ubi præſentata eſt & nutrita B. V. Maria, eſt Indulgentia Plenaria.*

† *In porta, quæ dicitur Aurea, per quam ingreſſus eſt Chriſtus, Dominicâ in Ramis Palmarum, eſt Indulgentia Plenaria.*

In domo, ubi natus eſt S. Joannes Evangeliſta, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

Ubi Dominus apparuit poſt Reſurrectionem tribus Mariis, dicens eis Avete, *ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.*

In loco, ubi fertur Dominum cecidiſſe ſub Cruce, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

Hucuſque Indulgentiæ, quæ habentur intra Muros Jeruſalem, nunc ſequuntur, quæ ſunt extra.

In Valle Siloe.

In Valle Siloe, eſt Locus Haceldema emptus triginta argenteis, quibus venditus eſt Chriſtus, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Natatoria Siloe, ubi Chriſtus miſit cæcum, ut ſe lavaret, & videret, ſunt ſeptem quadragenæ.

In præfata Valle eſt locus, in quo Iſaias Propheta fuit ſectus Serra linea, & ſunt ibi ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In eadem Valle, eſt Spelunca, in qua Sanctus Petrus poſt negationem ſe incluſit, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Torrente Cedron.

In Horto Gethſemani, ubi in nocte Paſſionis Chriſtus dimiſit octo Apoſtolos, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

† *In eodem Horto, ubi Chriſtus ter oravit, Indulgentia Plenaria.*

In Spelunca, in qua S. Jacobus Alphæi ſe incluſit poſt Paſſionem Chriſti, promittens non comedere, donec videret illum reſuſcitatum, ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

† *In Torrente Cedron, ubi Veſtigia Salvatoris fuerunt impreſſa, Indulgentia Plenaria.*

Prope hujuſmodi torrentem Cedron, eſt locus, ubi fertur, quod natus ſit Zacharias, Pater Joannis Baptiſtæ, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Valle Joſaphat.

† *Eſt Sepulchrum Dominæ Noſtræ, ubi eſt Indulgentia Plenaria.*

Inter præfatum Sepulchrum, & Civitatem Jeruſalem, eſt locus, ubi lapidatus fuit S. Stephanus, & ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In Monte Oliveti.

In deſcenſu Montis Oliveti, ubi videns Jeſus Civitatem flevit ſuper eam, fertur, quod ſint ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In præfato Monte, ubi Dominus docuit Apoſtolos orare, & compoſuit Pater noſter, *ſeptem anni, & totidem quadragenæ.*

Ubi Dominus prædicavit octo beatitudines, ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

In eodem Monte fertur, quod annuntiavit Angelus B. Virgini tranſitum ſuum, deferens ei palmam, ſunt ibi ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

† *In loco, ex quo Chriſtus aſcendit viſibiliter in Cœlum, eſt Indulgentia Plenaria.*

In ſupradicto Monte eſt locus, ubi Apoſtoli poſt Adventum Spiritûs Sancti compoſuerunt Credo in Deum, *ſunt ſeptem anni, & totidem quadragenæ.*

† *Prope locum, ex quo Dominus aſcendit in Cœlum, eſt locus, qui dicebatur* Viri Galilæi, *ubi Chriſtus promiſit apparere, & apparuit Apoſtolis poſt Reſurrectionem, & eſt Indulgentia Plenaria.*

Juxta præfatum locum erat ficulnea, quam maledixit Chriſtus, & ſunt ibi ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In Bethania.

In domo Marthæ Hoſpitis Chriſti, ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In domo Magdalenæ, ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.

In medio dictarum domorum eſt locus, ubi Martha dixit Chriſto, Domine ſi fuiſſes hic &c. *ſunt ſeptem anni, & ſeptem quadragenæ.*

† *In loco, ubi ſepultus eſt Lazarus, & reſuſcitatus à Chriſto, eſt Indulgentia Plenaria.*

In domo Simonis Leproſi, ubi Magdalena unxit Caput Chriſti, ſunt ſeptem anni & ſeptem quadragenæ.

† *Item Indulgentiæ Plenariæ in Loco Nativitatis Chriſti ad Præſepe Pueri Jeſu, ubi à Magis fuit adoratus, & ubi Angelus Paſtoribus apparuit.*

† *Item Indulgentiæ Plenariæ in Domo & Eccleſia Nazaret, in domo, ubi natus eſt Joannes Baptiſta, in Emmaus, in Cana Galilææ, in Jordane & in Monte Thabor.*

Pro Coronis, Roſariis, Crucibus, & aliis Reliquiis Terræ Sanctæ, variæ Indulgentiæ à ſan. memor. Innocentio XI. innovatæ, & confirmatæ.

CUSTODIA
MONFERRATENSIS.

SI Ducatum Monſerratenſem alii cum Antonio Chiuſole ex fertili terræ ſitu, & opulenta rerum varietate Montem-Feracem nuncupant, ego Cuſtodiam Fratrum in eo diffuſam, Coloniam ex fructu laboris Apoſtolici, ab exemplis Virtutis, & ſerie Virorum Illuſtrium feracem, æquus quoque dixero. A tempore, quo Reformatio noſtra ibi floret, miſit ſemper in prædicationem Fratres, quorum aliquos impetus Spiritûs uſque ad partes Africæ, Ruſſiæ &c. compulit, aliorum autem zelus in Regionibus Subalpinis Depoſitum fidei ſervavit. Exempla vitæ religioſæ ea ſemper fuêre, ut Ducum ſibi conciliaverit amorem, & populi poſſederit affectum.

Inter Viros Illuſtres unum reticeo, & unum nomino: reticeo P. Bernardinum Aſtenſem, ex pervetuſto & nobili Palliorum genere, quem Caſtrum Ringum, quod hujus Ducatûs locus, & feudataria DD. Palliorum Sedes eſt, Religioni noſtræ dedit, dum hæc ibi necdum viguit. Reticeo, inquam, hîc Bernardinum, cum de eo in utroque priori Tomo effuſa facta fuerit Laudis memoria. Nomino verò P. Hyacinthum à Caſale, & hunc nominâſſe ſat ſit, cum omnium aliorum merita in ſe concludere videatur, & totam quaſi Europam ſuæ Virtutis habeat teſtem, prout tum ex illius vitæ, quæ ſequitur, chronotaxi, tum ex Apoſtolicorum Diplomatum, quæ ſubnectuntur, complexu cumulatiùs patebit.

Non tamen erraſſe videor, ſi utrique adjungam Sanctimonialem, illuſtre noſtri Ordinis decus, & Servam Dei Domitillam Gallucciam, quæ cum utroque in Sanctæ vitæ opinione communicat, & cum utroque in eodem Ducatu ſuam patriam, videlicet, Civitatem Aquenſem habuit. De hac ut cautè loquar, & paucis multa dicam, epitomen illius vitæ, quæ ſeparato ejus ſepulchro appoſita eſt, hîc duntaxat & ita adjungo: Venerabilis Mater Domitilla Galluccia, Acquenſis, Capucina, in utero Matris miraculosè conſervata, Seraphici P. Sancti Franciſci Filia verè digna, in Chriſti Domini paſſione tanto amore accenſa, ut ejus Stigmata, & totam ipſius paſſionem in proprio Corpore mereretur geſtare, necnon ab omnibus vera Crucifixi imitatrix videretur: cruciatibus internis, externiſque abundans, corporis viribus deſtituta

ſtituta; hilaris verò ſemper mente ac vultu, in proximorum ſalute cooperatrix Angelica; Imperatoribus, Regibus, cæteriſque Principibus ſummo honore habita: ultima valetudine radiis ſolaribus circumſepta, nova Amoris Seraphin volavit ad Sponſum Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo primo pridie Idus Februarii die Jovis hora quarta.

Manſère hujus Cuſtodiæ Conventus Provinciæ Januenſi incorporati uſque ad annum, quo Pontificium Reſcriptum, Eam Cuſtodiam, à Reverendiſſimo P. Generali dependentem declaravit.

Habet defacto
Conventus Fratrum VI.
Monaſterium Monialium I.

Veterem Civitatis Caſalenſis Domum ex vicino aquæ lapſu & morboſo aëre infeſtatam demoliri, ſitum ejus vendi, ac ſupellectilem Eccleſiæ ad novam Domum tranſportari, Vicario Generali, & Præpoſito inibi committit.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Caſalen., ſeu ejus in ſpiritualibus Vicario Generali, & Dilecto Filio Præpoſito Eccleſiæ Caſalen.*

GREGORIUS PP. XIII.

Venerabilis Frater, & Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Guardianus & Fratres Domûs S. Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, Capucinorum nuncupatorum, prope & extra muros Civitatis Caſalen., quod dicta Domus in pede cujuſdam Montis ſita, & ob aquarum continuò ex dicto Monte cadentium fluxum, muros & ædificia ipſius Domûs rodentium, adeo conſummata, & in tantum periculum redacta exiſtit, ut in illius reparatione majores expenſæ, quam in alterius Domûs nova ædificatione fieri debeant, & licèt ipſa repararetur de novo, nihilominus lapſu & decurſu aquarum prædictarum conſummeretur, dum & ipſa Domus meridiei oppoſita, & juxta flumen Padum exiſtit, in cujus ripa, & prope dictam Domum coria dictæ Civitatis graveolentia extenduntur, ex quorum fetido odore, & fluminis hujuſmodi vicinitate aër inibi tam morboſus, & peſtifer redditur, ut æſtivo tempore Guardianus, & Fratres prædicti aut moriantur, aut talem infirmitatem contrahant, ut nedum in dicta Domo, ſed nec quovis alio loco, aut alia quapiam aëris mutatione curari poſſint, ipſique Guardianus & Fratres à Domo & Civitate prædictis, niſi alius commodior & ſanior locus, in quo habitare poſſint, aſſignetur, diſcedere cogantur; id quod Dilecti Filii Communitas & Homines dictæ Civitatis animadvertentes pietatis & devotionis zelo moti, ac ipſos Guardianum & Fratres in dicta Civitate permanere cupientes, eos ſub ſpe aliam Domum in loco melioris aëris ædificandi hactenus retinuerunt, ac quamdam aliam Domum pro illorum habitatione in plano dictæ Civitatis boni aëris, de conſenſu Dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Mantuæ, ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis ædificari facere cœperunt; et, ſi Eccleſia dictæ Domûs prophanaretur, & in ea ſtatus, forma, & eſſentia, ac Ordo perpetuò ſupprimeretur, & extingueretur, ac dicta Eccleſia, & eorum Conventus, ac ædificia omnia demolirentur, & bona dictæ Domûs plus offerenti venderentur, pretiumque exinde proveniens in dictæ Domûs jam ædificari cęptæ perfectionem converteretur, ex hoc profectò novæ Eccleſiæ ædificationi, ac ipſorum Guardiani & Fratrum corporis ſanitati plurimum conſuleretur. Quare pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum aſſerentium venditionem hujuſmodi, ſi fiat, in evidentem utilitatem dictæ Domûs ceſſuram eſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus eorum ſtatui in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur certam de præmiſſis notitiam non habentes, ac Guardianum & Fratres hujuſmodi, ac eorum quemlibet à quibuſvis excomunicationis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, & Diſcretioni Tuæ, Fili Præpoſite, per præſentes committimus & mandamus, quatenus Vos de præmiſſis diligenter informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi præmiſſa veritate niti reperietis, ſuper quo conſcientiam veſtram oneramus, Domum præfatam, ac in ea ſtatum, formam, & eſſentiam, ac Ordinem perpetuò ſupprimere & extinguere, illiuſque Eccleſiam prophanare, ac illam,

illam, & Conventum, ac ædificia omnia demoliri, & ſolo æquari facere, ipſiſque Guardiano, & Fratribus quæcumque paramenta, & ornamenta, ac alias res Eccleſiaſticas, & ad Divinum Cultum pertinentes, in Domo, & Eccleſia hujuſmodi exiſtentes, ad Domum jam conſtrui in dicta Civitate cœptam exportandi, ac locum, & ſitum dictæ Domûs, ac illius Cœmeterii non conſecrati, nec non ædificia prædicta perſonis plus offerentibus, & meliorem conditionem offerentibus publicè, & ad incantum, ac, prout melius, & utilius videbitur, vendendi, & pretium ex venditione hujuſmodi proveniens in perfectionem dictæ Domus, jam conſtrui cœptæ, convertendi, ac inſtrumenta deſuper neceſſaria & opportuna celebrandi, licentiam & facultatem concedere, auctoritate noſtra curetis. Non obſtantibus fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, & malè alienatis recuperandis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & Ordinationibus, ac Domûs & Ordinis præfatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac litteris Apoſtolicis Domui & Ordini præfatis, illorumque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Jun. MDLXXIV. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Ex Autogr. Secretariæ Brev. Apoſt. Regeſto menſ. & anni præd. fol. 149.

Duas Moniales è Monaſterio S. Barbaræ Mediolani, ad novum Monaſterium Capucinarum Civitatis Caſalenſis pro hujus gubernio & inſtructione transferri, Archiepiſcopo Mediolanenſi &c. committit.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, ſeu Dilecto Filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali.

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater, ſive Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Expoſitum Nobis nuper fuit nomine Venerabilis Fratris Tullii, Epiſcopi Caſalen., quod ipſe unum Monialium Capucinarum nuncupatarum Monaſterium in Civitate Caſalenſi fundavit, & pro ejuſdem Monaſterii gubernio, & Monialium introducendarum inſtructione, duas ejuſdem Ordinis Moniales Monaſterii Sanctæ Barbaræ Mediolanen. ad noviter erectum Monaſterium hujuſmodi transferri cupit; ideo Nobis ejuſdem Tullii Epiſcopi nomine fuit humiliter ſupplicatum, ut opportunam ſuper præmiſſis licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ejuſdem Tullii Epiſcopi votis, quantum cum Domino poſſumus, annuere, ipſumque ſpecialibus &c. volentes, & à quibuſvis &c. cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ, Frater Epiſcope, ſeu Diſcretioni Tuæ, Fili Vicarie, per præſentes committimus & mandamus, ut duabus Monialibus, ejuſdem Monaſterii S. Barbaræ, ætate gravibus, quas ad hujuſmodi munus idoneas & voluntarias eſſe repereris, quod à prædicto Monaſterio, in quo profeſſionem emiſerunt, ad novum Monaſterium à dicto Tullio Epiſcopo erectum, dummodo rectâ viâ, & à Matronis honeſtis aſſociatæ illuc accedant, tranſire poſſint, auctoritate Noſtra Apoſtolica licentiam & facultatem concedas. Volumus autem, ut ipſarum Monialium ſic transferendarum eleemoſynæ dotales ſecundo dicto Monaſterio, etiamſi, antequam ad illud revertantur, eas in dicto Monaſterio decedere contingat, remaneant. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris die XII. Octobris MDCX. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſtolicorum regeſt. menſis & anni præd.

NOTA.

Monaſterium prædictum potiſſimum opus Capucinorum eſſe & teneri debere, probat ipſa illius fundatio, extracta ex libro Memoriarum, reſervato in eodem Capucinarum Monaſterio, ut ſequitur.

In Caſtro Montilii anno 1609. morabantur duæ Matronæ, quarum una Julia, à Pralormo, Comitatûs Aſtenſis loco, ex nobili Rocrotum Familia, altera verò Barbara Mazzetti à Caſali, ex claro Dominorum

rum à Saluggia Canaceſi genere, vocabantur: ambæ duorum Fratrum ex Stirpe Coccaſtelli, dicti loci Montilii Domina, Viduæ: hæ divina inſpiratione commotæ Religioſum Statum, Habitumque S. Patris Franciſci cum profeſſione primæ Regulæ S. Claræ aſſumere unanimi ſtatuêre ſenſu. Ad pium hoc propoſitum, quod variis difficultatibus obnoxium advertebant, celerius executioni dandum, Barbara ad patriam ſuam, Civitatem ſcilicet Caſalenſem ſe contulit, ibique conſilio P. Felici Falzona à Caſali, tunc Capucinorum Guardiano confidenter aperto, illum rogavit, ut pro iis locum in Monaſterio Monialium vel Mediolani vel Paviæ procuraret, qualibet earum ex divite ſua ſubſtantia 2000. Scutorum ſummam ad hunc effectum offerente. Munus hoc P. Felix in ſe ſuſcepit gaudens, & pro iis collocandis valida quidem adhibuit media, quæ tamen finem non attigêre. Hinc Barbaræ, illum ſemper urgenti expoſuit, quod, ſi cum Julia ſummam pro dote Monaſteriis Paviæ & Mediolani oblatam erogare vellet, in ipſa Civitate Caſalenſi novum Capucinarum Parthenonem ex ea fundare arduum non foret, præſertim voto Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Tullii à Caretto, tunc Civitatis Epiſcopi, & Præſulis ſingulari pietate conſpicui ad id concurrente. Quantumvis Barbara propoſitionem, cujus executionem attentâ ſpeciatim ſuâ & Cognatæ ætate provectâ difficilem autumabat, tunc non acceptaſſet, & econtra noviter pro Statione Pavienſi inſtitiſſet, ſuadæ nihilominus P. Felicis tandem acceſſit, eique præmiſſis variis orationibus & aſſumpto in laboris partem P. Angelico Meſchiavina Capucino negotium ſub velato nomine cum Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo tractandi aſſenſum præbuit. Hic Perſonam Oratricem ſibi revelari voluit; eamque illico perſonaliter acceſſit, prius quidem ex manifeſtatione confuſam, poſtea tamen docili fiducia conſiliis Paſtoris tam amabilis plenè acquieſcentem. Eo zelo piiſſimus Antiſtes hujus operis progreſſui attendit, ut incunctanter P. Angelicum pro obtinendo Juliæ conſenſu Montilium ablegaverit, quæ & hunc præbuit, & pariter ad Civitatem ſe contulit. Interim P. Felix à Sermo Duce Mantuæ Vincentio III. tunc in Civitate Caſalenſi cunctante, donationis titulo ſitum pro fabrica die 15. Mart. 1609. obtinuit. Indixit ad hæc Ill. D. Epiſcopus pro 21. Aprilis, in quem dies Paſchæ cadebat, ſolemnem & generalem Proceſſionem, crucemque plantavit, ac repetitâ in menſe Junii Proceſſione primum Lapidem ſolitis Eccleſiæ ritibus poſuit, Deputatis ad curam fabricæ D. Joan. Paulo Picco, Antonio Prato & Antonio Guazzo.

Contigit interea, ut Illuſtriſſimus D. Præſul Romam ob Canonizationem S. Caroli Borromæi proficiſci deberet, ubi & duorum annorum intervallo eum commorari oportuit. Proceſſit quidem ad interim, lento tamen opere, fabrica, & memoratæ duæ Matronæ ad Monaſterium Monialium S. Bartholomæi, Ordinis Sancti Auguſtini receſſerunt, & ſparsâ de novo Capucinarum Cœnobio famâ, plures diſtinctæ qualitatis puellæ ad id ſuſcipi inſtiterunt.

Eoipſo tempore, & opportunè Romæ degebat D. Grattarola unus ex dictæ Canonizationis Procuratoribus, qui olim munus Confeſſarii Monialium Capucinarum ad S. Barbaram Mediolani exercuerat, à quo dum Illuſtriſsimus Epiſcopus de religioſa dictarum Monialium vita plenius erat informatus, pro extrahendis ibi duabus Sororibus suprapoſitum Breve obtinuit.

Ad Sacerdotalem Sedem 25. Jun. 1610. Illuſtriſs. D. Epiſcopus reverſus modicum invenit fabricæ progreſſum; hinc ipſemet illius perfectioni cum DD. Deputatis ea incubuit ſolertia, ut in menſe Auguſti anni 1610 ad ſtatum, introducendis 10. Perſonis impatienter id exſpectantibus ſufficientem, fuerit redacta: fueruntque inter introductas primæ Barbara & Iulia præfatæ.

Cum Moniales inſtitutrices Mediolano appuliſſent 22. Septembris, die glorioſo S. Mauritii martyrio Sacrâ, manè omnes decem Monachandæ, comitantibus eas præcipuis Matronis ad Cathedralem Eccleſiam fuêre conductæ, ubi poſt cantatæ Solemnis Miſſæ Evangelium à P. Hyacintho Natta, celebri Concionatore Spiritu & ſapientia plenus habebatur ſermo, ſumptâque ibi per manus Epiſcopi Sacrâ Synaxi, ad Monaſterium pro prandio rediêre. Pro veſperis autem ad Cathedralem fuêre reconductæ, hiſque finitis omnes ab Illuſtriſsimo Domino Epiſcopo Seraphicum acceperunt Habitum; poſtea cum rudi fune ad collum, & cruce trium brachiorum longâ ſuper humeros, Solemniſsima totius Cleri Regularis & Sæcularis, ac omnium totius Civitatis ac Diœceſeos Parochorum Proceſsione, cui Statua B. V. Mariæ à Sermo Principe donata, & duo Reliquiaria cum Reliquiis à prælibato P. Hyacintho Natta pariter donata præferebantur, in modum triumphi ad novum Capucinarum Monaſterium ducebantur, innumerabili populo, quem cum Reverendiſsimo Domino Præſule altefatus Dux Vincentius, expreſsè Mantuâ in hunc finem Caſalin ſe transferens præibat, eas comitante, & Monialibus è Monaſterio S. Barbaræ Mediolani extractis illas ſolitis cæremoniis excipientibus. Poſtero die P. Hyacinthus novo Sermone novellas Chriſti Sponſas, & aſſumptas ex hominibus primitias Deo & agno; ob ſcamnorum defectum in terra ſedentes, ad Spiritum perſeverantiæ animavit, eo fructu, ut omnes decem 23. Sept. 1612. ſolemni profeſsione in manibus Illuſtriſsimi Domini Epiſcopi emiſſa, ſuavi Religionis jugo ſeſe cum ſumma ædificatione conſecraverint, ea religioſæ vitæ exempla relinquentes, quæ adhuc hodiedum in Sacris illis muris glorioſa propagine coruſca videntur.

Ex reg. ſeu libro memoriarum prædicto.

S. Reliquias ſupradictas & novo Parthenoni donatas, habuit P. Hyacinthus à Sereniſsima Archiduciſſa Auſtriæ Anna Catharina, prout conſtat ex diplomate deſuper confecto, & in Archivo Monaſterii Monialium reſervato, ut ſequitur.

Anna Catharina Gratia Dei Archiduciſſa Auſtriæ, nata Principisſa Mantuæ & Montisferrati.

Cum P. Hyacinthus à Caſali Concionator Capucinus à Nobis partem Sacrarum Reliquiarum, quæ apud Nos cuſtodiuntur, tum pro ſua propria devotione, tum pro aliorum ſatisfactione, tum pro locis, in quibus cum debita reverentia aſſervarentur, & colerentur, requiſiverit, Nos non ſolùm cultum Divinæ Majeſtatis, cui omnia bona debemus, ſed & Sanctorum, qui cum Ea glorioſi triumphant in cœlis, promovere volentes, conſultum duximus piæ illius petitioni condeſcendere, eidemque infraſcriptas SS. Reliquias concedere, & donare, quæ ex noſtris, quas ex certis & Authenticis locis juxta ſolemne apud Nos aſſervatum Docu-

Documentum acquiſivimus, fuerunt excerptæ. Inde ut major deſuper habeatur fides, & quò major eſt illarum certitudo, eò intenſior quoque vigeat devotio & reverentia, haſce propria manu ſubſcriptas expediri mandavimus Oeniponti 26. Sept. 1607.

Anna Catharina.

L. ✠ S.

SS. Reliquiæ fuêre nominatim ſequentes.

De columna flagellationis D. N. Jeſu Chriſti.
De manna cæleſti reperta in Sepulchro B. V. Mariæ.
De Petra loci, in quo B. V. ad cœlos aſſumpta eſt.
De Virga Aaron.
Ex oſſibus S. Andreæ Apoſtoli.
Ex oſſibus S. Jacobi Majoris Apoſtoli.
De S. Stephano Protomartyre.
De S. Laurentio Levita Martyre.
De S. Marcellino Papa & Martyre.
De SS. Philippo & Matthæo Apoſtolis.
De SS. Coſma & Damiano Martyribus.
De S. Chriſtophoro Martyre.
De S. Staniſlao Martyre, & Epiſcopo Cracoviæ.
De S. Mauritio Mart. Thebææ Legionis Duce.
De SS. Vito, Fauſtino, Caſſiano, & Gordiano Martyribus.
De SS. Hermagora & Fortunato Mart.
Ex pelle SS. Innocentium Infantium M. M.
Ex oſſibus unius trium Regum Magorum.

A Fr. Hyacinto Caſalenſi litteras ſibi inſcriptas ſe recipiſſe, & commiſſa negotia ab eodem ſe partim audiviſſe, Suicardo, Archiepiſcopo, & Electori Moguntino renuntiat.

A tergo. *Venerabili Fratri Joanni Suicardo Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.*

PAULUS PAPA V.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Litteras à Fraternitate Tua dilecto Filio pio, ac religioſo Viro Hyacintho, Fratri Ordinis Capucinorum ad Nos datas VIII. Idus Octobris anni præteriti, ab ipſo accepimus VI. Idus menſis præſentis Februarii. Hactenus nonnulla ex his, quæ in mandatis ei dediſſe ſcribis, Nobis renuncianda, audivimus, reliqua benignè audituri, cùm ipſe Frater Hyacinthus Religionis zelo, & rerum agendarum prudentia præſtans Nobis illa expoſuerit. Perſuaſum autem omnino Tibi eſſe volumus, fore Nos ſemper promptos ac paratos, præſtare, quantum cum Domino poterimus, omnia officia ſolliciti Paſtoris & amantiſſimi Patris ad Eccleſiæ Catholicæ utilitatem, & commune Germaniæ bonum. Interim toto noſtri cordis affectu Deum precamur, ut inſtantibus neceſſitatibus ſancto ſuo auxilio ſuccurrat, ac Te non minus prudenter, ac generosè, quàm piè pro ejus Eccleſia laborantem, incremento ſuæ ſanctæ gratiæ jugiter conſoletur.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris XV. Martii MDCXIV. Pontificatus noſtri Anno nono.

Petrus Stroza.

Ex Arch. Secret. Vaticano Reg. menſ. & anni præd. Epiſt. 239.

Ma-

Maximiliano Bavariæ Duci, eundem Fr. Hyacinthum ad ſe mitti deſideranti, Pontificiam mentem à Joanne Baptiſta Cribellio patefaciendam eſſe, ſignificat.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Duci Bavariæ.*

PAULUS PAPA V.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Legimus Nobilitatis Tuæ litteras, ex quibus tuum de Fr. Hyacintho de Caſali, Ordinis Capucinorum, deſiderium intelleximus. Cæterùm, quæ Nobis ea de re occurrunt, diximus dilecto Filio Joanni Baptiſtæ Cribellio, à quo Nobilitas Tua mentem noſtram accipiet. Quamobrem his litteris longiores non erimus, illud certè perſuaſum jam pridem Nobilitati Tuæ eſſe arbitramur, Nos pro ſingulari, ac paterna, qua Te complectimur, benevolentia, tuis meritis debita, quotieſcunque cum Domino poterimus, nunquam Tibi promptè gratificari prætermiſſuros. Dominus, Dilecte Fili, in Te ſua dona liberaliter augeat, & aucta benignè cuſtodiat; Et Nos iterum Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem toto ex animo impartimur.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Aprilis MDCXX. Pontificatus noſtri Anno decimoquinto.

Ex Archivo Secreto Vaticano, Regeſto Brevium ad Principes menſ. & anni præd. fol. 59.

Eundem Fr. Hyacinthum ad tractanda Religionis negotia in Germaniam & Hiſpaniam ablegat, privilegiis munitum.

A tergo: *Dilecto Filio, Fr. Hyacintho à Caſali, Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum. Profeſſori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum Te ob tuum Catholicæ Religionis zelum, prudentiam, dexteritatem, & Rerum Germanicarum experientiam pro gravibus, & ſervitium ejuſdem Religionis concernentibus negotiis pertractandis in Germaniam mittendū decreverimus, ac pro iis & aliis in Hiſpanias ac alias Regiones nunc etiam Te proficiſci oporteat, & Nos Te eâ, quam optamus, & expedit, celeritate, ob infirmi corporis tui vires pedibus proficiſci non poſſe perſpectum habeamns, motu proprio, & non ob tuam, vel alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtris, Tibi in virtute S. Obedientiæ per præſentes committimus, & mandamus, ut equo, ac omni alio meliore Tibi poſſibili modo unà cum iis ſociis tui Ordinis, qui Tibi è re videbuntur, ubique locorum ad tuam electionem accipiendis, iter hujuſmodi facias, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Octobris MDCXXI. Pontificatûs noſtri Anno primo.

S. Card. S. Suſannæ.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſ. & anni prædict.

NOTA.

Si Domni Gabrielis Hectoris Natta, Comitis ab Alfiano, & ſuæ Conjugis Polixenæ à Biandrate, ex Comitibus (nunc Marchionibus) S. Georgii, gloria fuit, præclaros numeráſſe Natales, dum ille è Regibus Romanis & Sabinis, hæc verò à Poloniæ Regibus, & magnæ Lithuaniæ Ducibus ſanguinem traxerunt, fuit & non minor utriuſque felicitas, dum Fr. Hyacinthum ſupradictum habuerunt 21. Jan. 1575. ſui Connubii pignus, unicumque ſui amoris partum. Friderici nomen Ei in Aqua Regenerationis impoſuerunt, & in ephebis initium Sapientiæ, timorem Domini, ſociatâ curâ inſtillaverunt. Hauſtos in Papienſi Academia altioris ſcientiæ latices Fridericus Salamanticæ felici Musâ perfecit, reducemque Bononia utriuſque juris laureâ inſignivit. Doctrinæ juncta prudentia, & rerum agendarum dexteritas ad aulam Sereniſſimi Mantuæ Ducis Vincentii liberum ei patefecit ingreſſum, ubi & hujus affectum ita captivavit, ut illum ad curanda ſui Ducatûs negotia Venetias ablegare ſtatuerit.

Interim Fridericus tum ex inſidiis, quibus Nobilis Patriota vitæ ejus inſidiabatur, tum ex caſu, quo violenta mors vitam ſui Cubicularii reddidit infelicem, fata humanæ conditionis, fallaceſque aulicæ fortunæ riſus agnoſcens, dudum jam de vita, inter Capucinos inſtituenda, conceptum conſilium exequi ſtatuit. Quod, ut inimicus homo diſtraheret, vagam in Galliciam Peregrinationem ſuggeſſit. Agnovit illico dœmonis aſtum noſter Mantuæ Guardianus, & ideo, quantùm Friderico Compoſtellani itineris executionem diſſuaſit, tantùm illum ad celerem vitæ Capucinæ amplexum animavit. Acceſſit utriuſque voto P. Provincialis Provinciæ Ve-

Venetæ (hanc enim ſibi elegit, ne in Januenſi & ſibi nativa Provincia, vicinior parentela Spiritum vocationis turbaret.) dum Fridericum, quem maturâ virtute pollentem noverat, incunctanter Vicentiæ Ordinis Habitu indui juſſit. Numerabatur annus Chriſti milleſimus ſexcenteſimus, quo hæc mutatio dexteræ Excelſi ſecuta eſt, & quo nomen Friderici converſum fuit in illud Hyacinthi. Tenerior corporis conſtitutio non poterat conſueto Ordinis rigori diu & ita reſiſtere, quin ſubſequus gravior morbus, Patribus Familiæ invitis & afflictis conſilium de Hyacintho dimittendo ingeneraret. Tenuêre ſuſpenſam executionem Sereniſſimi Mantuæ Ducis & Duciſſæ preces, quas ad locum Novitiatûs miſſus Epiſcopus Mantuanus Franciſcus Gonzaga perſonali ſuo patrocinio reddidit efficaciores, ita quidem, ut probationem ad duos annos protrahi fuerit indultum. Viribus poſtea Baſſani, ubi ſalubrioris aëris gratiâ fuit collocatus, plenè recuperatis, anno 1602. menſe Februarii ſe Deo & D. Franciſco ſacro conſecravit voto. Ad ſtudia Ordinis promotus, ſcientias & artes, quas poſſidebat, miro progreſſu & Theologici Studii unione poliit; & anno 1606. in Emporio Veneto provinciam Concionatoris quadrageſimalis, Diaconus adhuc, inchoavit. Acriores eâ tempeſtate Paulum PP. V. inter-& Ariſtocraticam hanc Divi Marci Civitatem fervebant diſcordiæ, inde, dum Hyacinthus cauſam Sedis Apoſtolicæ tam ore, quàm calamo conſtanter propugnabat, è Dominio egredi juſſus eſt. Dolens & gaudens ibat de conſpectu Sereniſſimi Concilii Hyacinthus; dolens, dum Sereniſſimam Rempublicam Ordini addictiſſimam cogitabat; gaudens verò, quia dignus habitus cum aliis, pro Sedis Pontificiæ juribus pati. Magnanima autem hæc actio ingeſſit ſummo Pontifici altiùs & digniùs de Hyacintho ſentiendi cogitatum: inde, ut ſucceſſivè illum formaret in Virum Eccleſiæ perfectum, in Germaniam, acerbiore commixtæ Religionis conflictu jactatam, Eum ablegavit Miſſionarium. Per triennium integrum fuêre ibi Evangelica Verba Hyacinthi, tum *quaſi ignis*, quo in flammas accenſo, in pluribus hæreſeos tenebras diſpulit, lucemque Fidei & veritatis in eorum cordibus accendit, tum *quaſi malleus conterens petram*, conterens tenaciorem peccatorum duritiem, & ex ea Sanctæ pœnitentiæ aquas eliciens. Penetravit zelus Hyacinthi uſque ad Cæſaream Viennæ Aulam, ubi vigentia inter Auguſtiſſimum Rudolphum II. Imperatorem, & Sereniſſimum Mathiam Archiducem, Fratres ſecundùm carnem Germanos, de re Domeſtica diſſidia, quæ jam ad militares tumultus excreverant, feliciter compoſuit, Cæſaremque, ut conceſſam ſectariis Pragenſibus Eccleſias conſtruendi facultatem revocaret, ſectæque Miniſtris exilium de Regia Civitate dictaret, conſtanter animavit.

Regreſſum ad partes Italiæ, Ariminum anno 1609. Roma & Verona anno 1610. & anno 1611. Roma iteratò, audivêre Hyacinthum, cœleſtem Evangelii doctrinam promulgantem: excepit illum & eodem ultimo anno Januenſis Metropolis Viſitatorem ſeu Reformatorem Monialium, à Cardinali Horatio Spinula Archiepiſcopo ablegatum. Invênit & Hyacinthus ſacrum hunc fœmineum ſexum plerumque docilem, unam duntaxat induratam ſtupuit & doluit: tragicum finem, quem ei prædixit, verificatum viderunt, qui eam ſubitaneâ morte abreptam, illiuſque cadaver carbonis adinſtar decoloratum invenêre.

Bergomum & Pavia anno 1612. fuêre grati Apoſtolici fructûs, quem ibi Hyacinthus collegerat, teſtes, ita autem anno 1613. Mediolani contra graſſantem abuſuum colluviem, impunemque quaſi peccandi licentiam de pulpito tonuit, ut fructum inde reportatum publicus celebraverit typus, & Excellentiſſimus Senatus in teſſeram ſuæ gratitudinis, præter varias Sanctorum Reliquias, alias de S. Carolo Borromæo, ac integrum Linteum, ſuper quo S. Archiepiſcopus animam ſuam Deo reddidit, Hyacintho dono dederit: quod arcæ pretioſæ incluſum, in Eccleſia Patrum Oratorii Civitatis Caſalenſis cultui exponi voluit.

Mediolanum dum laudibus Hyacinthi reſonat, Roma eum Cardinalis Caroli Madrutii, Epiſcopi & Principis Tridentini, Ratiſbonam ad Imperialem Dietam abituri, Conſultorem & Theologum deſtinat. Pertinaciùs in hac Unioniſtæ à noviter electo Imperatore Mathia libertatem conſcientiæ prætendebant, eamque ceu unicam ſtabiliendæ pacis cauſam ſonoris evulgabant buccinis. Surrexit contra Filios tenebrarum, & eorum armis & minis ſuffultam prudentiam, Seraphico Spiritu munitus Hyacinthus, decantatamque libertatem aliud non eſſe Electorali Senatui probavit, quàm ſpecioſam nominis larvam, ſub qua malorum omnium Ilias, & Imperialis Reipublicæ confuſio contineretur: ſervilia vincula Fidei Catholicæ parari clamavit, ſi libero conſortio ſectam quamcunque in eadem regione ei conjungi contingeret. Certum Domûs illius caſum aſſeruit, quam plures dividerent ſectæ, & Imperii compagem ſolutam intulit, ſi commune liberumque in eo foret credendi arbitrium. Minas minis retundi ſuaſit, & fœdus jam olim à Ven. Dei Servo, Fr. Laurentio à Brunduſio Ordinis noſtri Generali, & in Germania Commiſſario Apoſtolico commendatum, Imperatorem inter & Regem Hiſpaniarum, Electores & Principes Germaniæ Catholicos &c. ſanciri, ejuſdemque Caput Sereniſſimum Bavariæ Ducem conſtitui, tandem effecit. Fœcunda hoc felicium ſucceſſuum fuit ſemper ſcaturigo, & ideo ære Romano, ac Hiſpano largiter ſuffultum. Officioſum autem cauſæ publicæ ſtudium multiplicavit applauſus Hyacinthi, & affectum Electoralis Concilii ei reddidêre propenſiſſimum. Hujus ut memoria perennaret in muris, Ordinis noſtri Conventum, cujus fundamentis ipſemet Imperator Mathias, Principum coronâ ſtipatus, primum injecit lapidem, in ipſa Civitate Ratiſbonenſi conſtrui juſſit, quin audacior Civium, potiſſimum hæreticorum, oppoſitio potuerit ponere obſtaculum. Ipſe verò Hyacinthus ut de Sereniſſimi Cœtûs amore pleniùs convinceretur, accepit ab eo, dona & genio ac ſtatui ſuo propria; accepit ab Auguſtiſſimo Imperatore S. Crucis particulam, Chryſtallo incluſam, & à quodam ſummo Pontifice Domui Auſtriacæ in donum miſſam; ab Auguſtiſſima Imperatrice Anna Catharina inter alias Sacras Reliquias, inſignem oſſis partem de S. Antonio Abbate. Inter aliorum autem Principum ſacra dona, enituêre præſertim illa, quæ induſtrio ſelectu Sereniſſima Domus Bavariæ contulit. Vagus de iis, quæ Hyacinthus in Dieta geſſit, per regiones & regna rumor armavit & Hæreticorum & Politicorum linguas in ſagittas, quibus ab inſidia cuſis cominus & eminus famam Hyacinthi impetebant: in ipſo Regio conſeſſu Bruxellis Miniſter publicus liberiore ſermone in Heroem convicia jactat, & maligna cuſpide illius facta ferit, ſauciatus tamen non eſt animus, quem innocentia muniverat. Fuit Hyacinthus alter Achilles, quem tela iniquitatis nec tangere, nec vulnerare poterant: aut patientiâ cachinnos ſupportavit, aut modeſtis litteris rei veritatem manifeſtavit. Collaudavit econtra unito applauſu Roma anno 1614. redeuntis Sapientiam, & gratulatorio accurſu nomen illius obeliſco dignum clamavit. Ipſe Papa Eum tenero excepit amplexu, & negotia feliciter ab eo geſta fuiſſe, variis Pontificiæ benevolentiæ ſignis expreſſit, ac collectas ab eo Sacras Reliquias aliarum additione ex Romano penaxio adaugeri præcepit. Patefecit hæc Pontificii amoris præludia ex parte Svicardo Archiepiſcopo & Electori Moguntino, Scipio Cardinalis Burgheſius Pontifici Paulo V. à ſecretis Status, hiſce litteris:

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine.

Quibus indiciis paterni animi Fratrem Hyacinthum è Familia Capucinorum, Virum zelo, & prudentia Chriſti pollentem, Sua Sanctitas ad oſcula pedum admiſerit, & quàm humaniter audierit, quæ nomine Illuſtriſſimæ Dominat. Veſtræ expoſuit, liquet ex adjuncto Diplomate, quod non ſolùm hiſce meis Litteris, verùm etiam in Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram paratiſſima voluntate comitor, cui feliciſſima quæque à Deo peropto. Romæ 22. Februarii 1614.

Addictiſſimus Scipio Card. Burgheſius

In medio laudis,quam exterorum Principum Aulæ Romano applauſui junxerunt, Hyacinthus locutus eſt potentiam Dei, quæ in eo fecerat magnalia, in ſpiritu humilitatis, dimiſſoque Eccleſiaſticæ Politicæ foro, Apoſtolatum reaſſumpſit, eodem anno 1614. in Baſilica Almæ Urbis, S. Laurentii in Damaſo nuncupata, per cinerale jejunium prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Fuit illud Evangelicæ vocis energema, ut plures corda, quæ peccatum induraverat, ſciderint in planctu; nobilis Mulier, quæ luto impietatis uſque ad publicum ſcandalum inhæſerat, Cyprios ignes deteſtata, & Magus altioris conditionis, præſtigia diabolica, quibus aliis illudebat, fuerit abominatus. Inſulſo proin fremitu Dœmones in corvorum & noctuarum figura, diſcedentem de Baſilica Hyacinthum moleſtârunt, & prædam ſibi ereptam confuſi clamoris fremitu vindicârunt. Liberum de Apoſtolico labore circumdant illico Litterarum faſces, quibus Principes, Hyacinthi & officia, & conſilia petebant. Inter illas fuit & illa, quam Auguſtiſſima Imperatrix Anna, Mathiæ Conjux, ſequenti ad eum dederat tenore:

Anna Gratia Dei Imperatrix Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regina, Archiduciſſa Auſtriæ.

Devote noſter chariſſime. De devotione, ſingulari affectu, & bona voluntate, qua Paternitas Veſtra erga Nos fertur, nullatenus dubitamus, hinc & perſuaſæ manemus, omnia ab ipſo officia & media adhibita fuiſſe, quibus Sua Sanctitas ad condeſcendendum æquiſſimis Suæ Majeſtatis, noſtri Conſortis, prætenſionibus, beneficium rei Chriſtianæ concernentibus, moveri debuiſſet: quod autem eum, quem Nobis pollicebamur, nacta non fuerint effectum, minùs faventi noſtræ fortunæ adſcribere, & cum patientia ſufferre debemus. Hoc quoque ordinario Suæ Sanctitati juxta Pat. Veſtræ conſilium de Moniali à Colle alto ſcribimus, ſique deſideratum conſequatur effectum, gaudenter audiemus.

Necdum habuimus authenticam S. Reliquiæ fidem, eam tamen expediri, & Pat. Veſtræ indilatè tranſmitti juſſimus. De cætero oret Deum benedictum pro noſtra ſalute, & proſperitate, ſicut & pro illa noſtrorum ſtatuum, dum ſub chariſſima ſalute manemus. Lincii 19. *Maii* 1614.

Anna &c.

Volvebatur interim continuò in ore Romæ Hyacinthi meritum, ex duplici beneficio, Eccleſiæ in aulis & pulpitis collato ſpeciale, exiitque lenis ſermo de eo Sacro Collegio adſcribendo. Rubuit ad hunc ſuſurrum Hyacinthus; cumque aliud præter Jeſum Chriſtum non quæreret, diſceſſit de Alma Urbe prædicaturus anno 1614. tempore, Adventûs Dominici memoriæ Sacro Venetiis, quò liber denuo ei patebat aditus: In via Conventus Ordinis declinabat, ne plauſus audiret, ſocium aquis immerſum de periculo liberavit, & librum Concionum ab aquis pariter abſorptum, ad littus ſiccum reperit.

Exaltavit Evangelii tubam Hyacinthus anno 1615. Brixiæ, eumque collegit fructum, ut liber *Pœnitentia Brixiæ* intitulatus, & Sereniſſimo Bavariæ Duci dicatus eum recenſeat poſteritatis memoriâ digniſſimum. Pluribus quoque, qui ibi durâ cervice Spiritui Sancto reſiſtebant, infelicis vitæ terminum prædixit, & dæmones, qui callido ſilentio ſuum in corporibus humanis domicilium tegebant, ſigno S. Crucis loqui coegit. Propheta non acceptus Patriæ ſuæ fuit eodem anno, dum de publico roſtro imminens Dei flagellum, aulaſque Caſalis in caulas convertendas compatiente annuntiavit omine. Dumque in tranſitu Alexandriæ prodigia vitæ contemplativæ, quâ Fr. noſter Conſtantius Acquenſis Laicus ſurſum rapi ſolebat, Ei referebantur, hunc hujuſmodi deliciis duobus ante mortem annis privandum eſſe, (prout evênit) prædixit. Rogatus in tranſitu Turrichii in Tuſcia, ut verbum ſalutis indigo diceret populo, talis agglomerabatur hujus copia, ut ſub tilia & aperto cœlo concionari illum oportuerit. Cumque nonnullos in garrulos riſus, minuſque modeſtos geſtus ſolutos adverteret, vicinum ovium agmen, ad Dei verbum, quod illi ſpernebant, audiendum vocavit: citâ obedientia hoc paſcua reliquit, audientium cœtui immixtum, attento ſuo ſilentio ſcelus audaciæ confudit, nec de loco, niſi poſtquam Hyacinthus ei benedixiſſet, ad pabulum receſſit.

Fuerunt anno 1616. Ravenna & Vicentia felix theatrum, quo Hyacinthus ſuum exercuit zelum; dumque illa ſacri jejunii dies pœnitentiâ populi ſanctificatos conſpexit, hæc Familias *Porta* & *Arnalda*, quarum pertinacior diſcordia etiam Civium animos traxerat in partes, verbo Hyacinthi conciliatas laudavit. Prodigium autem factus eſt Hyacinthus anno 1617. Civitati Placentinæ: ubi populus rapido quodam curſu ad eum, quem virtute & ſermone potentem noverat, audiendum concitabatur, ita quidem, ut, qui aptum in Eccleſia ſitum ambiebat, pluribus ante Concionem horis locum occupare deberet: nec capiebat copiam vaſtum Eccleſiæ Cathedralis corpus. Inde, dum alii foris ſcalas feneſtris pro audiendo applicabant, alii intus tabulata erigebant, & alii cum aliis in medio Eccleſiæ ita ſe condenſaverunt, ut Clerici durante Concione eleemoſynas non in terra ſtantes, ſed quaſi humeris Auditorum inſidentes colligere potuerint. Correſpondit etiam populi affluxui prodigium fructûs nam, ſicut Hyacinthum nulla favoris humani, aut popularis auræ demulcebat opinio, ita

juxta propheticum ſermonem: *quaſi plauſtrum triturans montes terrenæ ſublimitatis contrivit*. Iſ. 41. Inde dum in Eccleſia audiebantur pectorum tunſiones, lachrymis ſingultibuſque interfecti contritionis clamores, & ſeveriore manu in terga coact flagrorum ictus, ſyrenes de domibus exulabant voluptates, expulſa de compitis licentia, ejecta de foro iniquitas, reſtitutus Eccleſiis decor, ſervata thoro fides, & vita Civium ad rationis regulam, divinaſque leges inſtituta. Exivit quoque è ſpiritu oris Virtus, tum, dum rupto majore Eccleſiæ tabulato, inter duo millia Perſonarum, quæ cadebant, nulla fuit læſa, tum, dum inter duas Meretrices pertinacem vitæ licentiam, una fracto pede, altera effuſo in ejus oculis duorum amaſiorum ſanguine ſolvit, tum, dum aliorum ſubitanea mors minas vaticinii complevit. Hæc ut nulla annorum diuturnitas oblitteraret, preſſa fuêre ſub typi prælo, & Opus *metamorphoſis Placentiæ* nominatum. Finiit Dominicâ in Albis Hyacinthus laboris ſui mirabilia Coronâ, quam Auguſtiſſimæ Dei Matri in Capella Cathedralis Eccleſiæ feſtivâ devotione impoſuit, & ſecreto itinere Fr. Paulum à Ceſæna, tunc Ordinis Generalem Mediolani acceſſit. Sanitati quidem hic nonnihil conſulere, ex Medicorum conſilio fixum erat; at, dum pro reſtauranda, quæ in quodam nobili Monialium Monaſterio marcuerat, regulari diſciplina Concionator à P. Generali requirebatur, meliorem Hyacintho à ſe non ſeligi poſſe illico ſuggeſſit factæ jam aliàs ab eo Monaſticæ reformationis memoria. P. Generalis Eum deſtinat, Infirmarius diſſuadet, & Hyacinthus ordinem exequitur, cum fructu, qui dignus erat ſimplicis obedientiæ effectus & præmium. Conſumpſit Hyacinthus reſiduum anni tempus, pacem inter Sereniſſimos Mantuæ & Parmæ Duces, quorum jam diu ſcintillantes diſcordiæ Italiæ magnum minabantur incendium, ſtabiliendo; Sereniſſimum Parmenſem inſuper, ut Marchioni Julio Cæſari Malaſpina illatam injuriam condonaret, inducendo, hoſque & alios Principes, ut ſepoſitis domeſticis tricis arma contra inimicum communem unitis viribus verterent, animando.

Videbatur etiam opportuna Sacræ Crucis in Biſuntinis turribus plantandæ occaſio, cum Jacaya, Achmeti, Sultani &c. Frater Germanus, qui Catholicæ Fidei leges coluit, ſocium adpromiſiſſet auxilium: diſperſit autem varia ratio idæatum jam Cruce-Signandorum exercitum, & Hyacintho Terram ſanctam ſanguine ſuo irrigandi omnem ademit ſpem. Inde, ut in Angliam, quæ & tunc dirius in Catholicæ Fidei Heroes ſæviit, Miſſionarius ablegetur, inſtitit: at à Deo non ſanguinem, ſed ſudorem ſuum peti, facilè ex diſſuadente Cardinalis Mellini conſilio concluſit.

Eapropter novo animo in opus Evangelii anno 1618. exiit, & Ceſænæ dum populus ſacrâ inediâ iram Dei placabat, pane celeſtis doctrinæ, & lachrymis pœnitentiæ Hyacinthus illum refecit. In itinere poſtea per Tuſciam confecto, puerum benedictione ſuâ ſanavit, Turrichii in Conventu panem multiplicavit, mulieri, quam non jejunam ſuperno lumine noverat, die S. P. Franciſco dicato, ſacram hoſtiam iteratò denegavit, & in via Piſtojam versùs gregem ovium, attentum denuo habuit Verbi Dei Auditorem, ſigno Crucis duos infantes ab hernia & mulierem à graviore pedis vulnere liberavit.

Ita efficax fuit anno 1619. in Eccleſia Cathedrali Bononiæ quadrageſimalis Hyacinthi ſermo, ut Cardinalis Ludoviſius, dictæ Civitatis Archiepiſcopus, poſtea ad Pontificium Triregnum evectus, litteris gratiarum actoriis ei de fructu applauderet; tempore autem, quo Senis per reſiduam anni partem Apoſtolico munere fungebatur, civiles Lucignani diſcordias compoſuit, litteris Germaniæ Principes ad bellum contra ſectarios Pragenſes gerendum animavit, & Sereniſſimo Bavariæ Duci Maximiliano Catholici fœderis & exercitûs Capiti, inſignem in Hiſtoriis Pragenſem victoriam prædixit.

Terminato anno 1620. Lucæ quadrageſimali miniſterio, diutius ibi ſubſiſtere debuit, quatenus gracili ſuæ ſaluti uſu balneorum conſuleret. Quos habuit ibi curæ ſocios, fecit & illos ſuæ devotionis ſequaces, ſpirituali colloquio eos ad exactam vitæ Chriſtianæ rationem ſuaviter inſtigando, & mentalis meditationis praxin iis commendando. Inviſêre illum hic Caſpar Schioppius, & Paſchaſius Grippus, quos rara ſcientia, & Librorum impreſſorum copia reddidit per totam Germaniam celebres. Qui dum miſerias Germaniæ bello & diſcordiâ ſciſſæ illi ſuſpiriis potius, quàm verbis exponebant, ipſe infortunio Cameræ Apoſtolicæ malum attribuit, & rei domeſticæ minus benè proviſum eſſe altiùs ingemuit. Effectus aquæ non ita duravit, quin eodem anno in Patria, quo denuo juſſu P. Generalis ad inſtantias Illuſtriſſimi Scipionis Paſchaſii, Epiſcopi, ad prædicandum regredi debuit, dolores colici, podagrici &c. redivivo furore contra eum deſævirent, ita, ut brachiis aliorum ſuffultus ad pulpitum conduci deberet. Malum non minuit zelum, nec minus proprium illi fuit, quod in S. Hieronymo ejus vitæ Scriptores notârunt: *quanquam variè morbis, doloribuſque tentaretur, tamen corporis incommoda piis laboribus &c. ſuperavit*. Tonuit ibi Hyacinthus contra graſſantia vitia uſque ad Genethliaca Domini Feſta, & Civitatem, ut bachanaliorum luxum inhiberet, ferventius monuit. Audacius ob Sponſalitia verbum ſalutis ſprevit Comes Corba, & ex pedaria ultione, qua Sponſa inter ſaltus pretioſam gemmam perdidit, & domeſticæ diſcordiæ anſam præbuit, omen Hyacinthi in ſe adimpletum, uſque ad finem vitæ indoluit.

Cremona anno 1621. Seraphicum Jonam ſicut quæſivit, ita & acquiſivit. Illuc dum ſe confert, Valentiæ in noſtro Conventu Fr. Vitalem Liburnenſem Clericum à capitis dolore, quem humana remedia mitigare nequibant, liberat, & Placentiæ de pulpito obſeſſam publicare cogit, quod inter omnes, qui anno 1612. ſuas projeciſſent prævaricationes, exceptis 8. Perſonis, omnes alii ad volutabrum rediiſſent. Eum ſalubrem hoc Oraculum populo ingeſſit timorem, ut ob communia pietatis opera, ultimi bachanaliorum dies in lugubres Septimanæ Sanctæ ferias converſi viderentur. Fructus autem, quem Cremonæ congeſſit, æquo jure illi, quem Mediolani, Brixiæ, & Placentiæ collegit, debet comparari, fuitque à Presbytero cuidam Oratorii Caſalenſis Patri ſub ſequenti tenore perſcriptus: *Si Paternitas Veſtra Orationi quadraginta horarum hic peractæ interfuiſſet, ab Eadem flumina lachrymarum ſparſa eſſe crederem: o quanta ſuſpiria! o quantæ voces, quæ miſericordiam inclamabant! quantus fuit eorum numerus, qui vel pectora tundebant, vel aliàs crudeli verberatione corpus caſtigabant! Cremonenſes non ſunt amplius, qui fuerant; reliquerunt vitæ anteactæ dedecus: qui per plures annos Sacræ Confeſſionis Tribunal abhorrebant, ad illud jam impatientes currebant: illicò ac concio erat finita, in ipſa Eccleſia pax inter diſſidentes concluſa: bona aliena reſtituta &c. Quis unquam ſibi imaginari potuiſſet, quod Deus per medium hominis, qui aliud non eſt quàm vox, & mortuo ſimilior quàm vivo, ferociam hujatûm Civium domare potuiſſet? dejecti ſunt & rapti extra ſe, ac talia à ſe non viſa eſſe confitentur. O qualis populi frequentia quotidie in Cathedrali convenit! Granum milii, ut ita loquar, locum ibi non habebat. Vidi & video res verè ſtupendas, Benedictus ſit Deus, & Pater miſericordiarum &c.* Pro more applauſui Hyacinthus ſe illico ſubducere nequiit, cum duas nobiles Mulieres, quæ inter

ſe per-

ſe pertinacem rancorem nutrire videbantur, conciliare, & ad inſtantias Card. Campori ex P. Generalis juſſu Cremonenſes in concepto pœnitentiæ propoſito diutius ſolidare deberet.

Interea morte Pauli PP. V. viduatum Romanæ Cathedræ faſtigium conſcendit Gregorius Papa hujus nominis XV. & Hyacinthum de Evangelico labore abſtraxit, vocatumque Romam, in perplexo involutoque Germaniæ negotio ſuum Apoſtolicum Nuntium ſelegit. Cum enim Fridericus Dux Palatinus V. coronam Bohemiæ in præjudicium Ferdinandi Imperatoris II. uſurparet, & improbo niſu in ruinam fidei Catholicæ debacharetur, electorali Biretto eum privari & Catholicum Principem illo decorari Papa voluit. Aſſumpſit ſibi honorem & legationem ita arduam humilis Frater, vocatus à Deo, ſeu Chriſti Vicario, & anno 1621. itineri ſe accinxit, iis munitus Litteris Pontificiis, quæ pro redeunte ad orbem, & ad ſpartam ſimilem deſtinato Apoſtolo Paulo preſſiùs & elegantius, juxta P. Petrum Antonium à Venetiis, Reformatum, *tom. 2. Legendarii Franciſcani die 13. Febr. fol. mihi 213. col. 1.* à Curia Vaticana formari haud poterant. Fuit acceptus in Curia Bavariæ Nuntius, novitaſque Pontificiæ commiſſionis movit Seren. Ducem, ut ad Papam ſequentes exararet Litteras:

Beatiſſime Pater ac Domine Domine Clementiſſime.

Poſt humillima Sanctiſſimorum Pedum oſcula.

Quâ curâ, quâve animi ſollicitudine Sanctitas Veſtra afflictum Religionis Catholicæ ſtatum jam à principio, quo ad Eminentiſſimum Pontificiæ dignitatis faſtigium evecta eſt, ſemper fuerit complexa, experitur, & agnoſcit meritò Germania, in ſummum diſcrimen ob rebellium Hæreticorum perfidas machinationes, quibus ipſam Religionem eliminare conantur, abducta; teſtantur id inſuper tum Litteræ Apoſtolicæ nuper per manus Reverendi Patris Hyacinthi Caſalenſis Ordinis Capucinorum ad me perlatæ, tum ea, quæ dictus Pater nomine Sanctitatis Veſtræ mihi oretenus expoſuit. Eſt ſanè, quod Reſpublica Chriſtiana, imprimis verò Germania in tanta pericula conjecta ſibi de tanto Paſtore, & Benefactore gratulari poſſit. Porrò autem, quod Sanctitas Veſtra in me tantùm confidentiæ ponat, & tam benigno, paternoque affectu feratur, dum hac occaſione oblata, dignitatem Electoralem in me transferri laborat, me hoc nomine Sanctitati Veſtræ arctiſſimo gratitudinis vinculo obſtrictum humillimè agnoſco, nulla dubitatione hærens, Sanctitati Veſtræ ſatis compertum eſſe, cum unicum laborum & actionum mearum ſcopum fuiſſe & eſſe, ut cumprimis Religioni Catholicæ in ſummo diſcrimine poſitæ ſuus in Germania ſit honor, & ſecuritas, majuſque illi ſemper accedat incrementum, tum etiam, ut Cæſareæ Majeſtatis auctoritas unacum ſuis Regnis & Provinciis ab inſultantium Rebellium impiis conatibus vindicetur, & tranquillitas publica pro bono Religionis in Imperio ſtabiliatur. Atque in hunc finem hactenus non ſolùm ingentes ſumptus me feciſſe, nullis laboribus, curis ac moleſtiis defuiſſe, ſed etiam me, meaſque Provincias extremis periculis objeciſſe, nemo ignorat; idque etiamnum non minus præſtare conabor; dum jamjam in procinctu verſor caſtra repetere; de quibus, necnon cæteris negotiis ſibi commiſſis prædictus Pater Hyacinthus Vir, ut ſingulari prudentia, & zelo præditus, ita boni publici promovendi ſtudioſiſſimus, Sanctitatem Veſtram penitus informabit. Demum me Sanctitati Veſtræ omni humilitate commendo, ac vitam diutiſſime florentem ex animo precor. Straubingæ x. *Septemb. anni* 1621.

Humillimus Filius & Servus Maximilianus &c.

Durior accidit Aulæ Viennenſi Pontificia transferendi Biretti Electoralis propoſitio, & præſertim Conſiliariis quibuſdam nodum in ſcirpo quærentibus minus placuit, itaquidem, ut Hyacinthus ad facilitandum negotii ſucceſſum in Hiſpaniam, vel Flandriam concedere intenderet. Inhibuêre autem iter litteræ Cardinalis Secretarii ſtatûs, Româ ſub hoc tenore receptæ.

Non obſtante maximâ difficultate, quam in Electoratûs negotio experimur, Paternitas Veſtra Litteris ſuis non parum Nos conſolatur, dum congrua via, Imperatorem terminis conſcientiæ ſtringendi, animoſque Conſiliariorum Majeſtatis Suæ captivandi à Paternitate Veſtra aſſumpta eſſe videtur. Nihilominus Sanctitas Sua cupit, ut Paternitas Veſtra per ſtabilita illius veſtigia gradiatur, nec ullo modo ab illa deflectat Aula, vel redeundo in Bavariam, vel ſecedendo in Hiſpaniam &c. cum per litteras hæc poſſint ſuppleri. Cæterum, unde majus oriatur malum, luculenter conſpicimus, & ipſa Pat. V. propoſitiones dexteras, quę à Nobis fiunt, agnoſcet ex epiſtola, quam Illuſtriſſimo D. Nuntio ſcribo, adjuncto illam Pat. Veſtrę communicandi ordine. Animum, pectuſque monſtrare, & aliorum malè conductis conſiliis apertè reſiſtere oportet, prout & Nos cum Aulis Hiſpaniæ & Flandrię facimus. Quapropter ibi punctum principale figere ſeu ſtabilire curet, ſique poſtea iter in Hiſpaniam aut Flandriam neceſſarium cenſeatur, Brevibus Apoſtolicis & Litteris Eam illuc comitabimur, quando videlicet venerit tempus, & Pat. Veſtra Nobis deſuper ſcripſerit. Interea ſuffulciat animum timentis, &, quatenus P. Veſtræ nihil prorſus deficiat, efficaciora quoque per Nos interponentur officia. Nec aliud ſubjungere, quàm Suę Sanctitatis benedictionem, Eidem mittere debeo; ſe conſervet cum Divina Gratia felicem &c. Romę 11. *Septembris* 1621.

Ad hæc dum Roma ſpem inter- & metum hærebat, advenêre aliæ de P. Hyacintho litteræ, ipſi Summo Pontifici inſcriptæ, annuntiantes negotium feliciſſimè terminatum, quas memoriâ ſæculorum dignas, hic inſeri diverſa ſuadet ratio.

J. N. R. J.

Beatiſſime Pater.

Benedictus ſit Deus, quod ad Sanctitatis Veſtræ pedes cum læto nuntio mihi comparere detur. Poſt longius à fine Auguſti Viennæ cum Miniſtris ſine ullo fructu protractum certamen, tandem Imperatorem perſuadere conatus ſum, ut negotium Electoratûs Palatini transferendi non amplius ad Aulicum Conſilium, à quo concluſio ſperari non poſſet, remittere, ſed econtra, ut Sua Majeſtas cum Barone d' Echemberg, Confeſſario ſuo & me privatim diſcutere, & efficaciter id reſolvere dignaretur, quod ex conſcientia & pro bono publico fieri, æquum cenſeretur. Placuit Deo ac Beatiſſimæ Virgini, cujus protectioni negotiationem tanti momenti ſemper comendavi, Imperatori, ut propoſitionem acceptaret, inſpirare, & ita Nobis ad tres reductis (Confeſſarium enim neceſſarium eſſe non judicavit) Electoratum ad Ser. Ducem Bavariæ transferre ſtatuit, ſub nonnullis tamen conditionibus, quas Sanctitas Veſtra in adjuncto Libello ſupplici videbit, & quæ negotium quidem non reddunt adhuc perfectum, ſpero tamen in Domino, quod intra paucos dies maximè cum Sanctitatis Veſtræ præſidio, ſint purificandæ: unde liberè fructu felicis hujus operationis gaudere poterimus. Miſſus ſum conſequenter in Bavariam cum epiſtola, propriâ Imperatoris manu ad Ducem exaratâ, in qua Imperator expreſſit, quod, ſi Dux inveſtituram cum conditionibus ad tempus acceptare vellet, celerem nuncium Viennam mittere deberet, & inveſtitura illico foret mittenda. Dux illam acceptavit, hodieque Vir nobilis ſecretò Viennam abiit, qui redux eam mihi conſignabit, & ego in nomine Domini, & Dominæ noſtræ Clementiſſimæ Mariæ illam ſuæ Celſitudini tradam. Quod autem his Principibus in operis complimentum à Sanctitate Veſtra fieri petitur, in prædicto reperiet Libello. Interim, ut Sanct. Veſtra, Imperatorem & Baronem d' Echemberg de cæpto conſilio laudare, iiſque grates rependere mihi injungat, dignum videtur; epiſtola autem debet eſſe ab ipſa Sanctitate Veſtra tempore opportuniore ſcripta, quatenus exhiberi queat; ſub hac enim conditione uterque Principum hoc Sanctitati Veſtræ à me perſcribi conceſsêre, quatenus ipſa ſola deſuper habeat notitiam, illudque ad tempus publicationis teneat in corde ſuo ſecretum.

Serm̃us Dux, an in reſponſoriis, pro officiis apud Imperatorem ad ſuum favorem præſtitis, Sanctitati Veſtræ grates agere deberet, dubius hæſit, ex motivo, quod à Sanctitate Veſtra Cæſari de Electoratu in Principem Catholicum transferendo generaliter ſcriptum eſſe audiviſſet, quin ſpecifica ſuæ Perſonæ facta fuerit mentio: cui autem repoſui, quod, licèt ex juſtis motivis inſtantiæ factæ fuerint generaliter, nihilominus particularis mihi data fuerit commiſſio ipſius ante omnes alios prælationem efficiendi. Eapropter Sanctitati Veſtræ ſe plurimùm obligatum fatetur. Credat Sanctitas Veſtra, quod ex ſollicita cura, quam pro rebus Germaniæ per particularem hanc Legationem monſtravit, omnium ſibi conciliaverit benevolentiam. Et certè, ſi negotium ad ſuam, uti ſpero, reducatur perfectionem, Sanctitas Veſtra in Domino gloriari poterit, tempore ſui Pontificatûs Romanum Imperium in Catholicis ſtabilitum, ac inter negotiationes unam ſucceſſiſſe, quæ inter alias retroacti temporis eſt maximi ponderis ac dignitatis. Secretum Sanctitati Veſtræ noviter commendo, cum Principes impensè mihi id inculcaverint, ſique quid boni factum ſit, ſoli Deo honor & gloria, qui, ſi arma Serm̃i Ducis contra Mansfeld reddat victorioſa, locum habebimus ſperandi, & meliùs, quàm anno præterito factum ſit, operandi, ut occaſio Reformationis & aliorum bonorum in his partibus non negligatur.

Oſculor Sanctitatis Veſtræ pedes, & cum omni affectu & humilitate ſacram ab Eo benedictionem exoro.

Sanctitatis Veſtræ.

Straubingæ 12. *Septembris* 1621.

Humillimus, Obedientiſſimus Filius, & Servus
Fr. Hyacinthus, miſer peccator.

Eidem, qui has Romam portavit litteras, Nuntio, dedit Hyacinthus pro Cardinali Secretario Statûs & ſequentes:

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine.

Præpeditum me malo dexteræ oportet, ut hac aliena utar. Quemadmodum jam bina vice Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ ſignificavi, debui diſcedere Viennâ, ubi negotium principale ex parte Imperatoris in fauſto reliqui ſtatu, & Bavariam me conferre, ut & ex hac parte nonnulla è medio tollam obſtacula. Vix hìc adveni, reperi Ducem ad diſceſſum cum ſuo exercitu jam paratum. Et quantumvis cum ſucceſſu negotiari inceperim, nihilominus ad negotium ad perfectionem reducendum, Ducem ſequi debeo, & ecce me in caſtris.

Res verè mira eſt videre Dei conſilia, cum, poſtquam hìc Princeps me expeditionis Pragenſis comitem deſideravit, & poſt multas Paulo V. factas inſtantias id obtinere non potuit, jam meus Vienna diſceſſus, & hìc adventus eo, quo minus credebatur, acciderit tempore, quo me Duci adſtare neceſſe eſt. Hoc ideo ſignifico, cum gaudium, quo inde Dux repletur, & ego cum illo, ita in utroque abundet, ut ſit res verè prodigioſa. Velit Deus noſtra ſecundare vota & neceſſitates, cum expeditio hujus temporis ſit æquè neceſſaria, ac illa Pragæ, & ſicut à rota hujus inimici pax Hungariæ, conſervatio Provinciarum Auſtriacarum, & quies Imperii dependent, ita & econtra illo contra nos prævalente (quod Deus avertat) eadem timenda forent fata, & major, quàm unquam, ruina, de quo clarum jam præbent indicium Bohemi, qui de facto quoddam Imperatoris Fortalitium occupârunt; totumque hoc regnum, ſi Deus novâ victoriâ nos non adjuvet, novæ ſeditionis ſubjacet periculo. Bellum ob circumſtantias temporis ultra duos menſes protrahi nequit,

inte.

interim negotiatio cum litteris & nuntiis continuabitur. Placeat Illuſtriſſimæ Dominat. Veſtræ Sanctitatis Suæ Benedictionem pro me requirere, & licentiam, eandem dare ſolemnem toti exercitui, quem interim SS. Sacramentis muniri diſponam. Sat citò autem hæc cum Nuntio, quem Celſitudo ſua ablegat expreſſum, recipietur.

Archiducem Carolum 18. hujus Saxoniam petiturum credo, ut, de quo jam aliàs ſciptum eſt, exequatur negotium, quod, uti ſpero, ille tenet ad noſtrum favorem, certum. Oportet quoque, ut Sanctitas Sua in Hiſpaniis valida interponat officia, & cita. In caſtris confeſſiones excipere mihi conveniet, inde ad hoc majorem, quò fieri poteſt, authoritatem mihi, & meo Socio Fr. Salvatori à S. Salvatore concedi rogo. Alia nova Dominatio Veſtra Illuſtriſſima aliunde percipiet, cum os mihi ſit clauſum. Inde aliud ultra non addo, quam ſub ſacræ fimbriæ oſculo Eidem Divinarum gratiarum plenitudinem apprecor. Straubingæ 17. Septembris 1621.

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ.

Humillimus in Chriſto Servus Fr. Hyacinthus.

Interea dum Roma ad haſce litteras partim lætabatur, partim ſpeculabatur, expulerunt Erneſtum Manſfeldium, in Fidem Catholicam, quam ſibi nativam turpiter deſeruerat, pari cum Friderico furore deſævientem, è Palatinatu, ac Hyacinthus Electoralis Inveſtituræ Diploma recepit. Silere de gaudio, quo hoc factum eſt, longè præſtat, quàm imperfectè id exprimere. Heidelberga, quam Maximilianus armis intravit, debuit eſſe novitatis præco, dum in Cathedrali, expulsâ Hæretici ritûs fece, perſonante hymni Ambroſiani cantu, & Hyacintho cum Sociis Domino Virtutum ſacrificium laudis litante, Maximilianus Bavariæ Dux, & dictus *Germaniæ Defenſor* præliminariter ſalutatus eſt Elector. Roma ut æquè ſuæ collatæ operæ, ac contritæ perfidiæ monumentum haberet, Hyacinthi ſuaſu celebrem Palatinæ Domûs Bibliothecam Papæ novus Elector in Donum miſit.

Functum apud Cæſarem tam glorioſè legatione ſua Hyacinthum non parùm turbavit nuntius, quod Madriti Dux Walliæ, comite callido Barone Simone Digby, ſub prætextu Matrimonii, dictum Ducem inter - & Mariam Philippi IV. Sororem concludendi appulerit. Technas hìc latere facilè advertit Hyacinthus, inde literas Pontificias, quas paulò ante receperat, incunctanter exequitur, per mare, cujus undas in ſinu Lugdunenſi naufragium minitantes oratione ſua compeſcuit, itinere accelerato. In Aula Madritenſi Anglicanæ aſtutiæ larvam intrepidè ſubtraxit; iter, cujus ſcopum Wallius connubium dixerat, doli medium Hyacinthus vocitavit. Illuſit aſſumendæ Religionis Catholicæ voto, quo ille conſilia aſtutiæ cooperuerat, & ab Anglicana Legatione non niſi hujus Religionis præjudicium quæri conſtanter tenuit; tenuit ab illa aliud non quæri, quàm, ut exauctoratus Regis Britannici Gener Fridericut honori & dominio ſuo reſtitueretur, & ſubſidia gentis & æris, hucuſque à Catholico Rege, Principum Catholicorum fœderi ſubminiſtrata, negarentur. Invenit annutum in medio Magnatorum penetrans, & Religioſa Hyacinthi ſuada, & præprimis in Eo mentis acumen obſtupuit Comes Olivares, ita, ut Hyacinthum, ceu *Virum magnum* paſſim & palam laudaret. Commovit quoque Regis animum eouſque, ut dato liberi ad ſe acceſsûs ordine, conceptam de illo æſtimationem firmaret. In ſignum confidentiæ, quæ Regiæ juncta erat venerationi, litteras Rex ei ſemel exhibuit, quibus noviſſimè glorioſum de Capucino Miſſionario, Algerii in odium fidei occiſo, portentum illi erat perſcriptum: portentum, inquam, quo, Capite palo infixo, lingua per 24. horas magnalia Fidei Sanctæ evulgavit, & abominationem Mahometiſmi objurgavit. Voluit quoque Rex, ut Hyacinthum, quem Legatum in Aula miratus erat, Apoſtolum etiam in pulpito tempore quadrageſimæ anni 1622. audiret. Obſecundat regiæ voluntati, & popnlo in plateis ob multitudinem congregato, ſemel ob ſpretas Eccleſiæ leges & Eccleſiaſticarum Perſonarum contemptum maſcula Regum germina nonnunquam deficere, aut Regna ad exteram gentem transferri prophetico, quem noſtrum ævum verificavit, prædixit ſermone. Hoc eodem tempore recepit Hyacinthus, quas exſpectavit diu, litteras, proprio Archiducis Leopoldi charactere exaratas, & ita ſonantes.

Chare Pater. Paucos ante dies duas à Reverentia Veſtra habui litteras, unam quidem ſub 22. Decembris, & aliam ſub 2. Februarii datam. Ex primis maximo gaudio ſuum in Hiſpania ſalvum appulſum, & proſperum negotiationis principium percepi.

Quod negotium Vallis Tellinæ attinet, ſignifico, quod Reverentia Veſtra per viam OEniponti, optimam notitiam cum totius negotii ſerie ſit habitura, ſperoque in Domino, quod res illæ felicem ſint ſortituræ terminum; cum toto orbe teſte aliud non quæram, quàm gloriam Dei, & Eccleſiæ ſuæ Sanctæ. Circa correſpondentiam Ducem Bavariæ inter - & me, Reverentiam Veſtram perſuaſam cupio, quod unicè quæram, ut plenè huic Principi ſatisfaciam, ſperans me eadem moneta ſolvendum, cum non deſint, qui Nos alios implicare contendunt.

Quoad meum connubium aliud non fiet, quàm quod convenit, & quod erit neceſſarium, ſperoque, quod ſicut R. Pater hucuſque meus fuit Protector, ita & talis ſit permanſurus, cum magis & clarius, quàm ullus alius, particulares meas rationes ſciat.

Res Alſatiæ cum turbido Manſfeldio procedunt, uti poſſunt, & non, uti deberent: Succurſum à nullo habeo, totumque pondus meis incumbit humeris. Rogo Reverentiam Veſtram, ut Domno Balthaſari, aliiſque principalioribus Miniſtris intimare velit, quod, ſi me adjuvare non ſtudeant, de perdenda Alſatia, Burgundia, aliiſque Regis & noſtræ Domûs Provinciis timeam, cum inimicus ſit fortior, quàm anno elapſo fuit, & defacto quædam valida loca, quæ munit, oppugnaverit. Inde ſi illius conſilia maturiùs non confundantur, ſors hujus anni pejor erit illâ anni proximè præteriti. Credat Pater, aliud non ſcribo, quàm quod verum eſt, & forſan minus, quàm aliis videatur. Deus conſervet Reverentiam Veſtram, & ego me ſuis Sacris orationibus commendo. Briſaci 14. Martii 1622.

Obediens Filius Leopoldus.

Lætus Madritò diſceſſit Hyacinthus, cum negotiatio optatum attigerit finem. Barcinonam fama Viri Apoſtolici & Sancti Eum ita præceſſit, ut importunæ devotioni publicâ concione ſatisfacere eum oportuerit. Talis ad hanc viſus eſt populi confluxus, ut pro danda accolis domum redeundi copia, portæ Civitatis uſque ad mediam noctem apertæ manſerint. Itinere Pragam traducto, Viennæ appulit, ubi celebrem doctumque Balthaſarem Peverellum, & à morbo corporis, ac à tabe animæ, ſeu Calviniſmo ſanavit; ac ab Epiſcopo Wratiſlavienſi ſequentes habuit Litteras,

Carolus Dei gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Wirtembergæ, Adminiſtrator magni Generalatûs Pruſſiæ, Magiſter Teutonici Ordinis per Germaniam & Italiam, Epiſcopus Brixinenſis & Wratiſlavienſis, Comes Tyrolis &c.

Reverende, Religioſe, Devote, ſincere Nobis Dilecte. Accepimus veſtras & quidem binas, diverſo tempore ad Nos perſcriptas Litteras, ex quibus erga Nos, & totam inclytam noſtram Domum Auſtriacam fidelem inclinationem, & ſinceram affectionem, quàm ſufficientiſſimè perſpeximus; & cum Nobis antea cognitùm, perſpectumque ſatis fuerit, Vos eò omnem nervum & vires intendere, quò prædicta inclyta Domus noſtra in dies nova incrementa aſſumat, & in immenſum excreſcat; viciſſim illud de Nobis polliceri poterit, Nos ſimili modo partibus noſtris non defuturos, quò veſtra illa benevola ſollicitudo erga Vos, & totum Sacrum Ordinem Archi-Ducali noſtrâ gratiâ recompenſetur, & clementiſſimè reſarciatur.

Cæterùm cum Nobis plura vobiſcum coràm, quæ calamo & papyro in hoc rerum turbine non concredenda, communicanda ſint, ideo à Vobis clementiſſimè requirimus, proximâ quâque oblatâ occaſione, & quidem, quantocius fieri poterit, ad Nos in Civitatem Reſidentiæ noſtræ Niſſam vos conferre velitis, ulteriora viva voce percepturi & tractaturi. In quem finem haſce adjunctas Agenti & Conſiliario noſtro Viennæ Antonio Negroni reddetis, qui ſufficientes ad præſens iter ſuppeditabit ſumptus. Quod vos celare nolumus, adventum veſtrum avidè exſpectantes. De cætero Vobis Archiducali noſtra gratia clementer addicti. Dabantur Niſſæ 18. Auguſti 1622.

Carolus.

An iter hoc ſucceſſerit, non reperio; Ratisbonæ econtra ad inſtantias Imperatricis Eleonoræ Gonzaga tempore, quo Eccleſia Adventum Domini commemorat, Hyacinthum Verbum Dei promulgâſſe, chartæ chronicæ teſtantur. Sonuit & tempore quadrageſimæ anno 1623, ibidem hæc eadem vox Dei, & quidem in magnificentia, cum Hyacinthus, præter Auguſtiſſimam Cæſaream Domum, primos Germaniæ Proceres, quos ratio novi Bavarici Electoratûs ultimatò concludendi ibi convocaverat, habuerit Auditores.

Quievit tandem & nonnihil cauſarum communium ſtrepitus, otioſus tamen in officio charitatis ne ſiſteret Hyacinthus, privatis incubuit commodis: populum Imperii à vario gravamine eximi, monetam ad antiquum valorem reſtitui, inveſtituram Marchionatûs Badenſis, loco proſcripti Palatini, Principi ejuſdem Familiæ Catholico dari, aut ſuaſit, aut effecit: Melchiorem Cardinalem Kleſſelium ab inglorio carcere liberavit, & Eccleſiæ Viennenſi, ac Cæſaris gratiæ, à Nuntio Apoſtolico, expreſsè Viennam miſſo, fruſtra prius ſollicitatæ, reſtituit; bona Eccleſiaſtica ab Hæreticis uſurpata, legitimis Poſſeſſoribus reſarciri: Calviniſmum, ceu Sectam, & Eccleſiæ & Politicæ magis exitialem, ex Statu Imperii eliminari: in ditionibus Principum Catholicorum ad exemplum Proteſtantium, unam duntaxat Religionem tollerari &c. indefeſſo clamavit zelo.

Ita dum Hyacinthus communi bono in Germania inſudavit, illud non minore ſolertia Lutetiæ Pariſiorum curavit celebris in Europa noſter P. Valerianus Magnus, de quo fuſior reſtat laudis materia, inter Bohemicæ Provinciæ Monumenta recenſenda. Redux inde tradidit Hyacintho reſponſorias Regis, quæ ſequuntur:

Pater Hyacinthe. Gaudenter P. Valerianum, Ordinis veſtri Alumnum vidi, & quæ mihi de publicis Chriſtianitatis negotiis expoſuit, percepi. Ad quæ illi mea recta & ſancta conſilia, unicè ad gloriam Dei, & bonum publicum tendentia ſignificavi. Illi committo, ut vos informet de iis, ac de ſingulari, quam de veſtra Perſona conſervo, exiſtimatione, nec non de gaudio, quo Litteras nomine veſtro mihi primo Septembris anni proximè præteriti porrectas excepi. Me de memoria, quam de me in veſtris precibus facitis, certiorem reddidit, & hanc pro Me continuari, gratum ſemper acceptumque erit. Deum pariter oro, Pater Hyacinthe, ut vos ſervet in ſua ſancta cuſtodia. Scriptum Lutetiæ Pariſiorum 1. Martii 1623.

Ludovicus.

Serena dum hinc inde illuxerat rerum facies, turbinem unicè adhuc timuit ab Aquilone, à Magna Britanniâ, cujus Rex Jacobus exilium ſui Generi Friderici duriore cenſurâ notabat, & callidam illius vindictam meditabatur. Inde varia Hyacinthus concepit pacis conſilia, quæ ſola Catholici commodi conditio reddidit Heterodoxis Aulis ingrata. Subtiliùs ut illa animum Regis intrarent, ſocium ſuum P. Alexandrum de Ales in Angliam legavit, itinerisque motivum, prætextu perſecutionis contra Catholicos Miſſionarios ſedandæ palliavit: ex quo ille Bruxellas perrexit, ut, ubi forum & campus ſilerent, ſacrâ Miſſione Templa & Aras curaret, vel commoda Eccleſiæ cum lucro Reipublicæ commiſceret.

Ex ſorte, quæ Urbanum PP. VIII. ad Vaticanum ſolium evexit, pollicebatur ſibi Hyacinthus petita ſacræ vitæ otia; at, dum Pontificiis litteris ſe Bruxellis firmari vidit, pronâ judicia Dei adoravit obedientiâ: de qua illico certiorem reddidit Nuntium Flandriæ, Archiepiſcopum Patraſſi Cardinalis Secretarius ſtatûs ſequentibus Litteris.

Pater Fr. Hyacinthus Caſalenſis Capucinus me informat, quod uſque ad ulteriorem Suæ Sanctitatis diſpoſitionem & ordinem ibi ſit permanſurus. Inde Dominationis Veſtræ laudi debetur prompta hæc obedientia,

ſicut

ſicut & Eidem ordinatur, ut hæc Suæ Sanctitatis ſenſa eidem Patri communic . Deus Eandem proſperet de bono in melius. Romæ 4. Novembris 1623.

Cardinalis Barberinus.

Conduxit Flandriæ incolatus Hyacinthi in ea prolongatus, dum Bruxellis inductâ 40. horarum Oratione fructum collegit, teſte Jacobo Bonetto, Archiepiſcopo Mechlinienſi, ab hominum memoria non auditum; Hyacintho plantante germinavit & ibi celebris Congregatio 40. Equitum Dominicæ Paſſionis, quam idem Mechlinienſis Præſul ſub patrocinio S. P. Franciſci ſequenti inſtituit diplomate:

Jacobus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis omnibus hæc viſuris ſalutem.

Inter multa, quæ RR. Patres S. Franciſci Minores Capucini ad Dei honorem & animarum ſalutem promovendam præſtant, eximius ſemper fuit fructus Orationis 40. horarum, quotannis pluribus locis ab ipſis celebratæ; at nunquam meliore ordine, & feliciore ſucceſſu in hiſce partibus, quàm nuper in hac Vrbe noſtræ Diœceſis opera Reverendi admodum Patris Hyacinthi Caſalenſis, præfati Ordinis Prædicatoris Apoſtolici, haberi vidimus, adeo, ut non tantùm Sereniſſima Hiſpaniarum Infans Iſabella Clara Eugenia, Tertii Ordinis S. Franciſci Filia piiſſima, totaque Vrbs iſta, ſed etiam vicini undique ſummis votis optent devotiſſimam iſtam ſolemnitatem omni ſtudio quotannis repeti. Cum autem in ea re multùm enituerit plurimorum Virorum Principum, atque Magnatum pietas, qui nomine Equitum Paſſionis Dominicæ, & Habitu humili Pœnitentium, ſpontè aſſumpto ordinem pulcherrimum præfatæ ſolemnitatis indefeſſo ſtudio in auxilium dictorum Patrum Capucinorum exactè ſervari curàrunt, & populo ad diligenter in loco Orationis, ſtatis cuique horis, & deſtinatis claſſibus conveniendum ante-ſignati fuerunt.

Nos etiam ſummopere deſiderantes tam præclara devotionis incentiva fovere, & ſatisfacere enixo hac in re deſiderio præfatæ Sereniſſimæ Infantis, per haſce litteras erigimus devotam Congregationem 40. Magnatorum Principum, ſive aliorum præcipuæ Nobilitatis, aut dignitatis Procerum, qui nuncupabuntur Equites Dominicæ Paſſionis ſub invocatione & Patrocinio Seraphici P. Franciſci, quorum ſtudium & officium erit tum, in genere diligenter quibuſcumque pietatis operibus pro ſua devotione incumbere, tum ſingulari modo P.P. Capucinis auxilio eſſe, ut Orationem 40. horarum quàm optimo ordine quotannis celebrare poſſint, in augmentum honoris & cultûs SS. Euchariſtiæ, & memoriæ Dominicæ Paſſionis, nec non ad promovendam Salutem animarum juxta modum, & formam præſcribendam, cujus Congregationis præfata Sereniſſima Infans ſe ſpecialem Protectricem declaravit. Vt autem hæc pietatis opera alacriùs obeamus, ſupplicamus, quantum poſſumus, Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ, ut gratias & Indulgentias, quas præfata Congregatio humillimis precibus petere intendit, concedere dignetur.

In cujus rei fidem haſce manûs noſtræ Subſcriptione & Sigillo munitas dedimus Bruxellis 13. Julii anno à Chriſti Nativitate 1624.

Jacobus Archiepiſcopus Mechlinienſis.

Memorant & grati Patres Oratorii, præſidio P. Hyacinthi, ſedem ſibi in monte ſeu colle Bruxellenſi fuiſſe poſitam, & id firmat Brabantia Mariana Wykſmans *pag.* 72. his verbis: *In colle aſpero ſeu acuto Bruxellis primum apud Belgas Oratorium ſeu Congregatio Presbyterorum Sæcularium in communi more Cleri primitivæ Eccleſiæ viventium à Jacobo Archiepiſcopo Mechlinienſi anno 1624. conſtitutum fuit Iſabellâ Clarâ Eugeniâ, Hiſpaniarum Infante imprimis favente, & P. Hyacintho Caſalenſi Capucino hortante, quem ut alterum Bernardum aut Capiſtranum omnes venerantur.*

Inter acerras, liba, & opera Eccleſiæ dum ita Hyacinthus deſudat, ad negotia Religionis & Imperii tractanda Urbanus VIII. Apoſtolico diplomate infra videndo, in Galliam, Hiſpaniam, aliaſque quaſcumque Provincias Eum denuo ablegat. Iter hoc antequam ſuſciperet, rediit ex Anglia illius Socius, P. Alexander de Ales, de cujus geſtis Apoſtolicus Flandriæ Nuntius ſequentia ad Cardinalem Secretarium Statûs perſcripſit.

Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine.

Elapſâ Septimanâ hîc advênit Fr. Alexander de Ales, Capucinus, Socius P. Hyacinthi, à quo ante aliquot menſes in obſequium Ducis Bavariæ fuit in Angliam miſſus, & ad cujus inſtantias ego illum variis commendationis Litteris ad D. Comitem Tilliers, Oratorem Galliæ, ibi reſidentem, alioſque Cleri Anglicani Aſſiſtentes munivi, quatenus probus agnoſceretur Religioſus. Recommendavi Ipſi pariter reductionem ad viam Salutis quorumdam illorum, qui ad illud regnum, ceu ad aſylum ſuæ fugæ, ſeceſſerant, quatenus cum boni operis molimine, tegeret ſui itineris motivum, cum P. Hyacinthus illum à ſe illuc ablegatum fuiſſe, ſciri non voluerit. Diebus duntaxat quatuor hîc cunctabatur, & illico diſceſſit Bavariam versùs, & inde Romam eum iturum credo. Retulit mihi hic Pater, quod habitâ aliquoties copiâ conferendi cum Regiis Miniſtris, & etiam ipſo Rege, hîc Patrem ceu Religioſum agnoſcens, & illum de his partibus veniſſe ſciens, de me, & de illa interpoſitione, quam apud Sanctitatem ſuam effici deſiderabat, & de qua, juxta jam alias Illuſtriſſimæ Dom. Veſtræ perſcripta, Comes de Argyle ex ordine Regio, mecum conferre incepit, locutus fuerit, affirmatque dictus Pater, quod Rex hujuſmodi commercium cum ſua Sanctitate habere ſummopere cupiat, mihique referre juſſerit, quod in ſuæ Beatitudinis reſpectum contra Catholicos, non obſtante rigoroſo Parlamenti edicto, cum moderamine ſit proceſſurus, ac alia quoque particularia ſubjunxerit, ab Illuſtriſſima Dominat. Veſtra oretenus à memorato Patre percipienda, caſu, quo à Duce Bavariæ, prout ille credit,

illuc ablegetur. Hac occaſione Illuſtriſſimæ Domin. Veſtræ annotatum volo, quod id, quod per viam Comitis de Argyle notum jam fuit, novo hujus Patris teſtimonio confirmetur. Bruxellis 27. April. 1624.

Placuêre Sanctæ Sedi hæ litteræ; & ideo Patrem hunc Romam vocârunt, reſponſo Illuſtriſſimo Domino Nuntio incunctanter, & ita dato,

Illuſtriſſime Domine.

Epiſtola Dom. Veſtræ ſub 27. elapſi data, abundè quidem diſcurſus, quos P. Alexander de Ales, Capucinus, cum Angliæ Rege tenuit, explicat, nihilominus illius hîc adventus charus erit, quatenus, quænam ſint arcana intelligentiæ cum Rege Angliæ ſtabiliendæ, ab eo vivâ voce percipiantur. Interim me ex corde commendo. Romæ 18. *Maii* 1624.

De diverticulo, ad quod hiſtoria nos traxit, regrediamur ad Hyacinthum, qui, dum Principem Mansfeldium è Germania, cujus olim Ulyſſes dicebatur, per cladem ſibi à Catholici fœderis Ducibus Wallſtain, & Tilly illatam, fœdè exulem, ex Anglia Pariſiis adveniſſe noverat, illuc & ſe pergere conſultum duxit, tum ſuppetias, quas pro Palatino in angulo Hollandiæ tunc latitante verſipellem petiturum eſſe ſuppoſuit, impediturus, tum nova rei Catholicæ commoda curaturus. Humanitas, quâ Armandus Cardinalis Richilieu, primus Regis Miniſter, eum exceperat, & tener amplexus, quo Rex illum ſalutaverat, fuêre felicis negotiationis prodromi. Rex ad partes pacis ſe inclinum declaravit, & articulos, ſub quibus illa generaliter concludi poſſet, dictavit. Confidentia, quâ Regem ſecum agere Hyacinthus vidit, addidit animum, ut Eum de exceſſu Venationis, & de hac die Veneris ſaltem linquenda, de bello contra Hugenottos continuando, de edendis contra Duellantes ſeverioribus edictis, de receſſu ab Acatholicorum fœdere, de Voto, quod pro gratia ſucceſſionis emiſerat, implendo &c., vel moneret, vel animaret. Quod, dum aliis forſan fuiſſet offenſæ ratio, fuit Ludovico altioris de Hyacintho concipiendæ æſtimationis occaſio: hinc, dum illum ſacrâ erga Reliquias Sanctorum cupidine ferri noverat, clavem Regii Sacelli ei obtulit, datâ, quod ſibi præplaceret, de venerabili theſauro ſeligendi, optione. Oculo duntaxat dum hac vice cor ſuum Hyacinthus ſatiavit, reliquit dubium, an in hoc caſu major fuerit Regis omnia dantis generoſitas, quàm Capucini nihil inde accipientis modeſtia? Facilitavit plurimùm Hyacinthi negotia noſter P. Joſephus à Tremblay, Pariſinus, qui, ſicut erat tunc Aulæ Regiæ Sydus, ſeu Polus, itafidus quoque erat illius Conſiliarius. Dimiſit tandem illum Rex datis ad Summum Pontificem litteris, quibus & Spiritum & merita Hyacinthi cumulatè commendavit. Sereniſſimus Lotharingiæ Dux Nanceii exſpectavit expreſsè vocatum; at, quæ urgebant, negotia illum ad partes Germaniæ properare volebant. Rhenofeldæ Archiduci Leopoldo ea, quæ Pariſiis acta forent, perſcripſit, &, ut jam occupatam Engadinam ſub S. Sedis dominio ſineret, rogavit. Piiſſimus Princeps conſilio acquievit, &, ut Hiſpani idem de Valle Tellina agerent, requiſivit, prout ex litteris ad eumdem P. Hyacinthum datis paret ſequentibus,

Reverende Pater. Cum præſentibus reſpondeo ad Epiſtolam Paternitatis Veſtræ ſub ſeptimo currentis Rhenofeldæ exaratam, declarando, quod res meas, loca à me in Rhetia recuperata concernentes in ſinu Suæ Sanctitatis remittere non graver, ſi tamen & Hiſpani, uti Paternitas Veſtra memorat, pariter & ſuas reſpectu Valtellinæ ita remittant, & Sanctitas Tua hujus negotii compoſitionem in ſe ſuſcipere velit. Pondus autem rei eſt, quod dubitem, an intra modicum tempus ſimus adhuc futuri in caſu & tempore, cum Galli aliâ, quàm compoſitionis, viâ incedant, prout Paternitatem Veſtram non latet, & prout melius in ſuo Romæ appulſu percipiet. De cætero laudo, quod mihi ſubminiſtrat, prudentiæ conſilium, grateſque refero pro Zelo, quem nonſolum pro Religione Catholica, ſed etiam pro meis propriis commodis exhibet; & tandem omnem felicitatem apprecor &c. Enſishemii 26. *Novemb.* 1624.

Leopoldus.

Interim dum Hæretici Rheti & armis Leopoldi, & conſiliis Hyacinthi ſe acerbius vexari videbant, vatiniano odio Capucinos agitârunt, illos verbis & factis ignominioſè affectos ex illorum terris expulerunt, ac Hyacinthum, cujus Perſonam impetere nequibant, in Confratribus vexârunt. Hoc tamen non effecit, quin Hyacinthus ſolitas hujus gentis technas Principibus exaggeraret, hoſque litteris ad opportuna remedia inſtigaret.

Exemplum honoris, quo Eccleſia Gallicana Hilarium, Epiſcopum Pictavienſem, de Dogmaticis contra hæreticos victoriis reducem excipiebat, æquam dixero decempedam plauſûs, quo Urbs, Orbis Domina, Hyacinthum de Germania in fine 1624. regredientem ſalutavit: alii ei de fructu Apoſtolico, quo Eccleſiam fœcundavit, applaudebant; alii de virtute, quâ nutantis Imperii rationes ſuffulſit, illi gratulabantur, alii admirabili Hyacinthi prudentiâ ſolidum Eccleſiæ deinceps cum Imperio commercium augurabantur.

Superavit omnes Summi Pontificis dignatio, qui, ſicut beneficia S. Sedi ab Hyacintho collata perfectiùs noverat, ita & illum gratiæ ſuæ argumentis effuſiùs cumulavit, ac ejus conſilia in gravioribus Pontificatûs negotiis exquiſivit. Hæc ſicut ſcaturiebant à Spiritu, ita intrepida illa ſociavit libertas. Minus illa Reverendæ olim placuêre Cameræ, dum ob exorbitantes expenſas Militem ſuum è Valle Tellina revocare cogitabat: at Hyacinthus certam malorum inde ſequentium ſeriem prævidens, militem ibi, coacto ab ipſis Rhetis ære firmari, ac hoc medio & Sanctæ Sedis honorem, ac novi belli periculum evitari, tenaciùs inſtitit. Clamavit & altius, dum eundum Militem novo adauctum, aliò deſtinatum audivit, & infelicem, qui evênit, ſucceſſum, pari libertatis zelo prædixit. Odium & invidiæ ſuſurros, quos veritas peperit, charitas, quæ patiens eſt, cum merito ſuſtinuit.

Eodem tempore agebatur in Alma Urbe Jubilæum anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimiquinti, in cujus initio crebriores Hyacinthus accepit litteras, quarum aliquas tum in beneficium hiſtoriæ, tum ad majus lumen de merito & virtute P. Hyacinthi hîc addere non ingratum fore reor. Harum primæ fuêre illæ Auguſtiſſimi Imperatoris Ferdinandi ſub tenore ſequenti:

Reve-

Reverende Pater. Gratæ mihi fuerunt Reverentiæ Veſtræ Litteræ, quibus bona & fauſta mihi Feſta Natalitia precatur. Agnoſco inde ſolitam in Me,& Auguſtam Domum meam ejus,obſervantiam & devotionem, quam ut libenter continuet, atque in piis precibus & ſacrificiis ſuis Me, & Mea ac ſatis afflicta rei Chriſtianæ negotia hoc ſacro Jubilæi tempore commendata habeat, gratiam & benevolentiam Cæſaream Reverentiæ Veſtræ, ac Religioſo ejus Ordini offero, ac felix viciſſim hujus anni auſpicium, ac progreſſum precor. Datum Viennæ die 25. Januarii Anno Domini 1625.

Ferdinandus.

Alias & ſequentes habuit ab Archiduce Leopoldo.

Reverende Pater. Reddo Reverentiæ Veſtræ grates pro notitiis per Litteras, ſub 29. menſis elapſi exaratas mihi communicatis, magis autem pro officiis, quæ tam humaniter in meo Montis Regalis negotio impendere adpromittit. Si diſcurſus Reverentiæ Veſtræ de rebus currentibus ita ſortem executionis nanciſceretur, ſicut eſt prudenter formatus, foret ille verum efficaxque contra præviſas calamitates remedium. Rogo, ut Litterarum commercium proſequatur, & quod mediante D. Agente Ei elapsâ poſtâ recomendavi, cordi habeat. Interim à Deo O. M. Reverentiæ Veſtræ ſalutis conſervationem cum omni majore proſperitate apprecor. Enſiſhemii 19. Februarii 1625.

Leopoldus.

Alias ab Archiepiſcopo Salisburgenſi.

Admodum Reverende Pater. Beatiſſimus Pater ſanctè procurat extinguere ignem, Italiæ ruinam minitantem; nam, præter alia belli incommoda, introductio populi extranei facilè ſemen hæreſeos ſpargere, & noſtram S. Religionem turbare poſſet. D. Cardinalis Barberinus ſua prudentia, bonorum & practicorum Miniſtrorum, abſque dubio ſecum conducendorum valore ſociatâ, opportunam nactus eſt occaſionem gloriam de mundo & coronam de Cœlo ſibi comparandi. Paternitas Veſtra continuet zelari pro Eccleſia Sancta Dei, & non obliviſcatur Mei in ſuis ſanctis Orationibus, dum Ego Eidem cuncta proſpera precor. Saliſburgi 13. Martii 1625.

Archiepiſcopus Salisburg.

Partim ejuſdem argumenti, partim potioris momenti fuerunt aliæ ab altefato Leopoldo denuo & ſub hoc tenore receptæ:

Reverende Pater. Teneo Litteras P. Veſtræ ſub 1. currentis datas, gaudeoque quod invenerit contracifram, intellexeritque, quod in cifra perſcripſi. Summè quoque mihi placet reſolutio Legationis D. Cardinalis Barberini; res autem jam in eo hæret termino (prout & in ſpecie, tum ex continuo belli apparatu, tum ex inceptâ jam Reipublicæ Januenſis invaſione, tum ex factionibus circa Chiavennam & Rivam exortis, tum ex publica voce, in his partibus ſparſa, quod Galli quantocyus Palatinatum ſint invaſuri, manifeſtè patet) ut dicta Legatio, quantùm poſſibile erit, debeat accelerari, & non differri. Accedo conſilio Paternitatis Veſtræ, quæ & Sanctitatem Suam deſuper informabit, eidem ſuggerendo, quod, ſi res quamprimum non accomodentur, forſitan nunc magis, quàm unquam aliàs Sancta noſtra Religio in Germania periclitetur, Eadem occaſione P. Veſtra non omittat Sanctitatem Suam de zelo, quem ſemper monſtravi, & ſemper effectivè, quantùm potero, pro quiete publica, & ejuſdem Religionis incremento monſtrabo, convincere, quemadmodum & ſimili tenore D. Cardinali Barberino, qui me ſuæ prædictæ Legationis certiorem reddidit, opportunè reſpondeo.

Quantùm concernit diſcurſus à P. Veſtræ ſocio in Anglia cum Oratore Veneto habitos, ob quos Viennæ rumor & motus factus eſt, aliud reponendum non occurrit; quàm quod ſemel rationibus, à ſocio patefactis, omnia ſint quieti danda. Quod autem tangit Paternitatem Veſtram facilè ſibi perſuadere poteſt, quod, non obſtante quocunque præſuppoſito, Eam in eo teneam conceptu, quem ſua Profeſſio, ac fidelis & ſpecialis affectus, quo erga Auguſtiſſimam noſtram Domum, & erga meam Perſonam peculiariter ſemper ferebatur, merentur, cui & à Deo vera & continua precor ſolatia. Ruffaci 25. Martii 1625.

Leopoldus.

Fuit & eodem anno crebrior Perſonarum diſtinctæ notæ ad Hyacinthum confluxus, celebriorque fuit acceſſus Regii Sveciæ & Poloniæ Principis, quem inter et Hyacinthum arctum poſtmodum viguit litterarum & negotiorum commercium.

In negotiis tamen Eccleſiæ Militantis non ità Hyacinthus ligatus manſit, quin & operosè de Eccleſia triumphante cogitaret, hujuſque gloriam novo Beatorum & Sanctorum numero ex S. Ordine adaugeri curaret. Laboravit pro accelerando cultu S. Felicis, B. Joſephi à Leoniſſa, B. Seraphini à Monte Granario, & Ven. Dei Servi Laurentii à Brunduſio, & proceſſus de Serva Dei Paſſithea, Monialium Capucinarum pluribus in Italiæ locis Fundatrice, auctoritate ordinaria confectos, à S. Rit. Congregatione revideri quæſivit. Eo ipſo quoque,quod jubilæum hoc anno è Catholico mundo ampliſſimum Peregrinorum confluxum ad Sanctuaria Romana cieret, tres Eccleſiæ,videlicet illa S. Trinitatis Peregrinorum, alia S. Mariæ in Navicella, & ultimò Baſilica S. Laurentii in Damaſo Hyacinthum ſuum certatim ambiebant Concionatorem; facilè autem hæc in zelo vicit, cum fuerit Cardinalis Ludoviſii,Ordinis Protectoris, Eccleſia Titularis. Concordavit ſpei & concurſui fructus, & Hyacinthus rediit ad Religionis negotia. Cumque mœſta tempora mediâ pace beari, & Regem Sveciæ ac Poloniæ opportunum Mediatorem eſſe poſſe autumaret, enixas & iteratas ad hujus Filium Uladislaum Sigiſmundum dedit litteras, qui & ad eas repoſuit, ut ſequitur.

Venerande Pater in Chriſto. Recepimus Epiſtolam Pat. Suæ cum cifra annexa, quæ nos de circumſtantiis Perſonæ, quæ Romæ ob tractanda negotia Pat. Suæ nota morabatur, certiores reddidit. Circa ſtimulum, quem dat, quatenus Sua Majeſtas D. Patris mei negotio pacis inter utramque Coronam ſeſe intromittat, tractavi cum eadem Sua Majeſtate, quam autem, ſi litteræ efficaciſſimæ non ſuperveniant, parum propenſam reperi: hoc autem facto, id, quod petitur, fieri, & Sua Majeſtas, ut optatur, ſeſe immiſcere poterit.

Quoad negotia Valtellinæ, nihil nobis conſtat, credimus tamen, quod, ſi Pat. S. inſimul cum Litteris interceſſoriis, ut Sua Majeſtas in prima cauſa ſeſe interponat, ea Nobis perſcriberet, hoc ipſum Suæ Majeſtati ad reſolutionem facilius capiendam calcar addere poſſet; quamvis etiam ſine hoc punctualem notitiam Nobis dari optemus. Magis diſtinctè Eidem ſcripſiſſemus; cum autem ſupellectilem noſtram & cum ea tabulam ſcriptoriam, in qua cifra noſtra clauſa eſt, ante aliquot dies ad locum, ubi noſtra deinceps habitatio erit, ablegaverimus, reſiduum ad noſtrum ibi appulſum differre cogimur. Interim Nos ſuis S. Orationibus devovemus. Varſaviæ 3. Julii 1625.

Vladislaus Sigiſmundus.

Quibus litteris eodem menſe ſuperaddidit & alias ſub hoc tenore:

Venerande Pater in Chriſto. Tempore, quo noſtrum Nuntium Viennam ablegavimus, ſupervenêre duæ Pat. ſuæ epiſtolæ, una ſub 26. Aprilis cum cifra, & alia ſub 25. Maii data: cum autem extensè ei ſcribamus per noſtrum celerem Nuntium, expreſsè hunc in finem in Italiam expeditum, in hiſce ad aliud Nos non extendimus, ſolùmque rogamus, ut minutim Nos de iis, quæ ſuccedunt, ipſique continuò nota ſunt, certiores reddat. De cætero, cum in litteris, quas de dicto noſtro Nuntio recipiet, completa eorum, quæ occurrunt, contineatur relatio, impræſentiarum aliud non exopto, quàm, ut me Sanctis ſuis orationibus commendem. Galubiæ 16. Julii 1625.

Vladislaus Sigiſmundus.

Flamma diſcordiarum, quæ diriùs ſemper in Germania ſæviit, ut tandem ſedaretur, de cogendo Principum conſeſſu denuo agebatur, de quo dum Hyacinthus Sereniſſimum Archiducem informavit, ab hoc ſequentes Reſponſorias percepit.

Rev. Pater. Redditæ mihi ſunt diverſæ, quas ad me dedit Reverentia Veſtra, litteræ, præſertim autem poſtremæ 19. & 26. Julii ſcriptæ, ex quibus ea, quæ ad Me tum in publicis tum privatis renuntiat, abundè percepi. Pro communicatione, quas debeo, gratias habeo, &, ut illa à R. V. deinceps etiam frequentetur, exopto. Super illius Miſſione ad Conventum Deputatorum Principum, qui mihi non modò nulli penitus offenſioni, ſed omnino gratiſſimus, meoque judicio bono publico expedientiſſimus erit, non pridem reſpondi; interea temporis litteras ad manus ipſius perveniſſe ſpero. Deum autem præpotentem omnibus votis exorandum puto, ut ſemina diſcordiarum, quæ inter potentiſſimos Reipublicæ Chriſtianæ Principes jacta ſunt, cito extingui & evaneſcere velit, ne radicibus altiùs actis tandem in apertum erumpant, & unà cum ipſis auctoribus totam Chriſtianitatem in extremum rerum diſcrimen præcipitent. Quod reliquum eſt, Reverentiæ veſtræ ſolita gratiæ propenſione, ut ſemper, inclinatus exiſto. Datum Paſſavii 26. Aug. 1625.

Leopoldus.

P. S. Heri appulerunt PP. Romanus, & Valerianus, qui cras mecum, unus quidem Viennam, alter verò Lincium, tendent: quod à P. Veſtra fuit commiſſum, ab iis mihi relatum eſt. In adventu meo Viennæ omni, quo potero, conatu, notum negotium Imperatori commendabo.

De Foro traxit Eum denuo annus milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus ſextus ad Evangelum Dei, quod in Regia Parthenopenſium Civitate prædicare Hyacinthus debuit: fructum ibi collectum ipſemet Patri Nicolao Pauli à Verona, Caſalenſis Oratorii Presbytero, his encomiavit verbis: *celebravimus 40. horarum Orationem tanto fructu ac hujatis populi ædificatione, forſan majore, ac olim Mediolani viſa fuit. Principes 40. Sacco pœnitentiæ induti fuêre ſodalitatum & Parochiarum Ductores &c.* Prodigia converſionum in juridica & publica acta fuêre congeſta, & Mons Agonizantium, in Eccleſia S. Mariæ Ancillarum ad Altare Crucifixi ab Illo inſtitutus, eſt perenne Apoſtolici zeli monumentum. Vanitatem obſequii, quam Civitas parabat, vitaturus clam mare conſcendit, & Signo Crucis huic malaciam reſtituit.

Reducem Neapolis à Papa poſtulat, & Roma ſibi tunc proprium voluit; voluit ſuum in illo tempore tribulationis Conſiliarium. Hæreſis Germaniæ ſuæ phalangis Architalaſſum ſelegit Chriſtianum IV. Danorum Regem, & illius contra Cæſareos præpotentia incuſſit æquum exitialis ſortis timorem: Solus Hyacinthus B. V. Mariæ præſidio fretus, animat Litteris Principes contra Spem in Spem, & Maximiliano Duci & Electori Bavariæ certam ſpondet victoriam: augurium ſuſpectum reddebat temporis calamitas, ſpem tamen chariſſimi triumphi Dux ex aliarum prædictionum exemplo præſumpſit, & ex ſtrage, qua hæreticorum agmen fuit diſperſum, & Danus in fugam actus, ſe in illa non confuſum fuiſſe, extollens manus ſuas in altum faſſus eſt.

Tripudians Roma, ut hæc felicitatis præludia, Hyacinthi opera fœcundet, & rei Catholicæ ſyſtemata ſecundet, illum denuo & Legatum & Miſſionarium Apoſtolicum in Germaniam deputat. Obediens excipit Urbani Oraculum & Archiducem Leopoldum deſuper illico informat, qui & de concepto propterea ſolatio Hyacinthum erudiit epiſtolâ ſequente.

Reverende Pater. Peculiari gaudio ex litteris Reverentiæ Veſtræ ſub trigeſimo menſis proximè elapſi ſignatis intellexi, qualiter denuo in Germaniam redire eam oporteat: & dignè, tum, quod validam ſuam Virtutem, otioſam (uti voluit) in tantis anguſtiis, præſertim Chriſtianitatis, manere non expediat, tum, quod & ego ipſe ſummopere illam videre & de plurimis cum ea diſſerere cupiam.

Quoad Me, crediderim, quod Reverentia Veſtra foran adhuc per duos vel tres menſes hic me ſit repertura; quantumvis enim in dies reſolutio de Congreſſu indicendo certa exſpectetur, illud tamen tam citò fieri poſſe non videtur, cum apparatus, qui neceſſariò præcedere debent, necdum facti ſint. Precor Deum, ut Reverentiam Veſtram felicem conſervet, & me ſuis Sacrificiis & Orationibus ſolito affectu commendo. Oeniponti 13. Junii 1626.

Leopoldus.

Inde actis in Curia agendis, appensâ ad pectus lignea Jeſu Crucifixi Imagine, ſumptoque in manus baculo Apoſtolicus Legatus, & Seraphicus Athleta, Romæ lætus valedicit, plurimos tamen mœrore replevit, dum in ipſo diſceſſu D. Vincentio de Rubeis, Prothonotario Apoſtolico, quod faciem ejus non amplius eſſet viſurus, prædixit: in ingreſſu Conventûs noſtri Januæ Fr. Honorium Januenſem, Laicum, à febre maligna, factis ad Beatam Virginem Mariam precibus liberat: in colloquio cum illius Familiæ Patribus habito, imminentia Italiæ infortunia, Regno Neapolitano terræmotum, & ex ſinu Veſuvii excurſum bituminis, contagium Statui Eccleſiaſtico & Ducatui Mediolanenſi, Januæ verò rebellem motum &c. inter uberes lachrymas prænuntiavit. Parmæ tandem dum in obſequium Sereniſſimi Ducis, inſtigante Emo Cardinale Aldobrandino, laudes D. Auguſtini de pulpito declamat, calorem dictionis internum æſtu Caniculari, & populi confluxu magis intendente, violentâ febri corripitur, in quartanam poſtea converſâ. Aëris nativi beneficium ſuadent Medici, ad quod & æger ſollicitè transfertur. Interim dum nuncius de ſorte regreſsûs Germaniam gaudio replet, & Principes tam ſibi, quàm Hyacintho deſuper gratulabantur, malum febris acceſſione aliarum, quibus conflictari ſolebat, indiſpoſitionibus, uſque ad periculum exceſſit. Medici ut ſalvent Summo Pontifici, Cæſari, Principibus &c. charum, & Eccleſiæ utilem Virum, nihil intentatum relinquunt; cumque diſtantia noſtri Conventûs ab urbe illorum acceſſum, præſertim rigente tunc hyeme, redderet difficiliorem, ad RR. Patres Congregationis Oratorii illum tranſportari conſultum duxêre. Reſtitit primò quidem Hyacinthus, & à Fratribus ſui Ordinis avelli noluit; at, dum Patres prædictos ſuæ virtutis Filios recogitavit, aliàſque voluntatem Superioris, Medicorum conſilio acceſſiſſe meminit, alacri obedientiâ concluſæ tranſlationi conſenſit. In vanum autem Chirurgia & Pharmacia miſeriis terræ ſervare ſtuduêre, quem Deus Cœli deliciis maturum decrevit. Sacras Reliquias, quarum inſignem copiam Patribus Oratorii reliquerat, ſibi æger applicari noluit, ne vita, quam ab unica Dei voluntate dependere voluit, prodigio & quadam pietatis vi ſervaretur: Dumque hujus ſpem evanuiſſe Medici concludunt, ille nuntium mortis hilaris excipit, cum Regio Pſalte in Cygneas illas voces prorumpens; *lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus.* Ivit anno 1627. die 18. Januarii, in Dypticis Religionis Cathedræ S. Petri, pro cujus gloria ſacrificium ſudoris & ſanguinis ſemper paratum habebat, ſacro. In Domo Domini illum vidit, & vidiſſe cum juramento depoſuit Maria Franciſca Muzza, S. P. Franciſci Tertiaria, & ſanctæ notæ in Civitate Januenſi Mulier: vidit hæc in extaſin rapta animam Hyacinthi candidâ luce amictam & inter Seraphim canentem: *in candore lucis æternæ miſericordias Domini in æternum cantabo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

Vidit & alia Loci Camajore in Tuſcia Monialis, cujus vitam pariter Sanctitatis fama celebravit, turbam Beatorum ad Paradiſum tendentem, & in ea P. Hyacinthum, qui illam ſic alloquebatur: *noſcis me Filia? ego ſum Fr. Hyacinthus à Caſali, qui ante 4. dies ſpolia mortalitatis depoſui in terra, & jam Paradiſi poſſeſſione fruor: recordare eorum, quæ tibi in tranſitu meo per Camajore facienda conſului, & in Cœlo magnam deſuper recipies mercedem gloriæ.*

Crebreſcente per Civitatem Caſalenſem mortis famâ, dictu facile non eſt, quantus fuerit populi inopino caſu perculſi motus! omnes paſſim ad Patrum Oratorii Eccleſiam currebant, alii, ut flexibilis Cadaveris portentum mirentur, alii, ut faciem, ridentis formam exhibentem cernant, alii, ut odore Suavitatis, quod Cadaver diffudit, reficiantur, & alii, ut vel attactu Cadaveris ipſorum Roſaria virtutem Spiritualem capient, vel aliàs partem de diſſecto trino Habitu ſibi procurent. Jacuêre venerabilia exta in Eccleſia noſtra, ad quam ex ipſa Defuncti diſpoſitione deferri debuêre, uſque ad tempus, quo bellicus furor, dum totam Provinciam devaſtavit, noſtrum quoque Conventum ſolo æquavit. Inde illa ad dictos RR. Patres reportari, timor aut jacturæ, aut aliàs diſperſionis ſuaſit. Juxta pactum poſtea ab iis recepta, in nova noſtræ Domûs Eccleſia impræſentiarùm quieſcunt, cum epitaphio: *hic jacent oſſa M. R. P. Hyacinthi Nattæ, Caſalenſis, Capucini, virtutibus, & prædicatione toto orbe celeberrimi, qui obiit Caſali XVI. Kal. Februarii MDCXXVII. ætatis ſuæ annorum LIII.* Sanguis econtra jam ultra unius ſæculi ſpatium floridus, vitreæ incluſus ampullæ, in Sacriſtia ejuſdem noſtræ Eccleſiæ conſervatur, imago autem illius, æneæ tabulæ inciſa, fuit per totum orbem diſperſa, cum hoc elogio: *R. P. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, ſanctitate, zelo, ſermone in arduis, & in adverſis mirabiliter lucens, ardens, potens, fortis, ac patiens, Deo dilectus, & hominibus, pro Chriſti Eccleſia hæreticos, Mundi Politicos, ac Rectores oppugnans, vincens, & triumphans, fidelis ſervus & prudens obiit anno ætatis ſuæ 53. Religionis 27. 18. Januarii 1627.*

Ex Civitatis Caſalenſis cancellis erupit illico luctus in fora & compita, & penetravit uſque ad primas Europæ aulas. Planxit Defunctum Summus Eccleſiæ Paſtor Urbanus VIII. & fidelem utilemque Miniſtrum in eo ſe perdidiſſe doluit. Uſque ad impatientiam quaſi, primus mœroris motus in Cæſare Ferdinando III. exceſſit, dum, quæ ex Hyacinthi adventu, proſpera eventura credidit, cum illo jam funerata, & Germaniæ ſpem cum deſperatione confuſam advertit. Leopoldus Archidux, Frater Cæſaris, Uladislaus Sveciæ & Poloniæ Regis Filius, ac alii Principes dolori ſuo univerunt ſpem, quod in Cœlo jam Interceſſorem teneant, quem in terra Conſiliarium coluêre, exemplum ſectantes Sereniſſimi Principis & Electoris Colonienſis Ferdinandi, qui ad Præpoſitum & Patres Oratorii Caſalenſis dedit litteras, æqui ſui luctûs ac gaudii indices, ſequentes:

Reverendi Patres: Intimo doloris affectu ex Litteris RR. Veſtrarum Sanctam mortem P. Hyacinthi percepi, partemque magnam communis luctûs, quo ob tranſitum pii eorum Fundatoris afficiuntur, ſumpſi; inde, dum de celeri hujus & tantæ jacturæ notitia affectuoſas refero grates, ſpem conſolationis concipio ex certo lucro, quod in Cœlo fecimus &c. Bonnæ 28. Feb. 1627.

In doloris lenimen Sereniſſima Bavariæ Domus replicatis litteris Memoriale de rebus ad uſum ab Hyacintho habitis popoſcit, & ſigillatum in Scrinio ejuſdem Roſarium & Crucem (plurium prodigiorum inſtrumenta)

recce-

recepit. Celebri exequiarum officio parentârunt plures Eccleſiæ,ut fructum Apoſtolicum, quem inter illarum parietes Hyacinthus cumulavit,digno compenſent ſuffragio. Paſcebatur aliorum mœror ſilentio,ut, dum quid hic loqueretur, non reperiret, animum crudelior aſſligeret. Hinc inde miſcebatur leſſus cum laude, ei, dum illo Hyacinthum intempeſtivo fato ſibi ereptũ plorârunt, hâc,dum ab eo vivum geſtiebant relictum exemplar Virtutis.

Verè hæc magna in Hyacintho fuit, cùm fuerit fundata in nihilo, quod & ſe & ſua ſemper reputavit, in hoc, juxta D. Bernardi regulam, duntaxat ſuperbus, quod aſcititias famæ & vocis laudes contemneret. Majeſtas legationum & actionum non læſit in illo humilitatem, ſed econtra mutuo inter ſe rubore compenſabantur, nam dum illa humilitatem exaltavit, hæc Majeſtatem decoravit. Dum Ferdinandus Imperator, Uladiſlaus Regius Princeps, Leopoldus Auſtriæ Archidux, Electores, Principes &c. vel illius ægrotantis cellam acceſsêre, aut aliàs Eum negotiorum ergò convenêre, ſuo indignatus eſt merito, eò quod ad tam ſublimem eum perduxiſſet æſtimationem. Copulavit humilitati individuo nexu Paupertatem Religioſam, qua verè ſeſe exinanivit. Ipſa Pontificia diſpenſatio, infirmi corporis conſtitutio, itinerum moleſtiæ, negotiorum gravitas, Regumque ac Principum cumulatè ei miſſa munera rigorem Paupertatis nonnihil aliquoties laxari ſuadebant; legis & voti ille tenax, ſeverâ nauſeâ abhorruit corporis commoda, rerum mundanarum crepundia viriliter ſprevit, ac ipſum quoque affectum exquiſitâ quoque rerum aliàs neceſſariarum inopiâ compeſcuit; hinc in illius cellâ,præter devotam Jeſûs Crucifixi imaginem, Sacræ Scripturæ Codicem, ligneum cochlear, cultellum quotidiano menſæ uſui ſervientem, ac lectum paleis ſtratum aliud videre non licuit. Horum penatum figuræ concordavit veſtitus, qui quidem mori Ordinis communi fuit conſentaneus, ac ex rudi panno confectus, in hoc tamen erat ſingularis, quod aſſuta petia, quorum quædam in illius pallio, in noſtro Caſalenſi Conventu religioſè ſervato, adhuc videntur, illum redderent aſperiorem.

Duplex hæc Humilitatis & Paupertatis virtus, fuit felix illa baſis, ex qua ſurgebat altum & varietate decorum virtutum ædificium, cujus compagem Hyacinthus Oratione & Labore contra caſum tenuit illæſam. Dirigebatur oratio ejus ſicut incenſum in conſpectu Domini, & quantumvis negotia ſpiritum ejus diſſipare debuiſſent, nihiloſecius mirâ temporis partitione illa fecit, & hunc non omiſit: dumque in Aulis Principum degebat, duæ erant fixæ horæ, orationi duntaxat deſtinatæ. Tenerior fuit devotio, qua ſe cultui B. V. Mariæ dicavit: Nomen Mariæ fuit in ore Hyacinthi oleum, quod in gentes pio ſemper præconio fuit effuſum: Virtus Mariæ fuit in corde Hyacinthi theſaurus, quem fida imitatione cuſtodivit: fuit Roſarium Mariæ in manu Hyacinthi validum illud ſcutum, quod hoſtium furori objecit. Omne, quod ſub Mariæ nomine quæſitum eſt, dedit, qui ſine Maria nihil habere voluit. Devotionem erga Eam, ut redderet perpetuam, Monferrati in Monte, quem *Crea* vocant, in memoriam gratiæ, qua B.V.Maria ſuo nominali Patrono,D.Hyacintho,olim apparuit, Sacellum ex Benefactorum elemoſynis conſtrui curavit. Induxit & in Patria Regentes Miſericordiæ, ut gratum animum ob beneficia à Matre Miſericordiæ continuò recepta, conſtructo in pauperum ſublevamen Templo monſtrarent. Mariam Principibus Terræ æquè Sulamitem fortem ut Caſtrorum aciem ordinatam, ac potentem Pacis Arbitram, ac populo Advocatam & Parheno-Matrem ſcriptis ac dictis commendavit, inde & Apoſtolus Marianæ devotionis ubique audiit.

Non ſeparavit à pio Mariæ cultu illum erga ejus Sponſum, D. Joſephum: penetravit nubes oratio, qua Hyacinthus tempore, quo res Eccleſiæ vacillabant, imploravit auxilium de Sancto, & certa ſibi & aliis præſidia ſpopondit ab eo, quem ex omni carne à Deo electum meminit, effecitque, ut Joſephus Coppa, Caſalenſis, Conſervatorium nomini hujus Sancti Sacrum pro puellis orphanis in patria fundaverit.

Ingenita fuit Hyacintho pietas, erga D. Carolum Borromæum, & Seraphicum Patrem Franciſcum, quæ & illum impulit, ut eos ab Urbibus & Oppidis in Patronos Tutelares ſeligi, eorumque Statuas in Eccleſiis collocari ſuaderet. Nec ſtitit in interno affectu devotio, qua DD. Philippum Nerium, & Hyacinthum coluit, ſed & opere eam firmavit externo, primo, Domos Bruxellis, Mantuæ, & in patria &c.conſtrui curando, alterius cultum altiore Officii ritu in Curia Romana promovendo, ac utriuſque Virtutem ſtudioſa imitatione æmulando.

Tempus Orationi ſuperſtes in Conventu labori fuit impenſum: vili otio tabuit nunquam Hyacinthus, ſed dum os & cor ſiluit, calamus laboravit, hinc ab eo varium ſui ſtudii habemus fœtum, cum typis cuſum, tum manu ſcriptum. De typo habetur.

Cenſor Chriſtianus de Italico in Gallicum idioma verſus.
Tractatus de Paupertate Religioſa.
Conſiderationes de deformitate & gravitate peccati.
Documenta utilia & neceſſaria variis hominum ſtatibus, & conditionibus.
Oratio in laudem S. Caroli Borromæi in Metropolitana Mediolanenſi habita die, Sancto Archiepiſcopo Sacrâ.

Alia opera manu exarata, quæ in Archivis Illuſt. DD. Marchionum Natta, & RR. Patrum Oratorii Civitatis Caſalenſis conſervantur, ſunt

Politica Chriſtiana.
Quæſtiones & reſponſa Juriſprudentiæ Canonicæ & Civilis, nec non *Theologiæ poſitivæ Scholaſticæ, Moralis, & Dogmaticæ.*
Fragmenta conceptuum prædicabilium.

Virtutem ita Sanctè fundatam, & ita providè munitam complevit Hyacinthus coronâ Charitatis. Sibi ipſi olim indignabatur, dum verba *Vivat Fides, vivat amor Dei*, cortici cucurbitæ inciſa, in flores excreviſſe poſt paucos dies vidit, dumque Charitatem in re inanimata creſcere ſtupuit, in corde ſuo illam languere poetica à ſe facta cantilena ingemuit, ſtimuloque ſibimetipſi dato exactiores Charitatis exercendæ leges ſibi præſcripſit. Perfectam hanc in illo nituiſſe convincitur, quicunque eam dotibus, quas Magiſter gentium Paulus in epiſt. 1. ad Corint. c. 13. recenſet, inſignitam fuiſſe, ex ſerie vitæ reflectit; nec poterat illa eſſe major, cum animam ſuam pro amicis & inimicis ponendi par in illo fuerit cupido, ac molimen.

In vanum proin quæſiêre Virtutem tantò ſublimem invido morſu lacerare ii, quorum labia fuêre doloſa, & ve-

& veneno aſpido turgida, nonniſi augendi meriti anſam exin Hyacintho præbuère, qui memor moniti, quod D. Auguſtinus lib. de Paſt. c. 26. nobis reliquit, *ad chriſtianam firmitatem pertinere* tenuit, *non ſolum operari, quæ bona ſunt, ſed etiam, quæ ſunt mala, tolerare.* Vivet illa in Sæculorum memoria, habetque vindices & teſtes in Scriptoribus & Libris, qui eam encomiant, & inter quos ſunt noſter P. Marcellinus Mantiſconenſis tom. 3. annal. fol. mihi 673. & ſeq. Legendarium Franciſc. edit. 3. ad diem 12. feb. tom. 2. fol. mihi 206. Annales Provinciæ Liguſticæ, & Manuſcripta Romam pro prælo miſſa. Menologium Franciſc. ad diem 4. Febr. fol. 504. Wadingus de Script. Ord. Min. fol. mihi 179. P. Maſtalloni Carmel. tom. 1. Serm. Roſſetus in Syllabo Scriptorum Pedemont. Octavius Boſſus in collecta Epiſt. Select. P. Gravina Ord. Præd. l. 4. in Voce Turturis: Ardinghellus in append. vocis congeminatæ Turturis, oſtenſ. 4. ubi dicit: *R. P. Fr. Hyacinthus Caſalenſis, á Gregorio XV. ad omnes Chriſtiani Orbis Principes Nuntius deſtinatus, illud aſſecutus eſt à Cæſare, ne ullo modo pax cum Palatino concluderetur; quare inde tantæ fuerunt reportatæ victoriæ, inde Calviniſmi ex Imperio ſecuta depulſio &c.* & Paulus andreozzi Can. Reg. Lateran. *Capellam S. Hyacinthi in vetuſto templo Montis Caſalenſis, Crea nuncupati, in quo Imago B. V. Mariæ à S. Luca Evangeliſta ſculpta pio populi concurſu colitur, collecto à P. Hyacintho ære ædificatam meminit.* Habet & ſui remuneratorem in Cœlo fidelem, Deum, dum illam dono prophetiæ, gratia curationum & (ſi ita loqui fas ſit) ſignis & prodigiis colluſtravit. Dedit horum quædam in vita facta, quam finio, vitæ deſcriptio: in noſtro P. Marcellino Mantiſconenſi, ea, quæ mortem Hyacinthi ſubſecuta ſunt, legere tædioſum non ſit, in Italia æque ac in Germania perpetrata. *Exultat & laudat* inde jure merito *habitatio Sion*, ſeu Caſalenſis, *quia magnus in medio ejus* Interceſſor; dumque beneficia à Cive ſuo ſibi præſtita, muris impreſſa videt, aliàſque ad ejus Conditorium manum Dei potentem in dies miratur, cultum Sacri altaris, Vaticano Oraculo ei decerni jamdiu grata popoſcit, & adhuc ſperat.

Quæ omnia ideo fuſius & ordine Chronologico à me deducta eſſe, Lector, arbitrare, tum, ut quæ manca & confuſa in aliis reperi, in obſequium hiſtoriæ clariora & pleniora pareant, tum, ut glorificetur Deus in Hyacintho, quem de latebris Sancti P. Franciſci *vocavit in juſtitia, in fædus populi, in lucem gentium.*

Fr. Hyacinthum pro felici Legationis ſucceſſu, ac plena fide ei adhibenda commendat

A tergo: *Venerabilibus Fratribus Joanni Svicardo, Moguntino-Ferdinando, Colonienſi-& Lothario Trevirenſi- Archiepiſcopis, Sacri Romani Imperii Principibus Electoribus.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabiles Fratres ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CAtholicæ Religioni, inter hæreticorum factiones periclitanti, ſatis firmum fuiſſe in veſtra pietate, atque authoritate præſidium, Germania nuper in ipſo rerum diſcrimine ſatis feliciter experta eſt. Quo etſi nos in excubiis veſtris, quas in illuſtri iſta ſtatione ab Exercituum Deo conſtituti, vigilanter planè agitis, poſſimus ſecuri conquieſcere, culpâ tamen omnino vacare Nos non arbitraremur, niſi paternæ noſtræ in Germaniam voluntatis teſtem, atque obſidem, paſtoralem noſtram ſolicitudinem exhiberemus: ſimul & Divina beneficia non ſinunt gratos animos ceſſatione torpere: ſed, cum Imperator Mortalium Deus in victoriis Bohemiæ atque Hungariæ ſignum aliquod ad bene ſperandum tuliſſe videatur, omni ope atque conſilio providendum eſt, ne Germanicis Principibus, ad Religionis, & Imperii dignitatem aſſerendam, non vires, quibus Hæreticos perduelles profligaſtis, ſed conſenſus atque conſtantia defuiſſe videatur. Nos igitur de veſtra tranquillitate ſolliciti, frequentibus precibus ſacrificiiſque non deſiſtimus Vobis miſerentis Dei bonitatem conciliare: tum porro Apoſtolicis Literis Germaniæ Principes cohortati ſumus, &, quantùm per Pontificii Ærarii anguſtias licuit, pecuniæ copiarumque ſubſidiis publicæ cauſæ inſervivimus. Nunc verò dilectum Filium Fr. Hyacinthum, Caſalenſem, Capucinum, Virum rerum Germanicarum peritum, vitæ ſanctimoniâ, atque eloquentiæ gloriâ inſignem, iſtuc ablegamus, ut Catholici Principes Dei jubentis authoritatem, & Pontificis admonentis cohortationes, Religioſo Viro referente, libentius audiatis. Ei, quam Nobis loquentibus, fidem haberi poſtulamus à Fraternitatibus Veſtris, quæ optimi Viri conſiliis opitulantes, & Germaniæ cauſam agetis, & Voſmetipſos immortali gloriâ decorabitis, quos dignitatis ſuæ ſtatores, juriumque propugnatores Catholica Reſpublica nuncupabit. Nos verò plurimi virtutem veſtram facientes, Vobis iterum Apoſtolica Auctoritate benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxv. Junii MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Autog. in Secret. Brevium ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. fol.* 1.

Ma-

Commendat Eundem.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo, Archiduci Auſtriæ &c.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DEUS ipſe penè clara voce Germaniæ Principes à Cœlo excitare videtur ad Romani Imperii incolumitatem tuendam, & Catholicæ Religionis dignitatem aſſerendam: neque enim ſunt loquelæ, aut ſermones, quibus interprete opus ſit, ſed res ipſæ, & victoriæ, quibus publicæ cauſæ Deum exercituum propugnatorem experti ſanè haud infeliciter ſumus. Ejus Nos, licet immeriti, Vicariam auctoritatem in terris adepti, cœleſtibus juſſis Pontificias cohortationes adjungimus, ne tam præclaris Divinæ clementiæ beneficiis abuſi unquam eſſe arguamur. Quid porro hactenus egerimus, quâ paternâ charitate Auſtriacam Domum, Catholicæ Religionis vindicem, & Chriſtiani Orbis ornamentum complexi ſimus, rem ipſam auctorem dedimus. Profectò minus effecimus, quàm cupimus, ſed plus etiam fere, quam per Apoſtolici Ærarii anguſtias poſſumus. Nunc autem in Germaniam mittimus Virum eloquentia illuſtri, ſpectatâ fide, ſanctimoniâ præcipuum, F. Hyacinthum, Caſalenſem, Capucinum. Ejus facundiâ atque pietate, quàm Italiæ ſalutarem fuiſſe confluentes Urbes ad eum audiendum teſtificantur, ſperamus non mediocre adjumentum afferri poſſe publicis iſtius Provinciæ rationibus. Nos Hominem hunc negotiis agendis opportunum, à Deo, in hoc rerum diſcrimine objectum Nobis eſſe intelligentes, Apoſtolica eum Benedictione communivimus, atque eandem, quam Nobis loquentibus, fidem haberi cupimus. Nobilitatis tuæ erit benevolentiâ ſuâ complecti Virum Deo Nobiſque gratiſſimum, & qui probè intelligit, Catholicæ Religioni in Germania periclitanti firmiſſimum eſſe in Auſtriacorum Principum felicitate præſidium. Id Nos quoque magnopere à Nobilitate Tua flagitamus, cui iterum Apoſtolica Auctoritate benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Junii Pontificatus noſtri anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Ex Regeſto præd. fol. 2.

Scribit eodem Argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Carolo Epiſcopo Wratislavien.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ADdeo præclarè de Catholica Religione meriti eſtis, Auſtriaci Principes, ut, qui ejus dignitati conſulunt, veſtram quoque felicitatem propugnent, neceſſe eſt: hâc ſanè gloriâ, omnibus Inſulis regniſque præſtantiore, ut quàm diutiſſime perfruamini, Commune maximorum Pontificum votum eſt, quibus, tot Germaniæ Proceribus fidei diſſidentibus, eximium ſemper debitæ obſervantiæ cultum exhibuiſtis. Nos certè, quos Deus, licet immerentes, Chriſtiano Orbi præeſſe voluit, & periclitantis Religionis, & inclytæ Auſtriacæ Gentis pericula vehementer ſollicitant, neque ſanè pro viribus noſtris aut optimo Imperatori, aut publicæ cauſæ defuiſſe arguemur. Quod ſi victoriis Bohemiæ atque Hungariæ Rempublicam ad aliquam ſpem tranquillitatis Deus erexiſſe videtur, non tamen ob id præſenti felicitati indormientes animum paterna ſolicitudine liberavimus. Hujuſce noſtræ curæ, quam à Nobis paſtorale Officium exigit, teſtem habebit Nobilitas tua inſignem pietate, atque eloquentiâ Virum, dilectum Filium, F. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum. Ejus ſpectatæ Fidei gravia negotia iſtic gerenda mandavimus; de quibus ipſi Tecum coram diſſerenti, eandem, quam noſtris verbis, fidem habere poteris. Cœterùm tuendæ Religionis ſtudium, quod Nobilitas Tua ſemper præſetulit, & cui ille ſe devovit, Tibi facile ſuadeat, ut Hominem hunc Nobis gratiſſimum patrocinio tuo complectaris; nam & publicæ cauſæ ſuffragaberis, & noſtram paternam benevolentiam maximè promereberis, cui iterum Apoſt. Auct. benedicimus. Dat. *ut ſupra & ex Reg. eodem f. 3.*

Eodem argumento, & alio exemplo.

A tergo: *Eidem Carolo Epiſcopo wratislavien.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUÆ Nos cauſa impulerit hoc tempore, ut in Germaniam mitteremus hunc Dilectum

lectum Filium, Fr. Hiacynthum de Caſali, ex Ordine Capucinorum, ab ipſo Fraternitas Tua accipiet, qui has noſtras Tibi litteras reddet, teſtes ejus paternæ Charitatis, qua Te pro tuis meritis in Viſceribus Jeſu Chriſti complectimur. Certè, ut graviſſima eſt cauſa, & quæ ad Catholicæ Religionis utilitatem magnopere pertinet, ita Virum elegimus, cujus ſpectata eſſet integritas, prudentia, & ſanctus Dei zelus, qui rebus omnibus ſæculi abdicatis, nihil ſibi omnino reliquum fecit, niſi, ut in omnibus, quæcumque agit, ſolam Dei gloriam ardenti maximè ſtudio quæreret. Ab hoc igitur Fraternitas Tua copiosè intelliget cuncta, quæ Te ſcire volumus, cui eandem prorſus, quàm Nobis ipſis, fidem adhibebis. Nec dubitamus, quin Religioſum iſtum, cui Nos meritò multùm confidimus, ad negotium, quod ei impoſuimus, ex ſententia conficiendum, operâ, conſilio, auctoritate ſedulò adjuves; id enim Te pro tua inſigni pietate, & munere, quod in Eccleſia Chriſti geris, cumulatè præſtiturum, compertum habemus. Dominus Te, Frater, ſua gratia, & bonis omnibus augeat, & Nos iterum Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem toto ex animo impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Junii MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Arch. Vatic. ſecret. &c. fol. 161.

Eodem Argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Bavariæ Duci*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina atque humana ſubſidia Germaniæ non deeſſe ad hæreticorum audaciam comprimendam, teſtis eſt huic hominum ætati Nobilitas Tua, quæ tam illuſtres Religioni, & Imperio victorias peperit. Sed quò magis innocentium Catholicorum gemitus vindicem ſcelerum Deum flexerunt ad commiſerationem, eò acriùs enitendum omnibus bonis eſt, ne per ſocordiam aut diſſidia tantis Divinæ Clementiæ beneficiis abutamur. Nos quidem Paſtorali noſtræ ſollicitudini, quam Gregi nobis credito debemus, nunquam deerimus, neque ſanè unquam conquieſcemus, donec ex altiſſima hac Pontificiæ Dignitatis ſpecula tumultuantis Germaniæ & periclitantis Religionis perturbationes proſpiciemus. Quid hac in cauſa egerimus, res ipſa argumento eſt. Nunc autem iſtuc mittimus dilectum Filium, F. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, ut Apoſtolica noſtra Benedictione munitus, quàm Deo aſpirante eloquentiam, ingeniumque Animarum ſaluti addixit, eam in præſenti rerum diſcrimine iſtius Provinciæ incolumitati, & Religionis dignitati devoveat. Nos quidem tantum de ſpectata ejus fide Nobis pollicemur, ut non ſecus, ac Nobiſmetipſis ei credi velimus à Nobilitate Tua: cujus pietatis fuerit, eundem Fr. Hyacinthum ſua benevolentia complecti, ut Divina gratia adjutrice, & Principum auctoritate ſuffragante feliciter conficiat negotia, quæ illi graviſſima mandavimus. Noſtram jampridiem voluntatem ſibi hac potiſſimum ratione arctius obſtrinxerat Nobilitas Tua, cui iterum Apoſtolicam noſtram Benedictionem peramanter impertimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Arch. Brev. ad Principes *&c. fol.* 4.

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Paridi Archiepiſcopo Salisburgenſi.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Deo Religionis cauſam propugnanti ſtudia induſtriamque noſtram deeſſe his calamitoſis tumultuantis Germaniæ temporibus non ſolùm turpe foret, ſed & miſerrimum. Periculum enim eſſet, ne Patrem miſericordiarum, qui victorias Bohemicas atque Hungaricas argumentum voluit eſſe paternæ ſuæ benevolentiæ in Rem Germanam, ad indignationem provocaremus, ſi beneficentiæ cœleſtis fructus, quos colligere poſſumus uberrimos, ſineremus per ſocordiam exareſcere. Fraternitati Tuæ licèt eſſe notiſſima exiſtimemus, neque quod Te egere admonitore ad Religionem tuendam arbitremur, hæc ſcribimus, ſed potius ad paternam noſtram ſollicitudinem teſtificandam; tum porro, ut ex hac noſtra cura aliquod Tibi ſolatium afferamus proſpicienti, locorum longinquitatem, totiuſque Orbis tutelam Nobis impedimento non eſſe, quò minus veſtræ cauſæ præſenti animo, atque Apoſtolica Auctoritate patrocinemur. Quod uberius Fraternitati Tuæ coràm ſignificabit dilectus Filius, F. Hyacinthus Caſalenſis Capucinus, cujus perſpectæ fidei & ſanctimoniæ graviſſima negotia, quæ Tibi ſignificabit, conficienda imperavimus. Quam Nobis loquentibus fidem haberes, eandem Ipſi præſtari cupimus à Fraternitate tua, cujus authoritate & conſiliis ille ſe multùm juvari poſſe cen-

ſe cenſet. Quod igitur ſponte tuâ & pietate ſuadente efficeres, id, ut hortatu etiam noſtro cumulatiùs præſtes, & ei omni ope, officiiſque tuis ſuffrageris, etiam atque etiam petimus à Fraternitate Tuâ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter iterum impertimur. Datum *ut ſupra*.

Ex Archivo & Regeſto præd. fol.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio*, *Nobili Viro*, *Comiti de Ognat Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri*, *Philippi*, *Regis Catholici apud Cæſaream Majeſtatem Oratori*.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, *Nobilis Vir*, *ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem*.

MIttimus ad Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum, Ferdinandum Imperatorem Electum, hunc Dilectum Filium, Fratrem Hyacinthum de Caſali, ex Familia Capucinorum, ut apud ejus Majeſtatem de rebus graviſſimis, & quæ Chriſtianæ Reipublicæ magnopere interſint, noſtro Nomine agat. Ei mandavimus, ut Nobilitatem Tuam adiret, ac noſtram Tibi ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem nuntiaret, ſimul omnia, quæ Te ſcire volumus, copioſè coràm exponeret. Ad hoc autem exequendum illum Hominem delegimus, qui perſpectâ eſſet integritate, prudentiâ & zelo gloriæ Dei, quibus in gravibus negotiis pertractandis ſuam aliàs virtutem non obſcurè oſtendit. Huic igitur cumulatam in omnibus fidem adhibebis; nec dubitamus, quin ipſi, quotieſcumque uſus venerit, tuo ſtudio, & operâ præſtò futurus ſis, quemadmodum Tua pietas, & in Catholicam Religionem ſtudium poſtulat, necnon illud, quo teneris, deſiderium inſerviendi in omnibus Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Philippo Regi Catholico, quem hoc ipſum à Te requirere non eſt ambigendum. Ita denique in iſto negotio, quod non tam noſtrum, quàm Dei, & Chriſtianæ Reipublicæ eſt, Nobilitas Tua ſe geret, quemadmodum planè confidimus, ut tuæ pietati, ac prudentiæ Nos multum tribuiſſe jure optimo videamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Junii MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Arch. Secr. Vaticana Reg. Brev. ad Principes 27. *fol* 162.

Eodem argumento, & alio Exemplo.

Eidem Comiti de Ognat Oratori Regis Hiſpaniarum &c.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, *Nobilis Vir*, *ſalutem*, *& Apoſtolicam Benedictionem*.

PErduellium hæreticorum gladios in Auſtriacam Domum diſtrictos, mucroneſque eorum à Catholicæ Religionis jugulo rejecit quidem glorioſè Imperii felicitas & Cæſarei exercitus virtus. Atque inde porrò effectum eſt, ut, qui pridem bonis omnibus luctuoſi contigerant Germanicarum rerum nuncii, nunc Deo cauſam ſuam propugnante, ſubinde aut arces receptas, aut hoſtes caſtris exutos referant. Divinæ ſanè clementiæ ob eam rem gratias agimus, ſed tamen, quò plus ſpei eſt, acriùs quoque ſollicitamur ad tantum negotium feliciter conficiendum. Neque pecuniæ noſtræ, nec copiæ, nec auctoritas Chariſſimo in Chriſto Filio, Imperatori Electo, Religionem tuendi unquam deerit; atque in id toto pectore incumbimus, ut alicujus inſignis beneficii memoriam Romano Imperio relinquamus, quo & conſequentium ætatum Cæſares intelligant, obſervantiam, quam Sedi Apoſtolicæ deferunt, non ſolùm iis ad æternam felicitatem conſequendam, ſed ad Imperatoriæ Majeſtatis jura propugnanda exiſtere ſalutarem. Paternæ hujus noſtræ in rem Germanam, & Auſtriacos Principes charitatis teſtis, erit Nobilitati Tuæ dilectus Filius, F. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, cui Tecum noſtro Nomine de graviſſimis negotiis diſſerenti eandem, quam Nobis, loquentibus fidem habebis. Mittimus iſtuc Virum non ſpecioſis gloriæ titulis, ſed vero pietatis ſplendore clariſſimum, ac planè dignum, quem benevolentiâ tuâ complectaris, & auctoritate tuteris, ut Te ſuffragante faciliùs rem pro ſententia gerat. Id Nos petimus obnixè à Nobilitate Tua, cujus conſiliis ſententiiſque eandem cauſam defendi exſpectamus, quàm maximus ille Rex, cujus Legatum agis, pecuniæ copiarumque ſubſidiis munificentiſſimè propugnat. Datum *ut ſupra*.

Joannes Ciampolus Secret.

Ex Archivo Secret. Brev. ad Principes *Regeſto menſ. & anni prædict. fol.* 61.

Alio

Alio exemplo.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Olderico, Baroni de Ecchembergh.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

NObilitati Tuæ has noſtras litteras reddet Dilectus Filius, Frater Hyacinthus de Caſali, ex Ordine Capucinorum, quem nunc mittimus ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum, Ferdinandum Imperatorem electum, ut cum ejus Majeſtate de rebus magni momenti, & ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem maximè pertinentibus noſtro Nomine agat. Hunc autem Virum delegimus, qui integritate, prudentia, divini honoris zelo Nobis admodum eſt probatus, & qui mundanis rebus omnibus poſthabitis, penituſque neglectis, id unum ſemper ſpectat, ut in ſuis conſiliis, & actionibus Dei voluntas, & gloria perpetuò inveniatur, quemadmodum ex illius congreſſu facilè perſpicere poteris. Ab hoc igitur Nobilitas Tua unà cum his noſtris litteris Apoſtolicam noſtram benedictionem, quam Tibi amantiſſimè impartimur, accipiet, cui noſtro Te Nomine alloquenti eam fidem habebis, quam Nobis ipſis præſentibus haberes, Ut autem de tua præſtanti virtute, ac pietate præclarè (ut par eſt) ſentimus, ita perſuaſum habemus, Virum à Nobis miſſum amanter excepturum, & de communi Chriſtianæ Reipublicæ, ac præſertim Germaniæ bono agentem, ſtudio, auctoritate, & opera, quotieſcumque opus fuerit, ſollicitè adjuturum; in quo ſanè gratiæ cumulum à Deo inibis, noſtræ verò in Te paternæ Charitati magnam acceſſionem adjunges. Dominus Nobilitatem Tuam bonis omnibus augeat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Junii MDCXXI. Pontificatus noſtri anno primo.

Ex Arch. Vat. Secreto Regeſto &c. fol. 163.

Eodem argumento, & alio Exemplo.

Eidem Joanni Baroni de Ecchembergh.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

AButeremur ſanè Divinæ munificentiæ theſauris, quibus Ea imbecillitatem noſtram ditavit, cum Nos Chriſtiano Orbi nuper præfecit, niſi omnem operam, authoritatemque noſtram ad Catholicæ Religionis incolumitatem conferremus. Turpe enim eſſet otioſum in tam illuſtri ſtatione, & tot periclitantis Eccleſiæ periculis indormientem feriari ſupremum Dominici Gregis Cuſtodem. Sed paternam noſtram ſolicitudinem, quam tot Chriſto ſervientes Provinciæ ſibi jure depoſcunt, præcipuè Nos his temporibus tumultuanti Germaniæ debere intelligimus. Ingemuimus profectò non ſemel ex hac Pontificia ſpecula perduellium Hæreticornm temeritatem, potentiamque contemplantes, ſed huic noſtræ ægrimoniæ non mediocre quidem ſolatium adfert Chariſſimi in Chriſto Filii, Imperatoris electi, pietas ſingulatis, quod præcipuum exiſtimamus Divinæ bonitatis argumentum in rem Germanam. Tum porro gaudemus optimorum Ei conſiliorum copiam non deeſſe, quæ Nobilitas Tua vel maximè, publico bono ſuppeditare prædicatur. Quam gloriam hactenus conſecutus es, eam, ut ſemper novis in Rempublicam meritis cumules, à tua pietate Catholici omnes exſpectant. Nos verò de Imperii & Religionis perturbatione ſemper ſolliciti, iſtuc in præſentia ablegamus Dilectum Filium, F. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, Virum, qui pietate & eloquentia ſingulari totius ſibi Italiæ plauſum, noſtramque benevolentiam mirificè comparavit. Ei Tecum de graviſſimis negotiis differenti eandem, quam Nobis, fidem habere poteris. Quod ſi eâ, qua polles, authoritate, optimo Viro ſuffragaberis, noſtram Tibi voluntatem arctiſſimè devinxeris, & erit, quod exiſtimemus, Cæſaream Majeſtatem Religionis incolumitati egregiè conſulere, cum tantùm tribuit conſiliis Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Noſtram Benedictionem iterum impertimur. Datum Romæ *ut ſupra*.

Ex Arch. Secret. Brev. ad Princ. *fol.* 7.

Eodem argumento.

A tergo. *Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo Comiti de Harrach.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

IN his, quæ ad Eccleſiæ Dei, & Chriſtianæ Reipublicæ dignitatem, & utilitatem pertinent, multum ſanè, ut debemus, in Nobilitatis Tuæ ſpectata virtute, pietate, & Ca-

Catholicæ Religionis Zelo reponimus. Quamobrem, cum de gravi ipſius Chriſtianæ Reipublicæ negotio nunc ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum, Ferdinandum, Imperatorem electum, mittamus Dilectum Filium, Fratrem Hyacinthum de Caſali, Capucinum, cujus integritatem, prudentiam, & ardentem divinæ gloriæ Zelum Tibi jam pridem notum eſſe ſcimus, voluimus Eum Noſtras has Tibi litteras reddere, teſtes ſinceræ noſtræ, verèque paternæ in Te benevolentiæ, ac ſimul cauſam, cur ſe iſtuc miſerimus, fusè coràm exponere. Cæterum à tua Nobilitate in præſentia petere, ut hunc Religioſum Virum, ad Chriſti negotium agendum iſtuc à Nobis miſſum, humaniter excipias, & tuo ſtudio, & auctoritate, ubi opus fuerit, ſedulò foveas, nihil neceſſe habemus; id enim à Te tuam ipſam virtutem cumulatè impetraturam confidimus. Si quid certè Nobilitas tua Nobis gratum facere cupit, aut, ſi qua in re noſtro Tibi gratificando deſiderio reſpondere, ſcias id omnium Nobis fore gratiſſimum. Dominum, Fili, oramus, ut ſuæ gratiæ abundantiam, & felicia omnia Nobilitati tuæ largiatur, cui Nos iterum noſtram Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXV. Junii MDCXXI. Pontif. noſtri anno primo.

Ex Arch. Vatic. Secr. Reg. Brev. ad Princ. 23. *fol.* 165.

Eodem argumento & alio exemplo.

Eidem Carolo Comiti de Harrach.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

QUanti virtutem tuam facimus, vel ex hoc intelligere potes. Exiſtimamus Catholicæ Religionis intereſse, Te, quàm diutiſſime Cæſareâ benevolentiâ florere: ut huic noſtræ & bonorum omnium exſpectationi in præſenti rerum Germanicarum diſcrimine latè reſpondeas, exigit à Te Patriæ, Imperii, & Religionis amor, ne unquam defuiſſe videaris ei præclaræ pietatis famæ, qua perfrueris. Noſtram certè voluntatem ſatis in Te propenſam arctiùs Tibi obſtrinxeris, ſi, quæ tuâ ſponte aggredereris, Noſtra etiam cauſa diligentiùs perfeceris. Vides, quibus beneficiis Miſericordiarum Pater afflictam Rempublicam recreavit. Non meliore eventu, quàm cauſa, dimicârunt deſertores Hæretici, quorum non ſolùm vires, ſed ſpiritus quoque frangere Victoriæ Bohemicæ atque Hungaricæ debuêre. Sed teterrimus humani generis hoſtis, ſcelerum patronus, ac fraudum artifex vel ipſas inferorum legiones in Catholici Nominis, & Romani Imperii perniciem evocaturus eſt, niſi Nobis Divinum patrocinium & religioſis precibus, & prudentibus conſiliis, & fortibus decretis conciliemus. Nos certè dies noctesque admonet Paſtorale Officium, quo, licet immeriti, fungimur, ne à commiſſo nobis Ovili, circum frementibus lupis humani cruoris ſitientibus, atque ipſa ignominia accenſis, paternæ noſtræ ſollicitudinis oculos dimoveamus. Cui rei Nos planè non deeſſe teſtificabitur Tibi Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, Vir mira vitæ integritate, & celebri eloquentiæ famâ præcipuus, quem iſtuc ablegamus ad gravia negotia pro Religionis & Imperii incolumitate obeunda. Spectatæ fidei Hominem adeo diligimus, ut quam Nobis, eandem ipſi fidem haberi velimus. Tu, quantum conſilio providere, & authoritate movere poteris, efficies, Nobis flagitantibus, ne Tuæ pietatis fructibus, quos abſens veneratus eſt, præſens unquam caruiſſe conqueri poſſit. Datum Romæ *ut ſupra*.

Ex Arch. ſecret. Brev. ad Princ. *fol.* 8.

Eodem argumento.

A tergo. *Dilecto Filio, Religioſo, Martino Becano è Societate Jeſu, Cæſareæ Majeſtati à Sacris Confeſſionibus.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRavi ſanè de cauſa, & quæ ad Dei gloriam, & Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem valde pertinet, mittimus in præſentia ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum, Ferdinandum, Imperatorem electum, hunc dilectum Filium, Fratrem Hyacinthum de Caſali, è familia Capucinorum, Hominem ſpectatæ integritatis, & prudentiæ, necnon incenſo divinæ gloriæ Zelo præditum, cujus quidem virtuti Nos magnopere confidimus. Is Tibi has noſtras litteras reddet, teſtes ejus, qua Te in Domino complectimur, paternæ charitatis, à quo etiam fusè coram accipies, quæ ipſi in mandatis dedimus Tibi exponenda. Ipſius autem verbis eandem, quam Nobis, ſi præſentes eſſemus, fidem habeas, volumus; nam ſi Te

nunc

nunc hortari niteremur, ut Religioſum iſtum Virum, à Nobis ad Chriſti negocium pertractandum iſtac miſſum, quacumque re poteris, omni contentione juvare ſtudeas, inanis profectò, & ſine cauſa hæc noſtra cohortatio ſuſcepta eſſet, cum pro certo habeamus, Te ad hoc ipſum cumulatè præſtandum ſatis à tua præſtanti pietate, & divini honoris Zelo, atque ab eo, quod profiteris, vitæ inſtituto incitatum iri. Nihil certè efficere poteris, in quo magis optimæ noſtræ de Te expectationi reſpondeas, quodque Nobis gratius unquam exiſtat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xxv. Junii MDCXXI. Pontificatus noſtri anno primo.

Ex Arch. Vatic. Secreto &c. fol. 166.

Eodem argumento, & alio exemplo.

Eidem P. Confeſſario.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEbes quidem plurimùm Divinæ beneficentiæ, quæ Te iis virtutibus inſtruxit, quibus Cæſaream benevolentiam feliciter promeritus es; ſed grati animi officio fungi præſtantius non potes, quàm, ſi authoritate Tua non ad inanis gloriæ plauſum aucupandum, ſed ad Catholicæ Religionis dignitatem tuendam utaris. Quod quidem Te hactenus præſtitiſſe comperimus, nec per Te Religioſiſſimo Imperatori ſanctiſſimorum conſiliorum copia unquam defuit. Non ergo Te noſtris admonitionibus egere arbitramur, ſed profectò, ut Tibi paternam benevolentiam noſtram teſtaremur, Apoſtolicarum literarum cohortatione incitare, ſeu potius laudare voluimus pietatem Tuam. Quo in diſcrimine Imperium, & Religio nuper verſata ſint, non ſolum intellexiſti, ſed oculis quoque præſens conſpicere potuiſti. Nunc Hæreticis ex uſurpato Regno fugatis, & armorum vi non ſemel compreſſis, providendum erit, ut Religio Catholica, quæ jus ſuum recuperaſſe videtur, Deo propugnante, ditionem quoque ſuam amplificet. Quod beneficium ſi Miſericordiarum Pater in noſtri Pontificatus tempora contulerit, erit certè, quod is Germaniæ fauſtus fortunatuſque accidiſſe prædicetur. Non deſiſtimus itaque pro noſtra paſtorali ſollicitudine Divina auxilia ſupplicationibus ſacrificiiſque parare, noſtramque omnem operam, & authoritatem tantæ cauſæ dicavimus; quod è re ipſa intelligere potuiſti, & uberius Tibi præſenti declarabit dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus quem iſtuc ablegamus ad graviſſima negotia obeunda. Facilè inter Vos conſimile pietatis ſtudium amicitiam conciliabit; Nos quidem tantùm ſpectatæ ejus fidei & vitæ integritati tribuimus, ut eandem, quam Nobis loquentibus, fidem ipſi haberi velimus. Omnipotenti Deo, & Religionis Dignitati devota Pectora, conſociate conſilia, voce ſententiiſque pugnate, ut Germania ipſa fateatur, non minorem ineſſe vim ad publicam tranquillitatem ſtabiliendam in Religioſorum Hominum ſapientia, quàm in dimicantium militum fortitudine. Datum Romæ *ut ſupra*.

Ex Arch. Secret. Brev. ad Princ. *&c. fol.* 9.

Eodem Argumento.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Georgio Comiti ab Hohenzolleren.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NOſtri paſtoralis Officii ſollicitudo urget Nos, ut de miſero Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu, quantùm divina adjutrice gratia poſſumus, ſublevando dies noctesque cogitemus. Hujus rei cauſa mittimus nunc ad Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum, Ferdinandum, Imperatorem electum, Dilectum Filium, Fratrem Hiacynthum de Caſali, ex Ordine Capucinorum, de cujus præſtanti integritate, prudentia, divinæ gloriæ Zelo, atque in gravibus negociis pertractandis dexteritate plurimùm Nobis pollicemur. Is Nobilitati Tuæ has noſtras literas reddet, teſtes paterni noſtri in Te amoris, ac ſimul noſtram Apoſtolicam Benedictionem tribuet, quam omnibus bonis cumulatam, Tibi à Miſericordiarum Patre precamur. Quæ verò ab ipſo, noſtro Nomine intelliges, iis cumulatam omnino fidem præſtabis; Tuæ pietatis, & optimi Zeli erit, Fili, huic Religioſo Viro, Catholicæ Religionis, atque adeò univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ negotium tractanti, aſſiduo ſtudio, & operâ ſuffragari; quod cum Tua ſponte egregiè Te præſtiturum confidamus, pluribus ad id Te cohortari ſuperſedebimus. Illuc certè perſuaſum habeas volumus, hanc Tibi maximè opportunam in præſentia oblatam eſſe occaſionem, qua Tuam in Nos, atque hanc Sanctam Sedem obſervantiam declarare, ac ſimul noſtræ in Te benevolentiæ optimè reſpondere valeas. Datum Romæ apud

apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xxv. Junii MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Ex Archivo Vaticano Secreto &c. fol. 164.

Eodem Argumento, & alio exemplo.

Eidem Comiti ab Hohenzolleren.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DEcrevimus pro Paſtorali Noſtra ſollicitudine, quam publicis rationibus debemus, nihil intentatum relinquere, quo optimi Imperatoris, & Catholicæ Religionis dignitatem propugnemus. Exigere ſuo quodam jure videtur id à Nobis Auſtriacæ Domûs pietas, ut Romanum Pontificem, cui, tot Germaniæ Principibus deficientibus, perpetuam ſemper detulit obedientiam, in ipſo rerum periculo habeat ſuæ Dignitatis fautorem ac vindicem. Quod quidem, ſi tam feliciter præſtare poſſemus, quàm ſtudiosè concupiſcimus, confecta ſanè res eſſet, & Hæreticorum temeritas compreſſa documentum eſſet poſteris, quàm malè rebus ſuis conſulant, qui nefario perjurio obſtricti à Principis ſui, atque ipſius Dei imperio deſciſcunt. Nunc, cum noſtræ culpæ tribuendum ſit, quod impendentes Chriſtiano Nomini tempeſtates in auram, perfectamque tranquillitatem nondum convertat Is, cujus voci ſpiritus procellarum obſecundat, non tamen deficere animis debemus, ſed in ipſo etiam diſcrimine noſtram fidem, operamque accurratiſſimè Reipublicæ probare. Quid hactenus per imbecillitatem noſtram præſtiterimus, aut certè præſtare voluerimus, non ignotum Nobilitati Tuæ eſſe arbitramur; propediem verò id explicatum audies à Dilecto Filio, Fr. Hyacintho Caſalenſi, Capucino, quem iſtuc graviſſimis negotiis tractandis præfecimus. Ejus fides, pietas, & rerum Germanicarum peritia tanti Nobis eſt, ut eandem, quam Nobis, ipſi fidem adhiberi poſtulemus. Ejus autem conſiliis, ut omni ope atque authoritate, qua polles, ſuffrageris, Imperii & Religionis amor exigit, & Nos quàm obnixè flagitamus, qui Nobilitati Tuæ Apoſtolicam noſtram Benedictionem iterum peramanter impertimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Arch. Secret. Brevium ad Principes *&c. fol.* XI.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Wolffgango Guilielmo, Duci Neoburgi &c.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COmpertum eſt Nobilitati Tuæ, quantæ Nobis ſollicitudini ſit, & perturbatæ Germaniæ, & periclitantis Religionis ſtatus: arma enim, quæ Divino Cultui perniciem minitantur, Paternæ quoque charitatis Noſtræ viſcera vulnerant: quò acriùs & publicæ, & privatæ cauſæ inſervientes, enitendum Nobis eſſe intelligimus, ut ea è cruentis perduellium Hæreticorum manibus extorqueamus. Sanè miſericordiæ ſuæ oblitum non eſſe Deum, Victoriæ Bohemicæ atque Hungaricæ luculenter teſtificantur. Sed cum inde exploratum ſit, quantùm non ſolùm causâ, ſed viribus valeamus, ſedulò danda opera eſt, ne Nobis tantæ ſpei indormientibus, aut diffidentium ſententiarum contentiones, aut ingrati in Rempublicam animi vecordiam conſequentes ætates unquam ſint exprobraturæ. Nos quidem pro Noſtra Paſtorali cura, quam peculiariter Romano Imperio, ac tumultuanti Germaniæ his temporibus debemus, nihil prætermittimus, quò iſtius Provinciæ incolumitati, & Religionis Catholicæ Dignitati conſulamus. Nunc verò ſpectata fide cognitum, & vitæ ſanctimonia verendum iſtuc ablegamus Dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, ut ejus voce, Divina Imperia, & Pontificias cohortationes exponente uteremur ad inflammandas Germanorum Principum voluntates. Ejus verbis eandem, quam Noſtris, fidem haberi volumus à Nobilitate Tua, cujus authoritate & conſiliis Fr. Hyacinthum juvari poſtulamus, & plenè ſperamus. Te enim, Dilecte Fili, quem Nobis, & Apoſtolicæ Sedi gratiſſimum tua merita reddiderunt, cupimus publicæ incolumitatis non participem modò, ſed authorem ac ſuaſorem in Eccleſia Dei prædicari: ac Noſtram Tibi Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxv. Junii MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Ex Reg. præd. fol. 14.

Eo-

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Franciſco, S.R.Eccleſiæ Presbytero Cardinali de Dietrichſtein.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

HAbet profectò Chriſtiana Reſpublica certiſſimum pietatis & fidei Tuæ documentum. Tibi enim, & à Majoribus relictas hæreditates, & Tua Virtute partas divitias pro Catholicæ Religionis gloria vileſcere in præſenti rerum Germanicarum diſcrimine declaraſti. Sed profectò non tantum Tibi à Deſertoribus Hæreticis ademptum de facultatibus eſt, quantum additum ad gloriam egregiæ iſtius Virtutis Tuæ, quæ contra furentium hoſtium inſultus firmiſſimum habitum eſt periclitantis Religionis præſidium. Proinde, cum ſpes aliqua ſerenitatis afflictæ Reipublicæ cœlitus aſfulſerit, Deum oramus, ut fidei Tuæ conſtantiam inſigni alicujus felicitatis mercede muneretur. Videmus enim, quanti in iſtis Regionibus Sedis Apoſtolicæ interſit, ſi, qui pro ejus dignitate opes ſuas profundunt, fœnerari Deo feliciter quoque videantur. His certè pietatis Tuæ laudibus Nos mirificè ſavemus, quæ Nobis maximo ſolatio fuerunt, de perturbato Germaniæ ſtatu, noctes dieſque pro Paſtorali noſtra ſollicitudine cogitantibus. Scimus enim nunquam operam Tuam Reipublicæ deſuturam, qua quidem diligenti perfrui in præſentia cupimus Dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, quem in Germaniam mittimus, graviſſimis negotiis agendis. Vir eloquentiæ laudibus, & vitæ ſanctimonia præclarus, qui omnia ſtudia, & operam ſuam Religioni propagandæ devovit, facilè Sibi benevolentiam Tuam conciliabit. Nos quidem tantum ejus virtuti tribuimus, ut eandem, quam Nobis ipſis loquentibus, fidem illi haberi velimus. Ei igitur omni officiorum genere præſtò aderis: nam & publicæ cauſæ inſerviveris, & noſtram propenſam voluntatem Tibi ea ratione arctiùs devinxeris.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Julii MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Ex Arch. præd. Reg. menſis Jul. fol. 42.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Federico, S.R.E. Presbytero Cardinali de Hochenzolleren.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

FIlios tenebrarum, Divinæ lucis oſores, qui ſibi non modo detrimentoſos, ſed indecoros Catholicæ Religionis triumphos arbitrantur, ſcimus quidem quotidie arma cudere, & inſidias moliri, quibus Apoſtolicæ Auctoritatis fundamenta convellant. Sed eos certè, Deo cauſam ſuam propugnante, & irriti laboris pœnitebit & temeritatis etiam pudebit aliquando; Romana enim Religio ei firmiſſimæ petræ innititur, quam inferorum omnium concitatæ acies exſcindere nunquam poterunt. Tamen Nobis omni ope providendum eſſe intelligimus, ut nefarios impietatis conatus comprimamus, atque à ſacrilegis hæreticorum manibus gladios, Catholici Sanguinis ſitientes extorqueamus. Etſi enim cœleſtis potentiæ vis mortalium auxiliis non eget ad hoſtium legiones delendas, placet tamen miſerenti Deo Nos etiam operam induſtriamque noſtram ad publicam ſalutem conferre, ut, quæ Nobis beneficia ultro delaturus eſt, ea promereri aliqua ſaltem ex parte videamur. Nos ideo, quos, licèt meritis impares, Divina Providentia Chriſtianæ Reipublicæ præfecit, oculos Paſtoralis ſollicitudinis noſtræ in Germaniam jampridem convertimus. Ingemiſcimus ſanè, cum in ea Provincia, quæ Nobilitatis domicilium & Imperii ſedes eſt, hæretici non ſolùm ſibi perfugium quæſiverint, ſed arces etiam, atque Regias communiverint; Nuper autem eò arrogantiæ pervenerint, ut parum illis viſum ſit Oceano & alpibus ſuæ ſpem ditionis terminare, ſed Italiam cogitaverint, & Catholico Nomini exitium meditati ſint. Cum verò eos divinitus victoria Pragenſis fere profligaverit, eâ modo parum ſapienter ac feliciter uti Catholici viderentur, niſi deſertor Palatinus aliena Regna invadens de ſua quoque ditione deturbetur. Inde enim maximum Catholicæ Eccleſiæ decus, atque beneficium comparabitur, ſi Cæſaris eligendi jus, quod illi Imperatoria proſcriptione ademptum eſt, Catholicus Princeps adipiſcatur. Quanti id Sedis Apoſtolicæ & Romani Imperii interſit, non ignoramus, ac præpotentes hæreticorum Duces obnixè omnia facturos credere poſſumus, ne ſibi tantæ dignitatis auctoritas eripiatur. Proinde aſſiduis precibus Miſericordiarum Patrem gementes rogamus, ut propitius tandem periclitanti Eccleſiæ ſuæ Bonos omnes tanti beneficii feliciter

licitate quamprimum ſoletur: deinde Apoſtolicis Literis tuæ Nationis Principes vehementer cohortati ſumus, atque eò tandem ablegavimus dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, Virum Germanis Proceribus pleriſque non modo notum, ſed etiam gratum, ut, qua ſacræ eloquentiæ vi pollet, ea utatur ad tantum negotium conficiendum, Apoſtolico præſidio communitus. Ipſi verò inprimis mandavimus, ut Te adeat, ac tuam prudentiam conſulat, quam ſatis declarant poſtremæ literæ tuæ, quibus Nos de Hæreticorum conatibus admones. Grata fuerunt, quæ nunciaſti, tamen gratius erit Te coràm complecti, cui Apoſtolica Auctoritate peramanter benedicimus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XII. Auguſti MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Arch. præd. Reg. menſ. Auguſti.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano Comiti de Trautmansdorff.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CÆſaris prudentia laudatur, virtuti tuæ plurimum tribuentis: exiſtimant enim omnes Te iis tantummodo conſiliis auctoritatem Tibi comparare, quibus Romani Imperii incolumitatem tuearis, & Catholicæ Religionis ditionem propages. Nos autem Nobilitati Tuæ Cæſaream benevolentiam gratulantes, Te pro noſtra paterna charitate hortamur, ut pietatis ſtudio, & bonarum artium laudibus, præſenti felicitati tuæ adjungere coneris diuturnitatem. Sanè tumultuantis Germaniæ, & afflictæ Religionis pericula, ſatis uberem Tibi de Chriſtiana Republica benemerendi materiam exhibent. Nos verò paſtoralis ſollicitudinis oculos ab iſtis perturbationibus non deflectimus, ægrotanti tot Provinciarum Corpori mederi omni ope cupientes. Et cum plura ſemper tot vulneribus remedia adhibenda curaverimus, nuper iſtuc ablegavimus dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalēſem, Capucinum graviſſima noſtro Nomine negotia obiturum, Hominem divitiarum contemptorem, eloquentiæ vi pollentem, qui ſibi theſauros congerere, ac triumphos quærere videbitur, dum animas Chriſto lucrifaciet, & publicæ tranquillitatis fundamenta confirmabit. Ejus optimis conſiliis cupimus Nobilitatem Tuam præſidio adeſſe, ut facilius, Te ſuffragante, publicam cauſam agere poſſit. Nos quidem tanti ejus pietatem ac prudentiam facimus, ut eum Apoſtolica Auctoritate loqui hac in re velimus, ac eandem, quam Nobis ipſis, ei fidem haberi poſtulemus. Si ad eum, quicquid habes auctoritatis, contuleris, de Romano Imperio, cui tantum debes, bene merebere, ac Pontificiam Tibi voluntatem conciliabis.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Auguſti MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Arch. & Reg. præd. fol. 142.

Eodem argumento.

A tergo. *Venerabili Fratri, Philippo Chriſtophoro, Epiſcopo Spirenſi.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi tanta locorum longinquitate à Regionibus veſtris disjungimur, animo tamen & ſollicitudine perturbatæ Germaniæ, & periclitantis Religionis calamitatibus interſumus: quas quidem, niſi omni ope à Vobis ſtuderemus depellere, haud dubium eſt, quin pluſquam ſatis opus eſt, abuteremur iis præclaris ſanctiſſimiſque nominibus, quibus Nos Dei Vicarium, & Chriſtiani Orbis Parentem Catholici Filii nuncupatis. Non decet ergo Nos quieſcere, dum iſtic Romanæ Eccleſiæ authoritas periclitatur: neque profectò feriari nos ſinunt impendentium calamitatum nuncii; quin diligentiſſimè operam demus, ut paternam charitatem noſtram Eccleſiæ & Imperio approbemus. Neque Fraternitatem Tuam fugerit, quid hactenus egerimus. Quod quidem, quamvis plus fere ſit, quàm poſſumus, longè tamen minus eſt, quàm volumus. Sed id quidem malumus ex rebus ipſis, quàm ex literis noſtris, intelligi. Nunc autem, cum acceperimus, maximo cum animi noſtri dolore, novos hæreticorum conatus, & Catholicæ Religionis pericula, iſtuc ablegavimus Dilectum filium, Fratrem Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, qui noſtro Nomine Cæſarem ipſum & pleroſque Imperii Principes adiret, atque ea, qua apud Italos celebris eſt, eloquentia atque pietate publicam cauſam apud Vos ageret, noſtramque Vobis paſtoralem ſollicitudinem teſtaretur. Ei præcipuè mandavimus, ut Fraternitatem tuam adiret, cujus quidem præclara Romæ

eſt

eſt pietatis, virtutumque omnium fama, ut tuam opem expoſceret, tuoque conſilio faciliùs communi ſaluti & Sedi Apoſtolicæ inſerviret. Res ipſa, atque Hominis virtus facilè illi benevolentiam conciliaverit Fraternitatis tuæ, quæ eandem ei, quàm nobis loquentibus, fidem habere poterit. Cœterùm, cum tuas opes, authoritatemque ad Religionis ſalutem contuleris, teſtis Tibi ipſe erit, quanto ſtudio faveamus gloriæ Fraternitatis Tuæ, cui Nos à bonorum omnium Deo felicitatis incrementum exoptantes, Apoſtolicam Noſtram Benedictionem iterum impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Septembris Pontificatus Noſtri anno primo.

Ex Archivo & Reg. præd. fol. 265.

Eodem argumento.

Venerabili Fratri, Godefrido, Epiſcopo Herbipolenſi.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SI coràm tumultuantis Germaniæ, & afflictæ Religionis pericula intueremur, neſcimus planè, an præſentibus majorem Nobis ſolicitudinem ea, qua dies noctesque in præſentia, licèt abſentes, urgemur, addere poſſent. Planè ita iſtarum Provinciarum comovemur miſeriis, ut eas ad Nos ſpectare omnino ſentiamus, iiſque vel ſanguinis effuſione, ſi ita cõverti ad ſalutem poſſet tantum malum, libentiſſimè mederemur. Intelligimus enim, quod Nobis onus incumbit, qui Reipublicæ Chriſtianæ procurationem Spiritu S. mandante ſuſcepimus. Noſtra enim res agitur, cum dilectis Filiis noſtris Catholicis calamitates impendent. Eas quidem depellere omni ope conamur: neque precationibus tantummodo miſerentis Dei pacem continenter expoſcimus, ſed Principes hortando, ſubſidiarias copias in Germania conſcribendo, militaria æra ſuppeditando, Nos quoque ex hoc altiſſimo Pontificiæ dignitatis faſtigio pro Domino exercituum militamus. Ven. Fratribus Nunciis noſtris Apoſtolicis mandavimus, ut vigilanter pro communi ſalute in ſua quiſque ſtatione excubet, Noſque paterno ſemper timore ſollicitos, quam diligentiſſimè certiores faciant de omnibus difficultatibus, quibus poſſit Eccleſiæ & Imperii dignitas conflictari. Nuper autem iſtuc, ut graviſſima noſtro nomine negotia curaret, legavimus Dilectum Filium, Fratrem Hyacinthum Caſalenſem Capuccinum, Virum acri ingenio & prompta eloquentia, qui rebus humanis valere juſſis, ſe ipſum pro animarum ſalute, & Religionis propagatione devovit. Ab eo has literas accipiet Fraternitas tua, cujus perſpectæ pietati, atque virtuti ita fidimus, ut apud Te nullius commendatione egere arbitremur, qui Sedis Apoſtolicæ dignitati inſerviunt. Ei eandem, quam Nobis loquentibus, fidem habere poteris; atque ille Tibi luculenter teſtabitur, qua Te benevolentia complectamur, Præſulem generis claritate & virtutis ſplendore clariſſimum, qui ampliſſimas divitias, quas tibi Pater pauperum diſpertiendas credidit, probè intelligis eſſe debere, non unius domûs patrimonium, ſed publicum paupertatis ærarium, Eccleſiaſticæ dignitatis ornamentum, & periclitantis Religionis præſidium. Capeſſe his calamitoſis temporibus Rempublicam, ut facis, Ven. Frater, approba Germaniæ, Te hęreſum domitorem, defenſoremque pietatis, felicitatem amplitudinemque tuam in Religionis propugnatione poſuiſſe. Datum Romæ *ut ſupra*.

Joannes Ciampolus Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Princ. *fol.* 290.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Bavariæ Duci.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EX litteris dilecti Filii, Fratris Hyacinthi Caſalenſis, Capuccini, nuper cognovimus, quo ſtudio Nobilitas Tua in præſentibus Germaniæ perturbationibus Catholicæ Religionis cauſam tueatur. Gratias agimus miſericordiarum Patri planè ex animo, quod in Pontificatu noſtro Eccleſiam ſuam tam opportunè communierit tanti Principis pietate, atque fortitudine. Nullam enim gloriam nomini noſtro impenſiùs quærimus, quàm Regnum Dei, inter homines non defendi ſolùm, ſed propagari. Sanè, quantam ex virtute tua fœlicitatem periclitanti Reipublicę comparari poſſe ſperemus, uberiùs intelliges ex ipſius Fratris Hyacinthi ſermonibus. Quare ei, publicam Religionis & Imperii cauſam differenti, eandem, quam Nobis ipſis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem noſtram

ſtram peramanter impertimur. Datum Tuſculi die IV. Novembris MDCXXI. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Autog. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. præd. f.* 290.

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Svicardo, Archiepiſcopo Moguntino, S. Rom. Imp. Principi Electori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ETſi optimorum conſiliorum, ac præclariſſimarum rerum conſcientia in graviſſimis Patriæ ruentis calamitatibus egregios ſemper Viros ſatis ſuſtentaſſe viſa eſt, Fraternitati tamen tuæ in perturbato iſto Romani Imperii ſtatu, non modò conſcius animus, ſed ipſius quoque famæ teſtimonium non mediocri ſolatio eſſe potuit. Ubi enim præſentium periculorum Germania recordabitur, beneficia quoque recordabitur Fraternitatis Tuæ, cujus nomini tanta rerum perturbatio haud exiguæ ſanè gloriæ ſeges ac materies fuiſſe videtur. Nam planè, quid non effeciſti, quò ad ſalutem celerrimè converteretur tantum malum? Etſi enim in aciem dimicaturus non prodiiſti Antiſtes, non annorum modò, ſed prudentiæ quoque ſenio venerabilis, tamen conſilio, ſumptibus, animo militaſti. Eam de Fraternitate Tuâ opinionem cum jampridem cęperimus, Tibi iterum literis noſtris Pontificiam benevolentiam teſtatam eſſe volumus. Porro tantùm perſpectæ tuæ fidei tribuimus, ut Te, cum ad animarum ſalutem tuendam & ad Catholicam Religionem propugnandam hortamur, ea clauſula uſuri ſimus, ut Te tui ſimilem eſſe, Tibique morem gerere cupiamus. Jam verò, quam paternam ſolicitudinem noſtram literæ declaraverunt, quas Dilectus Filius, Frater Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus reddidit Fraternitati tuæ, eâ nunquam liberari animum noſtrum patiemur, dum Germaniæ & Religioni, mendacii Pater per deſertores Hæreticos ruinæ periculum ſtruet. Omnino operam dabimus, ut neque conſilio, neque re ipſa Vobis unquam defuiſſe arguamur. Ac Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIII. Nov. MDCXXI. Pontificatus verò Noſtri Anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Ex Archiv. Secret. Brev. Apoſtolicorum Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 376.

Eundem Fr. Hyacintum ob eadem Religionis negotia in Hiſpanias euntem commendat.

A Tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Philippo, Hiſpaniarum Regi Catholico.*

GREGORIUS PAPA XV.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUàm magnus moleſtiarum, dolorumque proventus ex altiſſimis dignitatibus colligatur, docent Nos in præſenti rerum diſcrimine Germaniæ ſibi diſſidentis perturbationes. Noſtra enim res agitur, cum perduellium hæreticorum armis Catholica Religio, Romanumque Imperium conflictatur. Etenim, cum Pontificatus noſtri gloriam in Divini cultûs incremento, & Chriſtianorum Principum concordia putemus, facilè ſtatuere poteſt Majeſtas tua, quàm atrox paternæ noſtræ ſolicitudini ſpectaculum Germania præbeat, tam diuturnis obſtinatiſque Procerum factionibus laniata.

Non tamen earum miſeriarum conſpectum fugimus: ſed, quamvis uberes ex oculis noſtris lachrymas eliciant, ab earum tamen cogitatione animum fere nunquam abducimus. Et profectò libenter vitæ ipſius periculo ſanguiniſque profuſione tranquillitatem ejus Provinciæ redimeremus, quæ Romani domicilium Imperii, & bellicæ fortitudinis arx jam inde uſque à Caroli Magni temporibus habita eſt. Quapropter omnia accuratiſſimè experimur, quò tot ejus ſe ipſam lacerantis vulneribus opportunam medelam adhibeamus. Primùm enim æternum illum Regum arbitrum, qui cogitationes populorum & conſilia Principum reprobat, aſſiduis precibus gementes rogitamus, ne funeſtam ac luctuoſam Eccleſiæ velit eſſe præſentis ætatis memoriam, quæ tot Principes tulit, non minus pietatis ſtudio, quàm regnorum poſſeſſione commemorabiles. Tum æra militaria, ac ſubſidiarias copias Chariſſi-

riſſimo in Chriſto Filio noſtro, Ferdinando, Imperatori electo, fœderatiſque Germaniæ populis, quantùm per Apoſtolici ærarii anguſtias licet, ſubmittimus. Sed quia bella non tam militum armis, quàm Principum animis & geruntur & dirimuntur, ad eorum voluntates conciliandas non ſolùm Apoſtolicis literis frequentibus, Nuntiorumque noſtrorum aſſiduo ſermone utimur, ſed in Germaniam jampridem ablegavimus Dilectum Filium, Fratrem Hyacinthum, Caſalenſem, Capucinum, Virum iis Proceribus haud ignotum, præſtanti ingenio, & promptâ eloquentiâ, tum vitæ integritate & rerum humanarum deſpicientia inſignem, qui privatis omnibus rationibus poſthabitis, animarum ſaluti, & Religionis dignitati conſuleret. Nunc autem eum, qui noſtra & Chriſtianæ Reipublicæ negotia curans Germanorum Principum animos nuper introſpicere potuit, in Hiſpaniam demigrare jubemus, ut Majeſtati Tuæ, cujus potentia maximi ſemper momenti futura eſt ad Chriſtiani Orbis felicitatem comparandam, tantam rem luculenter exponat, remediumque præſentibus perturbationibus ſalutare noſtro nomine demonſtret. Huic ergo perinde, ac Nobis ipſis, credere poterit Majeſtas Tua, à qua in viſceribus Jeſu Chriſti obſecramus, ut novi ſui Principatus initium facinore aliquo, in omnem poſteritatis memoriam celeberrimo, inſignire velit. Quod quidem haud difficulter continget, ſi regiæ tuæ mentis oculos ad eam provinciam adjeceris, cui Chriſtiana Reſpublica Auſtriacos Principes, Catholicæ Religionis propugnatores, debere ſe profitetur, ac Germanicas calamitates ſegetem ac materiam Hiſpalenſis gloriæ haberi volueris. Ita enim Domino æternùm regnanti, cui hominum genus, cœlumque & elementa ipſa famulantur, egregiè inſervies: ac præclarum illud Catholici nominis patrimonium, quod Tibi hæreditarium Majorum tuorum pietas reliquit, propriis Majeſtatis tuæ promeritis deberi, Europa omnis fatebitur, ac Majeſtati tuæ, Chariſſime in Chriſto Fili noſter, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Octobris MDCXXI. Pontificatus noſtri anno primo.

Joannes Ciampolus Secret.

Autogr. in Secret. Brev. ad Principes *Reg. menſ. & anni præd. f.* 298.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, N. Comiti Beneventi.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EO nos, licet meritis impares, miſerentis Dei dextera deduxit, ut dies noctesque aſſiduis curis fluctuantes, & dubio rerum eventu ſuſpenſi, perturbatæ Germaniæ pericula proſpiciamus. Quæ quidem quanta ſint, cunctæ Europæ compertum eſt, Noſque, qui nihil à Nobis alienum putamus, quod ad Catholicæ Religionis & Romani Imperii dignitatem pertineat, lachrymis faciliùs poſſumus, quàm verbis explicare. Tamen, quia deſperandum non eſt Dei cauſam propugnantibus, operam accuratiſſimè damus, ut Chriſtianus Orbis intelligat, eas calamitates Catholicæ Eccleſiæ luctuoſas ad præcipuam curam noſtram pertinere. Qua quidem de re certiorem faciet Nobilitatem Tuam, dilectus Filius, Fr. Hyacinthus, Caſalenſis, Capucinus, à quo Apoſtolicas Literas accipies: Eum enim, quem Italia in ſacris concionibus regnantem veneratur, Nos rerum agendarum peritia, & vitæ integritate inſignem in Germaniam jampridem miſimus, ut Pontificia Auctoritate cum iis Principibus publicam cauſam diſſereret. Eorum verò ſententiis penitus perſpectis, nunc mandato noſtro in Hiſpaniam proficiſcitur, qui à Catholico Rege, cujus maxima futura eſſe videtur in Germaniæ ſtatu conſtituendo auctoritas, ea Religioni & Imperio ſubſidia comparet, quæ Catholicorum omnium votis expetuntur. Nemo eſt, qui non videat, quantùm adjumenti ad publicam cauſam afferre poſſit pietas Nobilitatis Tuæ, quæ non ſolùm inter præcipua Hiſpanicæ Aulæ ornamenta, ſed etiam firmiſſima communis incolumitatis præſidia connumeratur. Ei ergo Fratri Hyacintho eandem, quam Nobis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, à qua obnixè petimus, ut illi omni ope ſuffrageris: nam Religionis dignitati inſervies, & Pontificiam voluntatem noſtram Tibi arctiùs obſtrinxeris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xv. Octobris MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Arch. & Reg. menſ. & anni præd. fol. 597.

Eodem exemplo commendavit Eundem & Franciſco, Marchioni Aytonæ.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Balthaſari de Zuniga.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

GErmania, quæ nomen Nobilitatis Tuæ ſingulari benevolentia, eximiiſque laudibus colit, auctoritatem, qua apud Catholicum Regem florere lætatur, non ſolùm virtuti Tuæ ornamento, ſed periculis quoque ſuis præſidio fore ſperat. Ut tantæ expectationi cumulatè reſpondeas, Nos, qui jampridem gloriæ tuæ favemus, à Te tanto ſtudio petimus, ut majore contendere non poſſimus. Dici enim vix poteſt, quàm Nos ſollicitos habeat dies noctesque Germanicarum miſeriarum cogitatio, quæ quidem Nos omnino quieſcere non patiuntur. Reverà Catholicæ Religionis, & Romani Imperii calamitates non ſolùm ei Provinciæ funeſtas, ſed Pontificatui etiam noſtro, hujuſque ætatis Principibus indecoras arbitramur. Quamobrem operam obnixè atque continenter damus, ne tot periclitantis Reipublicæ damnis noſtram quoque culpam deſidiamque addamus. Quod rebus potius, quàm verbis Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Ferdinando, Imperatori electo præſtare, ac toti Chriſtiano Orbi approbare ſemper nitemur. Nunc autem, ut cætera prætereamus, quæ prudentiam tuam non præterire arbitramur, jampridem illuc ablegavimus dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, Virum rebus agendis, Deique cauſis patrocinandis natum, ut ingenium omne atque eloquentiam, qua pollet, ad id negotium conferret, Germanorumque Procerum animos conciliaret, ut privatis rationibus omnibus neglectis, Catholicæ Religionis dignitati inſerviret. Intimos ergo eorum ſenſus ſatis introſpicere cum hactenus potuerit, noſtra negotia curans, juſſimus Eum modò in Hiſpaniam proficiſci, ut periclitanti Chriſtianæ Reipublicæ ea mandato noſtro remedia à Catholico Rege comparet, quæ à tantæ potentiæ amplitudine Chriſtianus Orbis exſpectat, & Germania ipſa, vetus Auſtriacorum Principum Parens, ſuo quodam jure exigere videtur. Occaſio Hiſpaniæ in præſenti rerum perturbatione offertur, qua Imperii ſui Majeſtatem Catholicæ Eccleſiæ, atque univerſæ Europæ ſalutarem eſſe demonſtret, Nobilitati verò Tuæ campus patet Germaniæ demerendæ, ac Religionis amplificandæ, qui quidem præſtantiſſimus eſt fœlicitatis uſus, nec certiore ratione ei poteſt diuturnitas comparari. Quam gloriam hæreticis comprimendis Catholicus Rex aſſequetur, in ejus ſocietatem Europa omnis vocatura eſt Nobilitatem Tuam, cujus conſilia eſſe creduntur non ſolùm Hiſpanicæ dignitatis, ſed publicæ etiam ſalutis præſidia firmiſſima. Quare Fr. Hyacintho, noſtras litteras deferenti, auctoritate tua ſuffragaberis, eique eandem, quam Nobis ipſis, fidem habere poteris, ſi Tibi Pontificia benevolentia, & Catholici Nominis dignitas chara eſt. Quod quidem pro comperto habentes, Apoſtolicam Benedictionem noſtram Tibi, dilecte Fili, Nobilis Vir, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XV. Octobris MDCXXI. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Regeſto præd. fol. 304.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Antonio de Sotomajor Ordinis Prædicatorum, Regis Catholici Confeſſario.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

PIetatis atque prudentiæ commeatu abundans, è Germania in Hiſpaniam proficiſcitur, noſtra, & Catholicæ Eccleſiæ negotia curaturus, Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus. Cum enim perturbatus Romani Imperii ſtatus maximas Nobis quotidie conficiat ſolicitudines, decrevimus Chriſtiano Orbi teſtatum relinquere, nihil à Nobis prætermitti, quò à Chriſtianæ Reipublicæ Corpore imminentia pericula propellamus. Cum autem Principum concordiâ communis ſalus præcipuè contineatur, non tam accuratè legiones comparandas eſſe duximus ad hoſtium impetus infringendos, quàm cohortationes ſcribendas ad Procerum plerumque diſſidentium voluntates conciliandas. Id verò negotium, quo Religionis & Imperii propugnacula ſtabiliuntur, conficiendum curavimus per Virum Religioſum, qui privatis omnibus rationibus poſthabitis, non gratiæ, aut iræ, ſed Animarum ſaluti, & Catholici nominis dignitati inſerviret. Neque profectò Nos hactenus facti pœnituit. Fruſtra enim in Germaniam ablegatus non eſt Frater Hyacinthus, quin ingenio & eloquentia militans, non parum adjumenti ad publicam cauſam tuendam attuliſſe videatur. Nunc autem, cum Germanicarum perturbationum ſpectator, maximorumque conſiliorum auditor fue-

ſuerit, ad Catholicum Regem mandato noſtro proficiſcitur, à quo beneficia, in omnium ætatum conſequentium memoriam clariſſima, in præſenti rerum diſcrimine Chriſtianæ Reipublicæ poſtulat, atque exſpectat. Multa atque opportuna habes, dilecte Fili, quo Hiſpaniæ approbes Religioſorum Hominum virtutem, ubi è Clauſtris atque latibulis in Regum aulas introducuntur, eſſe Reipublicæ ſtatui conſtituendo ſalutarem. Proinde Fratri Hyacintho, has litteras deferenti, tantamque cauſam differenti, eandem, quam Nobis ipſis, fidem habere poteris, eique auctoritate tua, etiam invocatus præſtò fueris. Neque enim veremur, quin conſimile vitæ inſtitutum facilè inter Vos amicitiam copulare poſſit. Agite ergo Viri, ob rerum humanarum contemptum in conſpectu potentium admirabiles, Rempublicam Chriſtianam alacriter capeſſite, conſociate conſilia, date operam, ut in Catholici Regis animo, cœteris rebus neglectis, Religio pietaſque triumphet; ut Germania & Imperium teſtari univerſæ Europæ aliquando poſſint, Hiſpanienſium Regum potentiam Catholicæ Eccleſiæ non ornamentum modò, ſed propugnaculum eſſe. Tibi verò, quem Nobis libentiſſimè gratificaturum eſſe confidimus, Apoſtolicam Benedictionem noſtram peramanter iterum impertimur. Datum *ut ſupra*.

Ex Reg. præd. fol. 305.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Caſpari Comiti de Olivares.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcepimus Nobilitati Tuæ eam mentem ineſſe, ut propriæ Amplitudini Te conſulere exiſtimes, ubi Catholicæ Religionis dignitati inſervis. Cujus gloriæ comparandæ Tibi nunc opportunitas ſanè non mediocris adveniet, proficiſcente in Hiſpaniam Fr. Hyacintho Caſalenſi, Capucino. Cum enim in ipſo noſtri Pontificatus exordio Virum hunc, vitæ ſanctimonia, ac eloquentiæ laudibus celebratum, in Germaniam ablegaviſſemus, ut publicam cum Romani Imperii Principibus cauſam ageret, nunc ad Catholicum Regem mittimus, quo Germaniæ periclitanti ab Hiſpanienſi potentia, atque pietate, ſubſidia illa comparemus, quæ Chriſtianæ Reipublicæ pericula exigunt, & conſentiens Catholicorum omnium vox flagitat. Confidimus ergo Te illi authoritate Tua ſuffragaturum eſſe, qua Is utatur ad noſtra negotia celeriùs conficienda. Id quidem à Nobilitate Tua obnixè cum poſtulemus, ei perinde, ac Nobis ipſis, credi volumus. Jam verò ita gloriæ Nobilitati Tuæ favemus, Dilecte Fili, ut cupiamus Te optimorum conſiliorum non participem modò, ſed auctorem in Hiſpanienſis Aulæ celebritate prædicari.

Datum *ut ſupra*.

Ex Regeſto præd. fol. 308.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, N. Duci de Infantado.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DEcet egregios Viros, quorum nomen Majorum claritudo famæ commendavit, non ſibi tantummodo, Patriæque proſpicere, ſed exteras quoque Nationes curâ, beneficiiſque complere. Neque minus par eſt, Catholicos Principes nihil à ſuis Nationibus alienum exiſtimare, quod ad Religionis & Divini Cultûs dignitatem pertineat. Non eſt ergo cur vereamur, ut Nobilitati Tuæ gratiſſima futura ſit ea occaſio Germaniæ juvandæ, ac Catholici nominis amplificandi, quam Tibi propediem allaturus eſt adventus Dilecti Filii Fratris Hyacinthi, Capucini, à quo has literas accipies. Ab eo, quem vitæ integritate, & rerum peritia præſtantem graviſſimis negotiis curandis ad Catholicum Regem ablegamus, uberiùs cognoſces, quantùm pietati tuæ tribuamus, cujus authoritatem Hiſpaniæ glorioſam, Imperio verò & Religioni ſalutarem fore confidimus. Ne ea Nos ſpes decipiat, enitere, Dilecte Fili, Nobilis Vir, atque toti Europæ teſtare, Te Majorum tuorum imitatione inſtitutum, maximam gloriam præcipuamque fœlicitatem in veræ Religionis amplificatione poſuiſſe. Ei ergo eandem, quam Nobis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum *ut ſupra*.

Ex eodem Regeſto fol. 309.

Eo-

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Auguſtino Meſcia.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

POſſunt etiam longè ab acie & caſtris egregii Viri militare, & Rempublicam fortiter tueri. Communis enim ſalus non minus Principum concordiâ, quàm militum armis ſæpe confirmatur. Quare facilè intellectu eſt, quàm firmum in optimis conſiliis publicæ incolumitati præſidium ſit. Ejus rei cum plura, eaque illuſtria documenta extiterint in pietate & prudentia tua, qua Catholicæ Religionis ditionem conſtanter propugnare diceris in Hiſpanienſis Regis aula, à Nobilitate tua, quod facillimum eſt, petimus, ut Tibi ſimilis ſis, tuaque ipſe exempla in Germanicarum rerum diſcrimine imitère. Quid autem â Te præcipuè poſtulemus, uberius accipies â Dilecto Filio, Fr. Hyacintho Caſalenſi, Capucino, quem ê Germania redeuntem ablegamus ad Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum, Catholicum Regem, ut graviſſima negotia quamprimùm noſtro nomine conficienda curet. Ei ergo ſanctimoniâ, prudentiâ, atque eloquentiâ apud Italicos clariſſimo & Germanicarum perturbationum perito, eandem, quam Nobis ipſis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, quæ, ſi ei publicam Religionis & Imperii cauſam agenti ſuffragata fuerit, & Germaniam contra hæreticorum perfidiam, quamvis abſens, defendet, & Pontificiam benevolentiam noſtram promerebitur. Ac Tibi, Dilecte Fili, Nobilis Vir, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Regeſto prædicto fol. 312.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, N. Duci Montis Leonis.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ITalici nominis decus eſt, Nobilitatem Tuam in earum laudum poſſeſſionem vocari, quibus Hiſpanienſis Aulæ amplitudo exornatur. Nos quidem Tuæ pietatis gloriæ faventes, libenter Tibi occaſionem offerimus, per quam novis ſemper Catholicam Religionem meritis cumulare poſſis. Non mediocris verò ejuſce rei facultas aderit, veniente in Hiſpaniam Dilecto Filio, Fr. Hyacintho Caſalenſi, Capucino, è quo literas noſtras accipies. Ab eo, vitæ ſanctimonia præcipuo, & Germanicarum perturbationum peritiſſimo, uberiùs ſententiam noſtram intelliges. Nobilitatem Tuam rogamus, ut ei non ſolùm eandem, quam Nobis ipſis, fidem habeas, ſed officioſè etiam omni ope ſuffrageris, tanquam Viro Nobis gratiſſimo. Cujus quidem conſiliis, ſi miſerentis Dei clementia, & Principum conſentientium voluntas aſpirârit, ſperamus graviſſimis periculis, quibus ea jamdiu conflictatur, Catholicam Religionem in Germania liberari poſſe, ac Tibi Dilecte Fili, Nobilis Vir, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Reg. præd. fol. 313.

Eundem in Belgium reducem commendat.

A tergo: *Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Iſabellæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, Hiſpaniarum Infanti, Viduæ.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ORthodoxæ Religionis hoſtes, æternique Regis proditores hæretici, non ſolùm linguam ſuam, quaſi arcum mendacii intenderunt, ſacrilegarum opinionum portentis Catholicam veritatem oppugnantes, ſed impias etiam manus armârunt, innoxii Sanguinis ſitientes, Templorumque ruinis impietatis arces extruere cogitantes. Peccatis hominum commerentibus, quæ ſceleri non ſolùm perfugia, ſed Regna in pluribus Europæ Provinciis compararint, hujus ætatis, totiuſque Septentrionis miſeriæ declarant. Nos quidem iſtuc Paternæ Noſtræ ſollicitudinis oculos aſſiduè lachrymantes convertimus, vitamque noſtram pro iſtarum Provinciarum ſalute libenter paciſceremur, ſi ea tantis vulneribus opportuna medela foret. Sed certè, quod poſſumus, accuratiſſimis precibus iratum Numen placare, Sanctorumque auxilia iſtis Populis periclitantibus parare conamur. Tum ea diligenter conſilia expendimus, quibus teſtemur conſequentibus ætatibus, exteriſque Provinciis nihil à Pontifice Romano alienum eſſe, quod ad Catholicæ Religionis dignitatem, Chri-

Chriſtianorumque Populorum ſalutem pertineat; decrevimus autem in præſentia iſtuc ablegare Dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, Virum ingenio præſtantem, Religionis ſtudio inflammatum, qui, cum Germaniam, Hiſpaniamque mandato Noſtro nuper peragraverit, Principum animos diligenter explorare potuit, eaque noſtro Nomine diſſeret cum Nobilitate Tua, quæ iſtis Provinciis ſalutaria, & Religioni decora eſſe exiſtimamus. Negotii gravitas, atque Hominis pietas nullius egent commendatione apud Nobilitatem Tuam, quam contra furentes hæreticorum impetus, Catholicæ Fidei Arcem, bonorumque omnium perfugium ſemper fuiſſe, Belgium tuo imperio gaudens teſtatur: tamen Apoſtolicis litteris Tibi hunc Virum diligentiſſimè commendare voluimus, exiſtimantes, quæ pietate ſuadente faceres, ea libentius Te hortantibus Nobis gratificaturam. Cætera cognoſces ex eodem Fr. Hyacintho, cui non ſecus, ac Nobis ipſis, credere poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Maii MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Ex Arch. Secreto Vaticano, Regeſto Brevium ad Principes *epiſt.* 78. *fol.* 51.

Eodem argumento.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Marchioni Spinulæ.

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Bellicæ laudes, quibus Nobilitatis tuæ nomen tot funeſtæ hæreticis Victoriæ in Belgio illuſtrârunt, cum Tibi Catholicorum omnium ſtudia, maximorumque Principum benevolentiam conciliaverint, ſatis luculenter declarant, quàm ſcienter eam gloriam appetas, in cujus poſſeſſione verſantur ultores ſcelerum, & Orthodoxæ Religionis propagatores. Quare admonitionibus non egere arbitramur Virtutem tuam, ubi ſalutaribus conſiliis, & fortibus armis Dei cauſa tuenda eſt. Militaria enim decora Nobilitatis Tuæ dum mentis noſtræ oculis obverſantur, gaudemus in iis præcipuè Provinciis tantam fortitudinem excubare, ubi graviora Fidelibus Populis pericula ſtruit humani generis hoſtis. Hæ verò calamitates, quàm Nos aſſiduè ſollicitos habeant, credimus, Germaniæ Principibus ſatis compertum eſſe. Quieſcendum tamen non eſt, niſi gladios, ſanguine Catholico madentes, ex hæreticorum manibus extorqueamus. Quare in præſentia iſtuc ablegare decrevimus Dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, ut noſtro nomine ea diſſerat, quæ paternam Charitatem noſtram teſtentur, & Religioni, atque imperio ſalutaria ſint. Ei eamdem, quam Nobis ipſis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, quæ plurimam à Nobis gratiam inibit, & Catholici nominis dignitatem tuebitur, ſi ejus conatus authoritate ſua juverit. Vir enim, qui felicitatem ſuam in Divini Cultûs incremento conſtituit, ac nuper Chariſſimos in Chriſto Filios noſtros, Ferdinandum Imperatorem electum, & Philippum, Catholicum Regem, alioſque Principes adiit mandato noſtro, eorum animos facilè introſpicere potuit, eaque Pontificio nomine proponet, quæ & Catholicæ Fidei dignitatem tutentur, ac feliciter ad exitum perduci poſſint. Apoſtolicam Nobilitati Tuæ benedictionem impartimur, cui tantæ gloriæ incrementum vehementer optamus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Maii MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Ex eodem Archivo, Regeſto, & folio.

Eidem Fr. Hyacintho Sacras Reliquias ex piis Germaniæ, Franciæ, Hiſpaniæ, & Belgicarum Ditionum Locis extrahendi, pro ſe retinendi, vel aliis Eccleſiis donandi facultatem impertitur.

A tergo: *Dilecto Filio, Hyacintho de Caſali, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis ac devotis ſupplicationibus Tuo Nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ac ſpecialem Tibi gratiam facere volentes, Teque à quibuſvis &c. cenſentes, Tibi, ut aliquas Sanctorum & Sanctarum Sacrarum Reliquiarum particulas, Tibi ſponte concedendas, ex Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis Locis piis Germaniæ, Franciæ, Hiſpaniæ, & Belgicarum Ditionum de inibi Præſidentium & Superiorum conſenſu, dummodo tamen non ſint

de

de inſignioribus, & muro clauſæ, recipere & extrahere, illaſque apud Te reverenter retinere, ſeu aliis Eccleſiis, Monaſteriis & locis piis, in iis debitis cum honore & reverentia collocandas & aſſervandas donare & elargiri liberè & licitè valeas, apoſtolicam auctoritatem tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis prohibitionibus, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quibuſvis aliis pœnis in contrarium deſuper quomodolibet factis; necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, & locorum præfatorum, illorumque Ordinum, etiam juramento &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Junii MDCXXII. Anno ſecundo.

S. Cardinalis S. Suſannæ.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtol. Regeſto menſis & anni præd. fol. 31.

In Conventu Principum Ratisbonenſi Fr. Hyacinthum benignè audiri noviter commendat.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Suicardo, Archiepiſcopo Moguntino, Sacri Romani Imperii Principi Electori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Victoriæ, quibus laborantem Religionem Catholicorum exercituum fortitudo hactenus in Germania ſubſtentavit, certiſſima ipſius Dei decreta ſunt, tandem exſurgentis, & judicantis cauſam ſuam. Ad eam defendendam advocare ille omnes Proceres videtur, qui Ratisbonam conveniſtis de impietatis ſupplicio, & Romani Imperii dignitate deliberaturi. Scimus, quàm conſtanter Fraternitas tua hæreticorum perfidiam ulta ſit. Nunc autem in iſto celeberrimo Conventu non dubitamus, an Religioſiſſimus Præſul, loricâ fidei, & gladio ſalutis armatus, militare velis fortibus conſiliis, ſalutaribuſque ſententiis. Id à tua virtute Catholica Religio, ex tot avitis Regnis dejecta, multiſque confecta vulneribus poſtulat gemitibus inenarrabilibus. Nos autem, quibus ejus tutelam ipſe ultionum Deus credidit, ex altiſſima hac Chriſtianæ Sapientiæ Cathedra Catholicos Germaniæ Principes alloquimur, clamitantes: Montes Iſrael, audite verbum Domini, Pontificiâ voce loquentis. Regnum Dei, quod omnium Principatuum firmiſſimum monumentum eſt, quærite ante omnia. Nulla vos ſpes decipiat, nulla vos formido terreat. Afferte veſtris ſententiis exoptatum id gaudium Angelis, & ſolatium hominibus, Palatinumque, proditorum & latronum Ducem, Catholici Nominis, & Imperii Romani hoſtem, Cæſareæ electionis jure tandem aliquando, Divis omnibus approbantibus, & flagitante Romanâ Eccleſiâ ſpoliate. Dum Vos conſultationibus Rempublicam Chriſtianam in iſto Principum Concilio defendetis, Nos accuratiſſimis precibus divina Vobis auxilia comparare ſtudebimus. Miniſtros verò Noſtros iſtuc ablegavimus, in quorum hortationibus paternam noſtram ſollicitudinem agnoſcet Fraternitas tua. Has autem Tibi litteras reddet Dilectus Filius, Frater Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, Vobis notus, Nobis gratiſſimus, qui nuper Europam peragravit, Pontificiæ voluntati obſequens, & Germanicæ incolumitati inſerviens. Eum ergo ſingulari charitate complecti, & eâdem, quâ Nosipſos, fide audire poterit Fraternitas Tua. Tuæ verò ſenectuti, de Patria, & de Religione præclarè ſemper merenti, tanti decoris coronam à Deo imponi in iſto Conventu cupimus, ut Te hæreticorum ultorem, & Eccleſiaſticæ, Imperatoriæque dignitatis aſſertorem conſequentium ſæculorum ætates in Germania nominare poſſint, & Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Septembris MDCXXII. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Ex Arch. præd. Epiſt. 161. *fol.* 104.

Eodem argumento.

Venerabili Fratri, Ferdinando, Archiepiſcopo Colonienſi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Quoties præſentia Germaniæ pericula reminiſcimur, toties de maximis Bavaricæ virtutis beneficiis, cogitare cogimur. Non oblitus eſt miſereri Deus, & hæreditatem ſuam non dereliquit, cum naufraganti Ger-

ti Germaniæ, & periclitanti Religioni tanta in Domo Fraternitatis Tuæ præſidia conſtituit. Novit Orbis terrarum, & hiſtoriarum monumenta teſtabuntur, quas Nobili Viro, Maximiliano, Fratri Tuo, victorias Romanum Imperium acceptas referat. Te verò in Fraternæ gloriæ ſocietatem Germania admittit, Præſulem Religionis ſtudio clariſſimum, & ſingularibus virtutibus humano generi commendatum. Perge, atque his artibus nomen tuum commenda immortalitati, animæ verò tuæ ſempiternos Cœleſtis Beatitudinis Principatus compara. Augendarum verò laudum tuarum occaſionem præclaram nanciſci potes in Conventu Ratisbonenſi, ubi ſperamus Fraternitatis Tuæ pietatem, ac prudentiam, non minùs hæreticis metuendas fore in conſultationibus, quàm fuerint arma Victoris Fratris Tui in acie. Paternam ſollicitudinem Noſtram teſtantes, hortationem quidem ad Te ſcribimus, ſed eâ, cum minimè egeas, non ſecus, ac laudatione oblectari poteris. Quam autem in perſpecta pietate tua ſpem Romana Eccleſia conſtituerit, intelliges ex dilecto Filio, Fratre Hyacintho, Caſalenſi, Capucino, qui Tibi has litteras reddet. Hominem Chriſtianis Principibus notum, & Religionis propagandæ ſtudio celebrem, non eſt, quod diligentiùs Tibi commendemus. Iſtuc enim noſtro juſſu proficiſcitur Romani Imperii dignitati, & Religionis ſecuritati conſulturus. Ei ergo eamdem, quam Nobis, fidem habere, ejuſque pios conatus auctoritate ſua juvare poterit Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum *ut ſupra*.

Ex Arch. præd. Epiſt. 161. *fol.* 105.

Eodem argumento.

Venerabili Fratri, Lothario, Archiepiſcopo Trevirenſi, Sacri Romani Imperii Principi Electori.

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Catholicam Religionem ſatis feliciter nuper in acie defendit Exercituum Deus, cum Romani Imperii Defenſores præclariſſimis victoriis decoravit. Nunc bonorum omnium votum eſt, ut non minus glorioſè de hæreticorum impietate Germani Principes in Ratisbonenſi Conventu triumphetis. Sæpius Fraternitatem Tuam, cæteroſque Præſules hortati ſumus ad cauſam Dei, & Imperii dignitatem conſtanter tuendam. En tempus adeſt, quo Europæ teſtemini, quàm inviſum ſit Germanicæ Nationi perfidiæ crimen, cum iſtorum ingeniorum fides tam crebris plaudentis famæ vocibus commendetur. Nil magis obeſt Populorum tranquillitati, quàm vitium felix, & non punita proditio. Quare, cum Palatinum, neſarium illum latronum Ducem, de occupatis Regnis, Militum Catholicorum fortitudo depulerit, Ei, læſæ Majeſtatis reo, & Religionum omnium hoſti, tandem aliquando Principum ſententiæ, Chriſtiano Orbe approbante, Cæſareæ electionis jus adimant. Id à Vobis palmas ad Cœlum tendens Orthodoxa Religio petit, in veſtris conſiliis præcipuam ſpem dignitatis ſuæ recuperandæ conſtituit, de hoc Angeli, Hominum Cuſtodes, aſſiduè Vos hortantur, id expectant homines, Deum timentes, qui immortalibus laudibus ejuſmodi decretum in omnem poſteritatis memoriam celebrandum, in Cœlum tollent. Notum Nobis eſt, quo ſtudio Fraternitas Tua Dei cauſam tueatur. Quare libentiſſimè cohortationes ad Te ſcribimus, quia maximos ex iis fructus percipi poſſe ſperamus. Teſtabitur Fraternitati Tuæ hanc ſpem, ac ſollicitudinem noſtram dilectus Filius, Frater Hyacinthus, Caſalenſis, Capucinus, qui Tibi has litteras reddet, & negocium hoc, quo Romani Imperii dignitas continetur, noſtro nomine Tecum diſſeret. Ei ergo eamdem, quam Nobis loquentibus, fidem habere poterit Fraternitas Tua, cui hunc Virum, Nobis gratiſſimum, cunctiſque fere Chriſtianis Principibus notum, præter Pontificiam benevolentiam noſtram, ingenii vis, religionis ſtudium, ac rerum agendarum peritia ſatis ſuperque commendabunt. Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem impartimur, cui à bonorum omnium Auctore tantæ gloriæ, & fœlicitatis acceſſionem precamur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Septembris MDCXXII. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

Ex Arch. Vatic. Secr. Reg. Brev. ad Princ. *ep.* 163. *fol.* 106.

Eodem Argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Godefrido, Epiſcopo Herbipolenſi.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SCuto circumdedit Te veritas Domini, dum rationibus aliis poſthabitis, Dei cauſam tanta relipioſi animi ſui conſtantia in diuturna iſta Germanicorum bellorum tempeſtate propugnavit Fraternitas Tua. Eundem ſcientiarum Dominum, qui hominum corda, & cogitata dirigit, in conſilio adfuturum Tibi ſperamus in Conventu Ratisbonenſi. Ibi pro Religionis dignitate militare, Romani Imperii ſecuritatem munire, & impietatis audaciam peropportunis ſuppliciis coercere poteritis, Germani Principes, dum Veſtri ſimiles eſſe velitis, & immortalibus beneficiis veſtræ virtuti, non Germaniam modò, ſed univerſam Catholicam Eccleſiam obligare cupiatis. Nobis quidem tantas negotium id conficit ſollicitudines, ut aſſiduis precibus, ac frequentibus lachrymis Vobis ſpiritum conſilii, ac pietatis cœlitus demitti precemur, tum autem Miniſtros noſtros iſtuc ablegamus, qui paternæ noſtræ charitatis ſenſa Germaniæ explicent. Has autem litteras Fraternitati Tuæ reddet dilectus Filius, Frater Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, Vir ſua virtute Romanis Pontificibus, cunctiſque fere Europæ Principibus commendatus. Ei autem negotiorum hujuſmodi perito, non ſecus, ac Nobis loquentibus, credere, atque authoritate, quâ pollet, ſuffragari poterit Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum *ut ſupra.*

Ex Arch. præd. Epiſt. 164. *fol.* 109.

Eodem argumento.

A tergo. *Venerabili Fratri, Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MUlta quidem flagella peccatoris, ſunt odium generis humani, conſcii animi ſupplicia, comiteſque ſcelerum furiæ. Verùm, ubi impietatem vires armaverint, cum ex Principum Divorumque neglectu potentiam ſuam oſtentet, ſceleratorum temeritati reſiſtendum eſt armis, atque decretis. Hactenus hæreticorum perduellium audaciam victoribus Catholicorum Militum gladiis in Germanicis Caſtris contudit Dominus, potens in prælio. Nunc id reliquum eſt, ut eam tandem aliquando fortibus ſententiis, Catholici Principes, opprimatis in Conventu Ratisbonenſi, ac proditorum faciem implentes ignominiâ, eorum turpitudinem Orbi terrarum, & conſequentibus ætatibus detegatis. Intelligit Fraternitas Tua, quanti Religionis interſit, aliquid in iſto Procerum Concilio decerni, quod æternum pietatis, ac fortitudinis Germanicæ documentum ſit. Nos autem, quos iſtarum Provinciarum perturbationes curis, ac dolore ferme conficiunt, piis ſupplicationibus ultionum Deum aſſiduè precamur, ut in veſtris ſuffragiis, munita lucis armis, & periculorum contemptrix Pietas triumphet. Ablegamus autem iſtuc Miniſtros noſtros, qui paternam ſollicitudinem noſtram Germanis Populis teſtentur, atque ad Dei cauſam tuendam animos inflamment. Inter hos erit Vir ſingulari ingenii acumine, ac præcipuo fidei proferendæ ſtudio celebratus, Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, qui Tibi has litteras reddet. Ab eo accipies, quam in tuis conſiliis, atque ſententiis ſpem conſtituerimus. Da igitur operam, Venerabilis Frater, ne tam præclara de tuis virtutibus expectatio Nos decepiſſe aliquando dicatur. Illi autem loquenti, perinde, ac Nobis credet Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die x. Septembris MDCXXII. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Ex Archivo prædicto &c. epiſt. 165. *fol.* 107.

Eodem argumento, & alio Exemplo.

Eidem.

GREGORIUS PAPA XV.

Ven. Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COnſilia Fraternitatis Tuæ, Coelo lætitiam, Romano Imperio decus, & Catholicæ Religioni ſecuritatem addere poſſunt in Conventu Ratisbonenſi; unius enim diei decretum conſequentium ſæculorum ætates, omneſque Principis Apoſtolorum tementes Provincias liberare poteſt eâ formidine, quâ Orbem Chriſtia-

ſtianum in Comitiis Imperatoriis hæreticorum Electorum audacia continenter exterret. Quod periculum adeo metuendum eſt, Venerabilis Frater, ut id tantæ gloriæ ac felicitatis mercede ſubeundum non ſit. Præcepta Chriſti, & Cœli proemia in conſilium adhibe, & non dubitabis vitam ipſam, nedum opes omnes, pro Religionis propagatione paciſci. In hac ſententia eſſe quidem accepimus Fraternitatem Tuam, tamen Tibi iterum ſollicitudinem noſtram declarantes volumus, ut poſthabitis omnibus aliis rationibus, periculorumque minis neglectis in eo Germanicæ Nationis Conſilio Sententiarum tuarum vis, hæreticæ perfidiæ terror, & publicæ incolumitatis ſtabilimentum habeatur. Different Tecum negotium hoc graviſſimum, mandato noſtro, Venerabilis Frater Carolus, Epiſcopus Averſanus, Nuntius Apoſtolicus, & Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, quibus Pontificia auxilia pollicentibus eandem, quam Nobis, fidem habere poterit Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcat. die XXII. Decemb. MDCXXII.

Ex Archivo Secreto Vaticano.

Eodem argumento.

A tergo: *Ven. Fratri, Ferdinando, Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EXcipiet Ratisbonenſis Conventus Pontificias ſollicitudinis voces, Germanos Principes ad Religionis decus tuendum inflammantes: nunquam enim, niſi perfectâ re conquieſcemus. Diſceptabit in eorum Procerum deliberationibus Germanici Nominis exiſtimatio, Romani Imperii ſalus, & orthodoxæ fidei Dignitas. Scimus jampridem, quæ mens ſit Fraternitati Tuæ; quare docendus non es, quid à Te Catholici Nominis, & Bavaricæ Domûs rationes exigant. Id unum cura, ne Hoſtium minæ, aut periculorum magnitudo Te de ſententia deturbent: non equidem id ſuſpicari poſſumus de Fraternitate Tua, quam gladio ſalutis armatam in eo Principum Concilio Hæreticis formidoloſam fore ſperamus. Ut autem confidentiùs in eam arenam deſcendas, Dei cauſam, & Religionis decus propugnaturus, Pontificiâ Te iterum Benedictione munire decrevimus, ea tanto negotio auxilia ſuppeditaturi, quibus Noſtros confirmare, & publicæ ſalutis inimicos perterrefacere poſſimus. Agent cum Fraternitate Tua de tanta re, Venerabilis Frater, Carolus, Epiſcopus Averſanus, & Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, quibus eandem, quam Nobis ipſis, fidem habere poteris. Datum Romæ *ut ſupra.*

Ex eodem Arch. Vatic. ſecreto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Bavariæ Duci*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

EO' felicitatis, atque gloriæ pervenit Nobilitas Tua, ut, qui Tuis laudibus in Conventu Ratisbonenſi favent, ii Cœlum lætificent, & Catholicæ Religionis dignitatem curent. Quare noſtris admonitionibus ſanè non eges, qui Dei cauſam propugnans, victoriarum tuarum uberrimos fructus colliges, & Bavarici Nominis dignitatem amplificabis. Nos tamen Cæſaream Majeſtatem, cœteroſque Catholicos Principes novis cohortationibus cum in ipſo rerum diſcrimine inflammandos eſſe duxerimus ad Religionis auctoritatem conſtanter tuendam, Nobilitatem Tuam quoque alloqui decrevimus, ut, cum in acie hæreticorum vires feliciter contuderis, in conſilio etiam triumphes, ea removens impedimenta, quæ contra publicum bonum, tuumque decus comparare dicitur nefarius diſcordiarum Pater. Erit ſanè, cur triumphos Nobilitatis Tuæ Catholica Eccleſia ſalutares ſibi fuiſſe prædicet, ſi tandem aliquando Imperatoriæ Electionis vice, Sanctorum atque Hominum proditor Palatinus privabitur. Agnoſce in hac cohortatione illius charitatis magnitudinem, quâ Te de Religione & Imperio merentem Pontificia Mens complectitur. Cœtera Tecum uberius different, Venerabilis Frater Carolus, Epiſcopus Averſanus, Nuntius Apoſtolicus, & Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, quorum verbis, ubique eandem, quam noſtris, fidem eſſe cupimus. Deum oramus, ut in eo Germanorum Principum Concilio Chriſtianam Rempublicam ſoletur felicitas Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum *ut ſupra.*

Ex eodem Archivo Vaticano Secreto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Wolffgango Guilielmo, Duci Neoburgi.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

DOcuit jampridem Nobilitas Tua Germaniam univerſam, quanti apud Te ſit Divini Cultûs incrementum, & Catholicæ Religionis propagatio. Conſilia ex eodem Cœleſtis Sapientiæ fonte manantia poſtulat, atque exſpectat à Te Chriſtiana Reſpublica in Ratisbonenſi Conventu. Illius enim Sanctionibus Orthodoxæ Fidei ſecuritas, & Romani Imperii dignitas continebitur; beneficium, gratâ conſequentium ætatum memoriâ, & perpetuis Nationum omnium laudibus celebrandum, Eccleſia defferet iis, quibus ſuffragantibus, Imperatoria auctoritas proſcriptum Palatinum Cæſareæ Electionis dignitate ſpoliaverit, atque Imperii evadendi opem Hæreticis Principibus æternùm ademerit. Incredibile dictu eſt, quantùm Nobis gratiſſimum id negotium conficiat ſollicitudinis. Quare, etſi Imperatoris Electi pietati fidamus, atque conſtantiæ, cæteros tamen Catholicos Proceres alloquimur, quò ſociatis viribus, conſiliiſque periculorum omnium minas negligant, tantumque Chriſtiano Orbi ſolatium comparent. Quantam verò ſpem conſtituerimus in virtute atque prudentia Nobilitatis Tuæ, cognoſces ex ſermone Venerabilis Fratris, Caroli, Epiſcopi Averſani, Nuntii Apoſtolici, & Dilecti Filii, Fr. Hyacinthi Caſalenſis, Capucini, quibus tantum negotium curantibus, & Pontificia auxilia pollicentibus eandem, quam Nobis, fidem habere poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum *ut ſupra*.

Ex eodem Archivo Vaticano Secreto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Comiti de Ognat, Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Philippi, Regis Catholici apud Cæſaream Majeſtatem Oratori.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COeli, terrarumque oculi in Ratisbonenſem Conventum converſi ſunt; in eo enim Catholicæ Religionis Securitas, & Romani Imperii Dignitas diſceptabit. Pia Cæſareæ Majeſtatis voluntas, Dei beneficium, & orthodoxæ Fidei columna eſſe exiſtimatur; Catholicorum Principum Suffragia, Imperatoriæ Electionis dignitate proſcriptum Palatinum privatura videntur, quorum arma Eum de uſurpatis, atque etiam avitis regnis deturbarunt. Romana Eccleſia jam ſpe magnitudinem tanti gaudii præſumens, diem illum feliciſſimum exſpectat, qui tantâ Electionis vi Catholico Principi defferens, conſequentes ætates hæreticorum Cæſarum formidine liberet. Ipſe Exercituum Deus clariſſimis Catholicis Victoriis animos fidelibus Principibus auxit, ac Proditorum Spiritus infregit, ut tantæ rei perficiendæ tempus adeſſe cognoſceremus. In hac communi Principum Catholicorum conſpiratione, & Chriſtiani Orbis ſpe, Vox atque authoritas Nobilitatis Tuæ, quam Religionis præſidium eſſe cupimus, anxiis curis Paternæ noſtræ Charitatis viſcera complet, atque in Obtrectatorum voces incurrit. Nos quidem credere non poſſumus, Te Palatini perduellis cauſam ſuſcipere, ac de ejus reſtitutione cogitare, tamen, quia tunc ſeriò triumphat Princeps tenebrarum, cum humanarum virtutum auxiliis ad iniquitatis conatus juvandos abutitur, non poſſimus non vereri, ut, quod in ſacrilegis Deſertoris illius armis præſidium reperire non potuit, id modò à Politicis humanæ Sapientiæ conſiliis mutuari conetur. Quare Te Pontificiæ ſollicitudinis voce hortamur, ne committas, ut Tibi Auſtriaci Nominis hoſtes, & Orthodoxæ Fidei Deſertores beneficium debeant cœlo inviſum, & Chriſtianæ Reipublicæ pernicioſum. Cogita dies antiquos,& annos æternos in mente habe,non unius tantùm utilitati conſule ætatis. Quæ poteſt eſſe utilitas eorum promiſſis remunerari, qui Domum Auſtriacam de Regnorum poſſeſſione ejicere tentârunt, ac Romano Imperio ruinæ periculum ſtruxerunt? Quod porro Catholico Regi commodum compararetur, ſi in tot Nationum odium vocaretur Hiſpana potentia?

Quod

Quod certè contingeret, ſi Ea iſthic publici boni impedimentum, & perfidiæ tutela haberetur. Has malevolorum obtrectationes rebus ipſis propediem à Nobilitate Tua confutatum iri ſperamus, Dilecte Fili, ſcimus enim, Te non eo ingenio eſſe, ut divinæ ultionis ſupplicia non pertimeſcas, atque ſæculorum, populorumque omnium judicia negligas. Sanè, qui nunc pervulgatâ tam pernicioſæ ſententiæ ſuſpicione Romanam Eccleſiam anxias, ſpem authoritatemque tuam ſi ad Religionis dignitatem contuleris, cum immortali tui Nominis, & Catholicæ Majeſtatis gloria rem reſtituiſſe, & Cœlum lætificaſſe prædicaberis. Deus ille terribilis apud Reges terræ, cujus vicem in hac Apoſtolicæ Dignitatis Statione gerimus, Nobilitatem Tuam Pontificiis litteris alloquitur, atque à tuis conſiliis tantum beneficium Chriſtianæ Reipublicæ petit. Poteriſne aliquid ipſi Deo abnuere, cui Triumphatores orbis Terrarum, & Rectores generis Humani faſces Imperii ſubmittunt, & ſcabellum pedum ipſius venerantur? Scito, Nos induci nullâ ratione poſſe, ut tam malè exiſtimemus de Catholici Regis Miniſtro & de Hiſpano Oratore, qui civilem prudentiam, à Chriſtiana pietate ſejunctam, Regnorum potius excidium, quàm propugnaculum eſſe velit. Agent de tam gravi negotio Venerabilis Frater, Carolus, Epiſcopus Adverſanus, Nuntius Apoſtolicus, & Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, quibus perinde, ac Nobis, credere poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XXII. Decembr. MDCXXII. Pontificatûs noſtri anno ſecundo.

Ex Archivo Vaticano Secreto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Martino Becano Societatis Jeſu Presbytero, Cæſaris Confeſſario.*

GREGORIUS PAPA XV.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COmpertum eſt Romanæ Eccleſiæ, quodnam ſit Imperatoris electi in Conventu Ratisbonenſi Conſilium, ſed profectò non deſunt, qui metuunt, ne Religioſiſſimus Princeps in tantæ gloriæ poſſeſſionem ire non timeat, cum Ei ſit ſuper aſpides & Baſilicos ambulandum. Nos quidem exiſtimamus Catholicam Religionem, ut in acie vicit, ita & triumphaturam eſſe in eo Procerum Concilio. Tamen, quia in Mandatis Domini cupimus nimis, novis exhortationibus tum Cæſaream Majeſtatem, tum cœteros Principes ad tantum opus perficiendum cohortamur. Te verò alloquimur ingenio pollentem, pietate munitum, qui gloriaris in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut Te ſtrenuum Catholici Nominis defenſorem præbeas in iis Caſtris, in quibus iis armis res geritur, quibus plurimùm valere diceris, eloquentiæ vi, prudentiæ artibus, ac pietatis ſtudio. Eam Societati Jeſu gloriam compara, ut Ea tuis conſiliis labentem Romani Imperii compagem in Germania ſuſtentaſſe, oppugnatamque Catholicæ Religionis dignitatem defendiſſe prædicetur. Scimus, quantùm pietati tuæ tribuat Chariſſimus in Chriſto Filius Imperator Electus, Ei ex Armamentario Cœli arma lucis pete, quibus difficultates omnes profliget, & periculorum minas eludat. Non deerunt etiam Principi, tam præclarè de genere humano merenti, humana auxilia, ut, qui rei dubiæ politicâ prudentiâ rationes ſequuntur, & publicæ utilitati adverſantur, negotio perfecto tantum Chriſtianæ Reipublicæ beneficium diripere non audeant. Nos quidem & Paternam noſtram ſollicitudinem declaraturi, & Pontificia auxilia promitti volumus à Venerabili Fratre Carolo, Epiſcopo Averſano, Nuntio Apoſtolico, ac Dilecto Filio, Fr. Hyacintho Caſalenſi, Capucino, quibus eandem, quam Nobis, fidem habebis, Tibique Benedictionem Apoſtolicam peramanter impertimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Archivo Secreto Vaticano.

Eundem Fr. Hyacinthum in legatione confirmat, Socios pro ſuo arbitrio ubicunque aſſumere, & 6. alios Ordinis Religioſos, auctoritate Apoſtolica ad negotia Legationis tractanda ablegare concedit.

Foris: *Dilecto Filio, Hyacintho de Caſali Ord. FF. Min. S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm aliàs Tu ob tuum Catholicæ Religionis Zelum, prudentiam, dexteritatem, & rerum Germanicarum experientiam in Germa-

maniam pro gravibus, & ſervitium ejuſdem Religionis Catholicæ, nec non totius Imperii concernentibus negotiis pertractandis â fel. record. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore noſtro miſſus fueris, & pro iis & aliis negotiis hujuſmodi in Hiſpaniam, Galliam, Belgium, & alias Regiones, prout occaſio rerumque qualitas exegerit, & juſſu noſtro proficiſci, & negotia prædicta cum Principibus, & aliis Perſonis tractare Te oporteat, idcirco motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro Te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac deliberatione noſtris, Tibi per præſentes in virtute S. obedientiæ committimus & mandamus, ut pro negotis hujuſmodi tractandis ad præfatas, & quaſcunque alias Regiones & Provincias, ubi opus eſſe duxeris, accedas, dictaque negotia juxta datam Tibi à Domino prudentiam, ſecundum rei & casûs exigentiam auctoritate noſtra geras, & tractes. Quoniam verò Te eâ, quam optamus, & expedit, celeritate, ob infirmas corporis tui vires pedibus proficiſci non poſſe perſpectum habemus, motu, ſcientia, & deliberatione ſimilibus, Tibi, etiam in Virtute ſanctæ obedientiæ per eaſdem præſentes committimus, & mandamus, ut equo, ac alio omni meliori Tibi poſſibili modo, unâ cum Sociis tui Ordinis, qui Tibi ê re videbuntur, ubique locorum ad tuam electionem aſſumendis, hujuſmodi iter facias, eoſque ſex alios tui Ordinis Religioſos, quocunque opus eſſe judicaveris, pro iiſdem negotiis, eâdem auctoritate noſtra mittas, non obſtantibus Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Decembris MDCXXIII. Pontificatûs noſtri anno primo.

V. Teatin.

Ex Arch. Secretariæ Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſis & anni prædictorum fol. 28.

Eidem SS. Miſſæ Sacrificium una - ante diurnam lucem & aliâ - poſt meridiem - horis celebrandi facultatem largitur.

A tergo: *Dilecto Filio, Hyacintho à Caſali, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPirituali conſolationi tuæ, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, Teque ſpecialibus favoribus proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ſupplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium per unam - ante diurnam lucem, & poſt meridiem per aliam - horas tantùm celebrare liberè & licitè valeas, neque id Tibi ad culpam queat imputari, Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium licentiam concedimus, & impertimur, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Proviſo tamen, quod hujuſmodi indulto celebrandi ante lucem parcè utaris, quia, cum in Altaris Miniſterio immoletur Dominus noſter, Dei Filius, Jeſus Chriſtus, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 11. Julii MDCXXIV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

V. Theatinus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſ. & anni prædict. fol. 362.

Eundem pro Legationis negotiis commendat.

A tergo: *Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Iſabellæ Archiduciſſæ Auſtriæ, Hiſpaniarum Infanti, Viduæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MAgnorum exercituum animos gerens, & arma lucis ſtringens, Germaniam, Hi-

Hiſpaniamque nuper peragravit notus Belgicis nationibus dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus. Quid ille, Pontificiâ benedictione munitus, profecerit, exploratum eſt Nobilitati Tuæ, quæ probè intelligit ad impietatis conatus coercendos non minorem aliquando ineſſe vim in Sacerdotum pietate, quàm in militum fortitudine. Hunc gloriantem in Cruce Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Catholicæ Fidei dignitati ſervientem, paternâ charitate complectimur, cui graviſſima negotia mandamus. Ei ergo, Religionis cauſam curanti, & fidem haberi, & opem adjungi cupimus Nobilitatis Tuæ imperio, cui Benedictionem Apoſtolicam impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 11. Martii MDCXXIV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Ex Arch. Secret. Brevium ad Principes *reg. menſ. & anni præd. fol.* 342.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Marchioni Spinulæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SI cum triumphalibus armis Nobilitatis Tuæ conjungantur piæ Religioſorum Virorum orationes, videmur, quod impietati excidium meditari poſſimus: Neque tamen clam Te eſt, Exercituum Dominum ad profligandos inimicos noſtros uti aliquando non modò legionum gladiis, ſed etiam Sacerdotum precibus; his autem armatus, cum jam diu in ſeptentrione militet dilectus Filius Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, ſcimus ejus conatibus præſtò ſemper futuram authoritatem Nobilitatis Tuæ. Nihil enim Vir rerum humanarum contemptor aliud petit, quàm Divini Nominis gloriam, & generis humani ſalutem. Huic gravia negotia mandavimus, ad Catholicæ Fidei dignitatem pertinentia: Ei ergo, Nobis noto & gratiſſimo, credere, & ſuffragari poterit Nobilitas Tua, cui nova victoriarum decora precamur, & Apoſtolicam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die 11. Martii MDCXXIV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Ex eodem Archivo & Regeſto.

Eodem argumento.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ferdinando &c. in Romanorum Imperatorem electo.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NUllis aut periculis, aut fatigatur laboribus, qui ſcuto coronatus bonæ voluntatis, bellum hæreticæ perfidiæ indixit, & Religionis imperium propugnat. Proin fortem animum infirmo verſans in corpore dilectus Filius, Religioſus Frater Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, Germaniam, Belgium, Hiſpaniamque peragravit, tonans eloquio, & vexillum præferens Crucis Chriſti, locutus eſt de teſtimoniis Domini in conſpectu Regum, & non eſt confuſus. Hinc anxia impulſus charitate, & Pontificiæ ſollicitudini obſequens, revertitur ad Majeſtatem Tuam, neque unquam acquieſcet, niſi Romani Imperii Cuſtos, Orthodoxa Religio, victore pede minitantia hæretici Draconis capita conterat. Virum de Majeſtate Tua præclarè meritum, Nobis apprimè gratum, potentiſſimis Principibus notum, ſperamus à Religioſiſſimo Imperatore electo perhumaniter exceptum iri. Nos quidem ejus prudentiæ, & pietati tribuimus, ut ipſius verbis eandem, quàm noſtris, fidem haberi cupiamus à Majeſtate Tua, cui impietatis cornua confringenti, novorum triumphorum gloriam precamur, & Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XX. Aprilis MDCXXIV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

V. Theatin.

Ex eodem Archivo & Regeſto.

Eo-

Eodem argumento.

A tergo: *Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Eleonoræ &c. in Romanorum Imperatricem electæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

NON modò auguſtâ ſobole ditare poteſt Germaniam Majeſtas Tua, ſed conſilio etiam, atque authoritate Religionis Imperium propagare; ſi tamen Cæſareo patrocinio armaveris Viros, qui vitam fidei docuerunt, non minùs ferè publicæ cauſæ opitulaberis, quàm ii, quos militaris gloriæ cupiditas in aciem rapit, competitores mortis, & periculorum appetentes. Id cum exploratum ſit Majeſtati Tuæ, ſperamus Tibi gratiſſimum fore adventum dilecti Filii, Religioſi Sacerdotis, Fr. Hyacinthi Caſalenſis, Capucini, qui graviſſima Pontificio Mandato negotia iſthinc curabit. Europam animo amplexus, & corpore peragrans, potiſſimos Terrarum Principes adivit, charitate militans, & gladium illum ancipitem diſtringens, qui eſt Verbum Dei. Quàm propitius piis ejus conatibus affuerit Exercituum Dominus, Auſtriaca Domus poteſt luculentiſſimè teſtari, cujus ille dignitati conſuluit, dum Dei cauſam propugnavit: nunc iſthuc revertitur curaturus, ut in poſſeſſione clariſſimarum victoriarum Catholica Religio, & Romanum Imperium permaneat. Solatia Pontificiæ ſollicitudinis, & præſidia Orthodoxæ Fidei augebit Majeſtas Tua, ſi Imperatoria authoritate Sacerdotis hujus, Nobis gratiſſimi, adjuvabit conſilia. Ei autem perinde, ac Nobis ipſis, credere poterit Majeſtas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die xx. Aprilis MDCXXIV. Pontificatûs noſtri Anno primo.

Ex Archivo præd.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Duci Bavariæ, S.R.I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

RECreavit Nobilitas Tua victricibus armis merentem Religionem, cui exitium aſſiduè meditatur hæreſis, perfidiâ potens, & ſeditionum nutrix. Non eſt certè, cur hæc bella inſtaurare cupiat; ejus enim calamitates docuerunt, Dominum potentem in prælio, pugnare pro Catholici Nominis Defenſoribus. Attamen, quia impietatem inſipientia comitatur, & temeritas, excubandum ſemper eſt, ſaltem, & donec profligatæ hæreticorum reliquiæ arma omnino abiiciant, ſuo ſanguine manantia, & audaciam deponant, ſuis partibus exitioſam. Eam curam ineſſe ſcimus Nobilitati Tuæ, cujus dignitas ita cum Religionis authoritate conjuncta eſt, ut, qui Deo famulatur, Tibi conſulat. Non eſt ergo, quòd tanto Principi diligentiùs commendemus Dilectum Filium, Religioſum Sacerdotem, Fratrem Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, qui graviſſima mandato noſtro negotia curaturus in Germaniam revertitur. Quantùm ejus itinera, & conſilia Catholicæ Religioni, Romano Imperio, & Bavaricæ Domui profuerint, Provinciæ iſtæ nunquam obliviſcentur, cum ſæviſſimorum pericula bellorum recordabuntur. Ejus verbis eandem, quam Noſtris, fidem haberi cupimus à Nobilitate Tua, cui Cœleſtem exercitum crebris victoriis colenti, novos triumphos precamur, & Apoſtolicam Benedictionem impartimur. Datum *ut ſupra.*

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Religioſo Martino Becano, Soc. Jeſu Presbytero, Cæſareæ Majeſtatis à Confeſſionibus.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ARma lucis fient conſilia pietatis Tuæ, ſi iis aſſiduè Imperatoriam Majeſtatem armaveris. Tibi Cæſar arcanos ſenſus detegit, videſque, ut Cœlitum amorem ſibi conciliet, ad genua procumbentem Principem illum, cui potentiſſimi Reges faſces Imperii ſubmittunt. Porrò autem non minùs glorioſum Tibi eſſe ducit Deum timere, quàm de homine triumphare. Quid à Te Eccleſia exigat, non ignoras; oracula veritatis, & conſilia Religionis per Te deeſſe nunquam debent Cæſareæ Majeſtati: id autem cum præſtare coneris, gratiſſimus Tibi erit adventus dilecti Filii, Religioſi Sacerdotis, Fr. Hyacinthi Caſalenſis, Capucini, qui graviſſima noſtro nomine negotia curabit: gloriatur tamen

men in Cruce D. N. Jeſu Chriſti, nec itinerum longinquitate, neque periculorum minis deterritus eſt unquam, quò minus contra furentes hoſtium phalanges, & ſubdolas politicorum inſidias Dei cauſam tueretur. Nunc autem conſociate conſilia, jungite preces, militate charitate, diſtringite gladium ſalutis, ò nobile Religioſorum par, ut Germania fateatur, ad faciendam vindictam in Nationibus, non credentibus, ac veræ Fidei imperium propugnandum, non minorem ineſſe vim in Sacerdotum conſiliis, quàm in militum telis. Fr. Hyacinthi verbis eandem, quam noſtris, fidem eſſe cupimus, qui Societatis Tuæ laudibus faventes, eximia hac in re ſolatia à Te exſpectamus, cui Apoſtolicam Benedictionem impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die xx. Aprilis MDCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Olderico Principi de Ecchembergh, primo Cæſareæ Majeſtatis Miniſtro.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſilia Nobilitatis Tuæ habentur in Germania præſidia Religionis: hujus gloriæ pulchritudinem ſi adamaveris, non erit certè, cur unquam Authoritatis Tuæ Romanum Imperium pœniteat: ſeditionum parens, & bellorum nutrix, hæreſis, niſi aliquando opprimatur, in aſſiduo motu Regnis iſtis erit vivendum. Affuit piis Imperatoriæ fortitudinis conatibus Exercituum Dominus, & perduellium hæreticorum calamitas docuit, quàm fragiles ſint Hæreticorum triumphi: poſtquam inimicorum Noſtrorum audaciam deterruêre hæc Cœli pro Romano Imperio militantis beneficia, par eſt, Principum fortibus conſiliis non modò cuſtodiri, ſed etiam augeri: neque enim eos decet fatigari, quos clariſſimæ victoriæ recreârunt: id intelligens dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenns, Capucinus, mandato Noſtro in Germaniam revertitur, ut graviſſima negotia cum Cæſarea Majeſtate diſſerat. Virum, qui publicæ ſaluli conſulens Europam illuſtravit, & in conſpectu Potentium mirabilis fuit: ſingulari humanitate ſi complectatur Nobilitas Tua, & omni, quâ poteſt, ope muniat, communia ſolatia augebit paternis illis ſollicitudinibus, quas Pontificiæ menti Germania ſemper conficiet, dum eam bellorum agitabunt aut furiæ, aut minæ. Tantùm autem Fr. Hyacinthi prudentiæ, ac pietati tribuimus, ut ejus verbis perinde, ac Noſtris, credi velimus à Nobilitate Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die xx. Aprilis MDCXXIV. Pontificatus noſtri Anno primo.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Ven. Fratri, Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

IN quibus Regionibus ſtabilitur hæreſis, venenata ſeditionum monſtra crebrò progignuntur: excubias ergo agere aſſiduè debent, quibus publica ſalus commendatur. Nos certè Pontificiæ mentis oculos à Germaniæ periculis non deflectimus, neque enim poſſumus in Apoſtolica Sede conquieſcere, niſi in Provinciis iſtis Religio triumphet, & pax floreat. Ablegamus ob id ad Imperatoriam Majeſtatem dilectum Filium, Religioſum Sacerdotem, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, quem nobiliſſimæ Provinciæ, & potentiſſimi Principes mirati ſunt tonantem eloquio, & gladio ſalutis contumaces impiorum ſpiritus exterrentem: hujus conatibus cupimus præſtò eſſe Authoritatem Fraternitatis Tuæ, quæ non leve Nobis ſolatium præbebit, ſi ei Sacerdoti, maximis Pontificibus gratiſſimo, fidem habebit, & eam, quam poterit, opem adjunxerit.

Datum Romæ apud S. Petrum &c. die xx. Aprilis MDCXXIV. Pontific. noſtri An. primo.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo. *Dilecto Filio Noſtro, Alphonſo, S.R.E. Presbytero Cardinali* de la Cueva.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noſter ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

INter armorum ſtrepitus audita eſt vox unius Sacerdotis pauperrimi, quem eloquio tonantem, & gladio ſalutis armatum, contra hæreſum monſtra dimicare vidiſtis: exploratum eſt tamen, quàm formidoloſa fuerit pietas, & eloquentia Dilecti Filii, Fr. Hyacinthi Caſalenſis, Capucini, quem iſthuc ad Religionis dignitatem tuendam Pontificia authoritas ablegavit. Non eſt certè, quod Nos ejus laboris pœniteat, qui Crucis Vexillum præſeferens ſuper aſpides, & baſiliſcos confidenter ambulavit. Quare, cum ei graviſſima negotia mandamus, ad Divini Cultûs incrementum pertinentia, patrocinio, conſilioque Tuo juvari eum cupimus, quod à perſpecta tanti Præſulis pietate ſolatium expectantes, ejus verbis perinde, ac noſtris, credi à Te petimus, cui Apoſtolicam Benedictionem impartimur. Datum &c. die 11. Maii MDCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Joanni Suicardo, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis authoritas, quæ Cœli beneficium eſt, Pontificatûs Noſtri cura eſſe debet; docent nimium graves ſibi diffidentes calamitates, quàm firmum ea ſit publicæ incolumitatis propugnaculum: hæreſes enim oportuit eſſe, non modò animarum venena, ſed etiam turbamenta Regnorum, quarum ſemen ignorantia, & ſuperbia, fructus verò diſſidia, & bella. Laborabimus ſemper de iſtarum Provinciarum ſalute ſolliciti, quouſque Orthodoxæ Fidei Defenſores armata impietas oppugnare poterit. Neque enim dum facultas aderit, deerit illi voluntas malè faciendi. Quæ conſilia tamen agitemus, declarabit Fraternitati Tuæ Dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, quem non minùs eximia merita, quàm Apoſtolicæ literæ commendant: huic gravia negotia mandavimus, quæ diſſeret cum FraternitateTua, quæ illius verbis eandem, quam Noſtris, fidem habere poterit. Cæterùm, ſi piis ejus conatibus opem feret, & dignitatis ſuæ gloriam augebit, & de communi fælicitate merebitur Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die VI. Maii MDCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno primo.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Lothario, Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

IN circuitu Germaniæ tempeſtas valida: utinam in ea Dominus deliteſcat, qui aliquando ponit tenebras latibulum ſuum; accuratiſſimis precibus ab eo petimus, ut omnipotentis clementiæ vi ex tanto terroris apparatu, illuſtre aliquod beneficium Catholicæ Religioni comparet. Nec minùs diligenter ea conſilia perpendimus, quæ Provinciis iſtis PontificiæCharitatis ſollicitudines teſtentur. Declarabit id loculentiſſimè Dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, cui graviſſima negotia mandavimus: uberem illeChriſtianæ gloriæ ſegetem ex Germaniæ calamitatibus in variis Europæ Regnis collegit. Non eſt ergo, quod Eum Fraternitati Tuæ commendemus commemoratione illarum laudum, quibus Franciſcanæ Familiæ decora auget, & potentiſſimorum Principum voluntates demeruit. Ei perinde, ac Nobis credi cupimus â Fraternitate Tua, cujus auctoritate & conſilio plurimum juvari poſſe cauſam publicam exiſtimamus.

Datum Romæ *ut ſupra.*

Ex Archivo prædicto.

Eo-

Eodem argumento.

A tergo: *Venerabili Fratri, Ferdinando, Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

POſteritas, quæ Germaniæ diſſidia, & Religionis pericula loquetur, Bavaricæ etiam Domûs beneficia, & Catholici fœderis victorias commendabit. Ea exempla hactenus dediſti pietatis & fortitudinis, ut earum oblitus eſſe videatur, qui Fraternitatem Tuam ad Fidei auctoritatem tuendam inflammare cogitat. Exſpectamus à Te digna Bavarico Principe, & triumphali Fratre conſilia: gratiſſimumque Nobis erit, ſi id teſtari iterum poterit Dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, qui graviſſima negotia Tecum Noſtro Nomine diſſeret. Quid ille moliatur, & quod beneficium è diuturnis iſtarum Provinciarum calamitatibus petat, bonorum benevolentia, & hæreticorum odium declarat. Nobis certè adeo charus eſt, ut ejus verbis, ac Noſtris, credi cupiamus à Fraternitate Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud S. Petrum &c. die v. Maii MDCXXIV. Pontificatus Noſtri Anno primo.

V. Theatinus.

Ex Archivo & Regeſto prædictis.

Eundem noviter ſuum Apocriſarium, & Miſſionarium cum facultatibus Apoſtolicis in Germaniam ablegat.

A tergo: *Dilecto Filio, Hyacintho de Caſali, Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum Profeſſori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIngularis & diu ſpectatus in rebus Catholicæ Religionis gerendis zelus, ac ardens in proximum charitas, aliaque inſignium virtutum dona, quibus Te novimus à Domino multipliciter inſignitum, in cauſa ſunt, ut nonnulla ejuſdem Religionis Catholicæ negotia, quæ Nobis maximè cordi ſunt, Tibi libenter committamus, ſperantes in Domino fore, ut noſtræ de Te expectationi cumulatè reſpondeas. Cum itaque Venerabiles Fratres noſtri, S. R. E., Cardinales, negotio Propagandæ in univerſo mundo Fidei præpoſiti, pro gravibus, & ſervitium ejuſdem Catholicæ Religionis in Germania concernentibus negotiis, Te illuc ſub noſtro & Sedis Apoſtolicæ beneplacito mittendum duxerint, & negotia Catholicæ Religionis hujuſmodi cum Principibus, & aliis perſonis juxta eorumdem Cardinalium commiſſiones & mandata, per Te tractanda ſint; idcirco Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtris Tibi per præſentes in virtute Sanctæ Obedientiæ committimus & mandamus, ut pro negotio Catholicæ Religionis hujuſmodi pertractandis ad Germaniæ partes, prout occaſio, rerumque qualitas exegerit, ſub omnimoda tamen Dilecti Filii Miniſtri Generalis tui Ordinis obedientia accedas, dictaque negotia Catholicæ Religionis, non ſolùm juxta eorumdem Cardinalium, verùm etiam Miniſtri Generalis, vel Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis, prout ipſis ab iiſdem Cardinalibus mandatum fuerit, commiſſiones & mandata, & non aliàs, occaſione Miſſionis hujuſmodi dumtaxat geras & tractes. Quoniam verò Te eâ, qua expedit, celeritate, ob infirmas corporis tui vires pedibus proficiſci non poſſe perſpectum habemus, motu, ſcientia & deliberatione ſimilibus, Tibi etiam in virtute Sanctæ Obdientiæ per eaſdem præſentes committimus & mandamus, ut equo, & omni alio meliori modo Tibi poſſibili iter hujuſmodi, ſub obedientia tamen tui Generalis, ut præfertur, facias, ac eos dicti Ordinis ſocios, de quibus inter Procuratorem prædictum, & Te tam quoad perſonas, quàm numerum conventum fuerit, aſſumas, eoſque, quòcumque opus eſſe judicaveris, pro ejuſdem Catholicæ Religionis negotiis juxta eorumdem Cardinalium, & Miniſtri, ſeu Procuratoris Generalis commiſſiones & mandata, ut ſupra, ſervatâ tamen in hac parte Regularium dicti Ordinis ſtatutorum formâ, mittas. Quia verò multæ Miſſiones pro ejuſdem Catholicæ Religionis ſervitio in prædictis Germaniæ partibus ſunt, volumus, & Tibi ſimiliter in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus & mandamus, ut vigore præſentium nihil, quod Miſſionibus tam hactenus factis, quàm de cætero faciendis, omnimodoque perſonarum ad Miſſiones hujuſmodi deſtinatarum exercitio præjudicare, ſeu eas in dicto exercitio impedire, vel retardare valeat, dicas, geras, ſive facias, quodque, ſi aliqua inter Te, & Miſſionarios hujuſmodi in præmiſſis differentia ſive con-

controverſia, aut aliqua difficultas oriatur, ab omnibus abſtineas, ſed tam de differentia, ſive controverſia, aut difficultate, ſi quæ oritur, quàm de omnibus & ſingulis per Te vigore præſentium faciendis & gerendis, Generalem tui Ordinis Procuratorem, cujus oneris erit, omnia Cardinalibus prædictis ſtatim referre, facias certiorem. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam &c. roboratis ſtatutis & conſuetudinibus; cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Junii MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

M. A. Maraldus.

Ex Archivo Secret. Brevium Apoſtolicorum Regeſto menſis & Anni præd. fol. 256.

N O T A.

PRælibatis Litteris Apoſtolicis adjunctum eſt & ſequens Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. Urbanus, divina Providentia Papa VIII. omnium hominum ſaluti pro ſuo Apoſtolico munere providere cupiens, Te, Fr. Hyacinthum de Caſali, Ordinis S. Franciſci Capucinorum, Miſſionarium in totam Germaniam mittere decrevit, & mittit, ut in ea cum facultatibus, Tibi per alias Litteras conceſſis, Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti annunties, & Populum illum doceas ſervare, quæcunque S. Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana præcipit, & præſertim, ut judicium univerſale futurum eidem conteſteris. Tu itaque Dei magnitudinem, & Apoſtolici muneris Tibi commiſſi gravitatem ſeriò apprehendens omnem adhibe curam, ut Miniſterium tuum dignè ac fideliter impleas, ut immarceſcibilem coronam à Patre Luminum recipere merearis. Datum Romæ ex Congregatione de Propaganda Fide 1. Junii 1626.

Cardinalis Ludoviſius Præfectus.

Franciſcus Ingolus Secret.

Facultates eidem conceſſæ fuerunt ſequentes.

Audiendi Confeſſiones quorumcunque Fidelium, utriuſque ſexûs, ubi non ſunt Parochi, vel Epiſcopi, &, ubi ſunt, de eorum licentia.

Abſolvendi ab Hæreſi, apoſtaſia à Fide, & Schiſmate.

Abſolvendi ſemel tantùm ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in Bulla Cenæ Domini clarè vel dubiè contentis, & à Simonia reali, dummodo pœnitentes parati ſint dimittere beneficia, & reſtituere fructus malè perceptos arbitrio Sanctiſſimi.

Legendi libros prohibitos, hæreticos, & alios quoſcumque prohibitos ad effectum confutandi.

Celebrandi Miſſas in Altari portatili, etiam ſub diû, & præſentibus hæreticis & excommunicatis, ſuper Altari fracto vel læſo.

Commutandi vota ſimplicia.

Diſpenſandi ſuper irregularitate, ex delicto tamen occulto proveniente, & non deducto ad forum contentioſum cum pauperibus Sacerdotibus, præterquam ex homicidio voluntario, Simonia reali, ac bigamia.

Concedendi Indulgentiam Plenariam prima vice pœnitentibus, quorum confeſſiones audiet, & communione refectis.

Celebrandi bis in anno Orationem 40. Horarum ubicunque in Germania ſuperiori & inferiori, ex conſenſu Ordinariorum: & concedendi Indulgentiam Plenariam ſingulis in ſingulis locis, qui confeſſi ac Sacra Communione refecti preces fuderint pro exaltatione S. Sedis Apoſtolicæ, infidelium converſione; qui verò intra ejuſdem Orationis tempus bis vel ter S. Euchariſtiam ſuſceperint, valeant per modum ſuffragii animam juxta intentionem ſuam à purgatorii pœnis liberare.

Concedendi in ſingulis Dominicis & feſtis decem annorum Indulgentiam intereſſentibus ejus concioni, & pœnitentibus, S. Communione refectis, in Feſtis primæ claſſis Indulgentiam Plenariam.

Concedendi pœnitentibus in articulo mortis conſtitutis Indulgentiam Plenariam, ſaltem contritis, ſi communicare non potuerint.

Lucrandi eaſdem Indulgentias, quæ ſæcularibus impertiuntur.

Liberandi Animas à Purgatorii pœnis celebrando Miſſam qualibet feriâ ſecundâ ad hunc effectum pro Defunctis, & quando in illos dies feſta duplicia incidunt, altera die ſequenti non impedita.

Utendi prædictis facultatibus in Germania ſuperiori & inferiori.

Communicandi ſupradictas facultates Fr. Alexandro de Ales, ac Fr. Baſilio de Airè ejus ſociis.

Feria ſecunda die XXVIII. Maji MDCXXVI.

Sanctiſſimus D. N. Urbanus, Divina Providentia Papa VIII. conceſſit ſupradictas facultates in Congregatio-

gatione S. Officii, habitâ in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis ſupradicto Fr. Hyacintho à Caſali Capucino ad decennium proximum.

I. G. *Cardinalis Millinus.*

I. A. Thomaſius S. R. & Univ. Inq. Not.

Eundem pro novæ Legationis ſucceſſu commendat.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro, Franciſco, S. R. E. Presbytero Cardinali de Dietrichſtein.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noſter Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

MIlitant contra hæreſim eloquia Sacerdotum, nec minores in Minores in Eccleſia parantur victoriæ, Conſiliis Sapientium, quàm dimicantium gladiis. Magni certè exercitus animum geſſit non ita pridem in Germania dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, qui, ut Religionis Imperium iſthic propagaret, Europæ Principes properanter adiit, tonans eloquio, & periculorum oblitus; ejus adventum ſperamus in præſenti rerum opportunitate Tibi fore gratiſſimum. Ille verò plurimum ſibi præſidii fore credit in patrocinio pietatis tuæ, ſi operam dederis, ne illum hujus expectationis pœniteat; aget cauſam Dei, & augebit ſolatia Charitatis noſtræ; ille verò teſtari poterit, quantùm oppugnatæ fidei præſidium exiſtimemus eſſe in Septentrione conſtantiam pietatis tuæ, quæ profuſione opum, & contemptu periculorum ſolet gloriam quærere, ſalutarem Eccleſiæ: ut hujuſmodi decora nunquam augere deſiſtas, à Te vehementer flagitamus, Cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. xxx. Maji MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

V. Theatin.

Ex Arch. Vatic. Secreto &c.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio noſtro, Erneſto Alberto, S. R. E. Cardinali de Harrach.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

BOhemia, quæ ſacris tuis laboribus culta, uberem Chriſtianarum virtutum meſſem pollicetur Eccleſiæ, poteſt non mediocriter juvari officiis, atque conatibus dilecti Filii, Fratris Hyacinthi Caſalenſis, Capucini, qui Religionis negotia curaturus ablegatur in Germaniam: in ejus meditatione exardeſcit ignis Apoſtolicæ Charitatis, & ignitum tam ſolliciti Sacerdotis eloquium didicit jampridem infelicem zizaniorum ſegetem radicitùs extirpare. Eum Tibi ſatis ſuperque commendatum eſſe ſcimus: teſtamur tamen Nobis gratiſſima fore omnia officia, quibus pios ejus labores authoritas tua iſthic muniet; quod à pietate tua dum ille præſidium, Nos ſolatium expectamus, Apoſtolicam Benedictionem Tibi peramanter impartimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die xxx. Maji MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Ex Archivo præd.

Eodem Argumento, & alio exemplo.

A tergo: *Venerabilibus Fratribus noſtris Joanni Svicardo Moguntino - Ferdinando Colonienſi - & Lothario Trevirenſi - Arihiepiſcopis, S. R. Imperii Electoribus.*

URBANUS PAPA VIII.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

COnvenientibus multorum Principum votis expetitus in Germaniam ablegatur dilectus Filius Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, qui jamdudum Deo,

Deo, & Religioni vitam devovit: experientiâ compertum eſt, quàm pretioſi illius labores fuerint hactenus, & quanti Fraternitatibus Veſtris, & Eccleſiæ ſalutares; iis enim virtutibus abundat, quæ inſtrumenta, & arma lucis videntur ad expugnandas voluntates Dominantium, & exterrendam audaciam impietatis; quare, cum ſciamus ejus adventum fore gratum Fraternitatibus Veſtris, videremur oblivíſci tum humanitatem, tum Religionem, ſi eum aliena commendatione apud Vos egere arbitraremur. Teſtamur tamen omnia officia, quibus pios ejus conatus adjuvabitis, non modò fore præſidia Fidei Catholicæ, cujus ille curam agit, ſed etiam ſolatia Charitatis noſtræ,quam Cœleſti Regno propugnando jamdiu ille promeretur. Complectimini, Venerabiles Fratres, Sacerdotem in voluntariæ paupertatis profeſſione abundantem opulentiâ Chriſtianarum Virtutum. Porro autem, quemadmodum illum veſtrarum laudum Prædicatorem Roma audivit, ita veſtræ gloriæ ſtudioſum Germania agnoſcat; Pontificiæ Charitatis magnitudinem in iſtas Provincias teſtari poterit Fraternitatibus Veſtris,quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die XXX. Maji MDCXXVI. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Chariſſimo in Chriſto Filio noſtro Ferdinando &c. in Imperatorem electo.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

COmmuniunt aggeres Romani Imperii, & cauſam agunt Majeſtatis Tuæ, qui Fidem Orthodoxam propugnant, & propagant in Germania. Curaturus cum iſthuc ablegetur dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Frater Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, ſperamus ejus adventum gratum fore Ferdinando Cæſari, Religionis Propagatori. Cum enim ſuam gloriam, & felicitatem eſſe profiteatur Crucem D. N. J. C., ita tamen Auſtriacæ Potentiæ plaudit Vir blandiri indocilis, ut Majeſtatis Tuæ proſperitatem ubique prædicet eſſe debere votum Eccleſiæ, negotium Pontificatûs. Quo laudum commeatu inſtructus peragraverit nuper Europam, & per Aulas Dominantium, Roma, ex conſentientibus Catholicorum Principum teſtimoniis didicit: quare aliena commendatione virtus hæreſi inviſa iſthic non eget, arbitramur tamen ſolatia Charitatis noſtræ omnia beneficia, quæ ille, curans negotia Cœli, debebit Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ *ut ſupra.*

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ Eleonoræ &c. in Imperatricem electæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſima in Chriſto Filia noſtra Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUÆ Religioſos Sacerdotes tanquam Nuncios Cœli, & Cuſtodes ſalutis colere ſolet, Majeſtas Tua, Patrocinio Cæſareo carere non patietur dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, qui in Germaniam ablegatur Fidei propagandæ negotia curaturus. In ejus enim Concionibus & tum publicis, tum privatis diſceptationibus, Populi atque Principes coruſcare viderunt arma lucis, quibus impietati cornua confringuntur. Porro autem Gonzagæ Familiæ addictiſſimus in optimi Imperatoris potentia propagari credit Regiam ſui, & ditionem Petri; quare ſperamus fore, ut ejus conatus futuri ſint ſolatia, & vota Majeſtatis Tuæ. Sacerdos hic, Nobis & Apoſtolico Senatui gratiſſimus, cui Imperatoriæ pietatis beneficiis demerebitur Majeſtas Tua, paternæ noſtræ charitatis magnitudinem teſtabitur. Nos autem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ *ut ſupra.*

Ex Archivo prædicto.

Eodem

Eodem argumento.

A tergo: *Chariſſimo Filio noſtro Regi Hungariæ illuſtri.*

URBANUS PAPA VIII.

Chariſſime Fili Noſter, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ARces munit, & Regnum propugnat Majeſtatis, Tuæ, qui Religionis ditionem in ſeptentrione propagat. Unum id opus, cum ſit dilecti Filii, Fr. Hyacinthi Caſalen. Capucini, ſperamus illum iſthuc advenientem non cariturum Hungarici Regis patrocinio; ea enim arma diſtringit Sacerdos in conſpectu potentium admirabilis, quæ tonitrua Cœli habentur ad comprimendam impietatis temeritatem, Europa ſalutaribus ejus peregrinationibus non ita pridem peragratam honorificum dedit ei pietatis teſtimonium, ut videretur ſuſpicari obliviofos eſſe Principes Germaniæ, qui longa oratione ejus viri laudes proſequuntur. Nos ab eo cupimus declarari Majeſtati Tuæ, paternæ illius charitatis magnitudinem, quæ Tibi aſſidere cupit à theſauris ejus miſericordiæ Omnipotentis ſpiritum cæleſtis fortitudinis, cujus faciem in Hungarico Regno Tracia barbaries pertimeſcat. Jam verò, quibus ipſum muniet beneficiis, iiſdem ſolatia augebit Majeſtas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum *ut ſupra*.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro Leopoldo Archiduci Auſtriæ.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

VIdit Roma non ita pridem, quanti apud Nobilitatem Tuam ſit prudentia, & pietas dilecti Filii, Fr. Hyacinthi Caſalenſis, Capucini; Princeps enim, Auſtriacâ gloriâ, & triumphali virtute clariſſimus, inopis Sacerdotis Cellam adire voluiſti, docens, Nationes in Urbe commorantes, à Te anteferri omnibus divitiis eam paupertatem, quæ cæleſtium virtutum opulentiâ diteſcit. Nunc autem, cum ille ablegetur in Germaniam, negotia Religionis curaturus, plurimum ſpei non temerè conſtituit in patrocinio authoritatis Tuæ, quod ille omnium officiorum genere promovere ſemper conabitur. Sacerdos enim, qui, dum Auſtriacæ potentiæ Imperium augetur, credit præferri ditionem Eccleſiæ: ſe negotium Cœli perficere arbitrabitur, ſi quod conficere poterit ſolatium Nobilitatis Tuæ. Nobis certè, cum ille ſit gratiſſimus, quæ à Te beneficia accipiet, iiſdem augebuntur ſolatia charitatis noſtræ. Cæterùm, quanto ſtudio faveamus Nominis tui laudibus, ex eo audire poterit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum Romæ *ut ſupra*.

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Maximiliano, Duci Bavariæ, S. R. I. Principi Electori.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

TUba Cœli, quæ ad pium bellum in Germania Catholicas Legiones ciet, videtur ſemper canere laudes Nobilitatis Tuæ; ſolemne enim Tibi eſt, periculorum minas iſthic convertere in triumphorum plauſus, & gaudia Chriſtianitatis. Quare, ubi iſthinc armati hæreſum conatus nuntiantur, fortitudo Tua ſolatium eſt mœrentis Eccleſiæ, quæ hoc tempore victoriarum Tuarum gloriam à Cœleſtis Regni propagatione non ſejungit: jam verò, qui gladium ancipitem Cœleſtis eloquii cum triumphalibus armis exercitus tui conſociant, ii, dum fidei imperium protegunt, ſecundant vota, & augent ſolatia Bavarici Ducis. Nil ergo mirum eſt, ſi tanti Principis benevolentiâ floret Dilectus Filius, Religioſus Sacerdos, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, cujus itinera, & conſilia, dum parere ſtuduerunt beneficium Eccleſiæ, rationibus etiam conſuluerunt Nobilitatis Tuæ. Nunc autem ille, benevolentiâ Pontificiâ, & Cœleſtibus virtutibus commendatus ablegatur in Germaniam, curaturus cauſam Religionis. Scimus, quàm gratus Tibi futurus ſit ejus adventus, cui tam illuſtria dare ſolet defenſæ pietatis teſtimonia, quæ tamen ille Tibi beneficia iterum debebit, iis teſtamur arctiùs devinctum in Pontificiam voluntatem Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impartimur.

Datum *ut ſupra*.

Ex Archivo prædicto.

Eodem

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Alberto Principi de Walſtain.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ARma Nobilitatis Tuæ fiunt flagella impietatis, & gaudia Eccleſiæ; quare Tibi Roma precatur felicitatem Catholicæ Religioni, & Romano Imperio profecturam. Nos autem Te in eum locum pervenire gaudemus, ut, quæ vota pro defenſione Fidei ſuſcipiuntur, ea ſolvenda ſint in victoriam fortitudinis Tuæ. Plaudimus ex hoc Apoſtolicæ Sedis ſolio armatis tuis laboribus, Nobilis Vir, quem pietas inter periculorum minas mortem contemnere docet. Nunc autem Pontificiæ charitatis teſtem à Te audiri cupimus Dilectum Filium, Fr. Hyacinthum Caſalenſem, Capucinum, qui Tibi, ac Legionibus Tuis Cœleſtis Regni propugnatricibus, Apoſtolicam Benedictionem defert. Cum autem in Germaniam ablegatur, curaturus negotia Religionis Catholicæ, ſperamus fore, ut piis ejus conatibus, qua potes, ope, ſis ſuffragaturus; quibus enim virtutibus inermis Sacerdos muniatur, teſtata eſt primùm Europa ſalutaribus ſuis peregrinationibus peragrata; quare, ubi pugnandum erit pro Religione, iis armis, quibus ille inſtructus iſthuc accedit, promerebitur patrocinium Cœli, & Pontificis voluntatem ſibi obſtringet Nobilitas Tua, ſi ei, Nobis chariſſimo, propriam authoritatem gratificabitur.

Datum *ut ſupra.*

Ex Archivo prædicto.

Eodem argumento.

A tergo: *Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Comiti de Tilly.*

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

SOciale bellum gerere debent contra hæreſim armatam Milites, & Sacerdotes, hi ſapientiâ, illi fortitudine pollentes; Sicut enim impietas non ſolùm deſcendit in aciem, ſed etiam aſcendit Cathedram peſtilentiæ, ita duplici armorum genere contra impiorum tum vires, tum ſententias muniri debet ſemper Eccleſia. Exploratum jam diu id eſt Nobilitati Tuæ, quæ victoriis propugnavit imperium Religionis, & patrocinio adjuvit conatus Sacerdotum. Quare credit omnino ſe nullius commendatione apud Te egere Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis, Capucinus, qui Religionis cauſam curaturus, iterum ablegatur in Germaniam, neque enim exterorum teſtimoniis, ſed rerum experientia didiciſtis, quæ illi ſit ingenii vis, quis zelus pietatis; debebimus tamen Tibi non leve ſolatium, ſi illum iſthuc inter armatas Legiones florere benevolentiâ, & muniri authoritate Nobilitatis Tuæ audiemus: ille verò &ibi, atque iſtis copiis, quæ ſalutaribus victoriis ſolent mœrentem Eccleſiam lætificare, deferet Apoſtolicam Benedictionem, & Pontificium patrocinium Noſtrum pollicebitur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xxx. Maii MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Ex Archivo Vaticano Secreto.

Eodem argumento.

Venerabili Fratri, Paridi, Archiepiſcopo Salisburgenſi.

URBANUS PAPA VIII.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

REgreditur juſſu noſtro ad partes Germaniæ, machinantis hæreſeos inſidiis convulſæ, Dilectus Filius, Fr. Hyacinthus Caſalenſis Capucinus, ut potentiam, quam opere non ſemel Aulis Principum probavit efficacem, ſermone quoque Evangelico gementi populo oſtendat utilem. Laudat in hoc Virum glorioſum Italia, & fructum, quem congregavit in Eccleſiæ horrea uberem, celebrabunt in memoriâ benedictionis futura ſæcula. Sperandum inde eſt, quod minor hic in Germania, quò pedibus Evangelizantis pacem properat, non ſit futurus, ſi à Viris Eccleſiaſticis, qui Nobiſcum grave Salutis animarum pondus portant, patrocinium auctoritatis in nomine Domini acquirat. Ignota Nobis, Venerabilis Frater, non eſt virtus tua, qua Eccleſiæ Dei commoda exacto muneris tui ſtudio quæris, & indefeſſo zelo Germaniæ gloriæ invigilas, ex quo & opem tuam, in partem noſtræ ſollicitudinis vocatam, Sacerdoti, de Domo Dei, & Germaniæ libertate uſque ad invidiam

emeri-

emerito; Nobiſque ex pluribus titulis gratiſſimo, certiùs & cumulatè affuturam Nobis polliceмur. Quod ſupereſt, Patrem miſericordiarum, Deum totius conſolationis, ac bonorum operum Retributorem impensè rogamus, ut pios tuos labores, ſolidâ, & longâ utriuſque hominis felicitate compenſare, ac ad Catholicæ Fidei præſidium diu ſoſpitem Te conſervare dignetur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Junii MDCXXVI. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Ex Archivo Secreto Vaticano &c.

EPISTOLA

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Sententiam pro erectione noſtri Conventûs in Loco Montis Calvi à ſe latam, Epiſcopus exequi jubetur, rationibus RR. PP. Obſervantium non obſtantibus.

Illuſtris, & Adm. Rev. Domine, uti Frater.

CUM ad relationem Illuſtriſſimi Domini mei Cardinalis Rivarola, in Sac. Congregatione rationes pro parte FF. Minorum Obſervantium S. Franciſci Loci Montis Calvi illius Diœc. ad impugnandam erectionem Conventûs Capucinorum in eodem Loco deductæ, fuiſſent examinatæ, Illuſtriſſimi Domini mei reſolverunt, quod Amplit. Tua ſententiam à ſe in favorem Capucinorum latam exequi valeat. Ita faciat, & Deus eam præſervet. Romæ 16. Julii 1624.

Card. Bandinus.

Exempl. in Arch. Gen. Ord. Arm. Cuſtodia Monferratenſis.

Reliquiaria, aut SS. Reliquias à Maximiliano Bavariæ Duce, & S.R.J. Principe Electore, Eccleſiis Domuum Caſalenſis, & Terræ S. Salvatoris donatas inde extrahi, Eccleſiaſticis cenſuris vetat.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CUm, ſicut nuper pro parte Dilectorum Filiorum Guardiani, & Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Capucinorum nuncupatorum, Domûs Regularis Caſalen., & Terræ S. Salvatoris Papien. Diœceſ. expoſitum fuit, Dilectus Filius, Nobilis Vir, Maximilianus, Dux Bavariæ, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, Eccleſiis Domorum Regularium hujuſmodi ſex Reliquiaria ex hebano, & lapide ſerpentino confecta, quinque palmis alta, & variis Sanctorum, ut piè creditur, Reliquiis referta, nec non ſex Capita, ut etiam piè creditur, Virginum ſociarum S. Urſulæ donaverit, Nos Reliquiariorum, & Reliquiarum hujuſmodi conſervationi, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere volentes, dictoſque Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, ne de cætero quiſquam, quavis authoritate fungens, Reliquiaria, & Reliquias, ac Capita hujuſmodi, aut aliquam earum partem extrahere, ſive, ut extrahantur, permittere quovis prætextu, ratione, vel occaſione audeat, ſeu præſumat, ſub excommunicationis, ac privationis activæ, & paſſivæ vocis pœnis, per contrafacientes incurrendis, Apoſtolica authoritate, tenore præſentium interdicimus, & prohibemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Domûs, & Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod præſentis prohibitionis copia in valvis dictarum Eccleſiarum, aut aliquibus aliis locis, unde ab omnibus cerni poſſit, continuò affixa remaneat, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die VII. Junii MDCXXXIX. Pontificatus Noſtri Anno decimo ſexto.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis & anni præd. fol. 656.

Situm Domûs extra mœnia Civitatis Caſalenſis dirutæ per Syndicum vendi, & pretium redactum, in extinctionem æris alieni, ob novi Conventûs fabricam contracti, impendi concedit.

URBANUS PAPA VIII.

Dilecte Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, nova Domus Regularis, ſive Conventus pro Fratribus Minoribus Ordinis S. Franciſci Capucinis nuncupatis, in Civitate Caſalen. extructa fuerit, & ad illam Fratres prædicti ex eorum antiqua Domo Regulari, ſive Conventu, quæ, ſeu qui extra mœnia Civitatis exiſtebat, & ad præſens, ob præſentia in illis partibus bella, plenè diruta, ſeu dirutus ſit, commigrarint, Fratreſque prædicti, ære alieno ob fabricam novæ Domûs Regularis prædictæ contracto gravati reperiantur; Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis, ut infra, providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Te, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & veſtrûm ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis &c. & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi, ut per Syndicum Conventûs tui prædicti, ſitum dictæ antiquæ, & dirutæ Domûs Regularis, pretio reperibili, & meliori vendi, illudque in extinctionem æris alieni prædicti, & non alios uſus converti facere liberè, & licitè poſſis, & valeas, licentiam Apoſtolica authoritate, tenore præſentium, concedimus & impartimur. Non obſtantibus fel. rec. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum de rebus Eccleſiæ non alienandis, aliſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis, & Conventûs prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut venditio, & pretii converſio prædictæ unico contextu fiant, vel ſaltem pretium hujuſmodi penes Montem Pietatis, aut ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam deponatur, & inde non amoveatur, niſi ad effectum, illud, ut præfertur, convertendi.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XIV. Novemb. Anno MDCXLIII. Pontificatûs noſtri Anno vigeſimoprimo.

M. A. Maraldus.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſ. & anni præd. fol. 5.

NOTA

ADdenda hîc occurit grata memoria de charitate, qua Conventum memoratum, per pium centum ſcutorum Legatum, in ſubſidium fabricæ relictum, Dominicus Merlo proſecutus eſt, & quod poſtmodum in fabricam converti petitum & conceſſum eſt, modo, qui ſequitur:

BEATISSIME PATER.

Fratres Capucini Conventûs Caſalenſis, Sanctitati Veſtræ demiſiſſimè ſupplicant pro facultate pium centum ſcutorum Legatum, à Dominico Merlo cum onere ſex Miſſarum annuatim celebrandarum, fabricæ dicti Conventûs relictum acceptandi, illudque in hujus neceſſitates præſentes ita expendendi, ut loco ſex Miſſarum annuarum tot Miſſæ, quot Sanctitati Veſtræ placuerint, pro una vice tantùm celebrari debeant. Quam &c.

Sanctiſſimus Dominus noſter benignè annuit, ut ſcuta prædicta pro fabrica Conventûs hujuſmodi impendi valeant, onus verò Miſſarum, ut ſupra, celebrandarum, reduxit ad quinquaginta Miſſas ſemel tantùm celebrandas per Fratres Ordinis hujuſmodi in Eccleſia ejuſdem Conventûs, contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ 16. Julii 1632.

Ex Arch. Secret. S. Congreg. Epiſc. & Regul. Regeſto menſis & anni prædictorum fol. 76.

Con-

Conventus in Ducatibus Mantuæ & Montisferrati ſitos à Provinciis Veneta & Januenſi diſſecari, ac ex iis novam Provinciam formari, ad inſtantias Ducis Caroli Ferdinandi concedit.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

SAcroſanctum Apoſtolatûs Officium, humilitati noſtræ per abundantiam Divinæ Bonitatis, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio creditum, ſalubriter exequi, adjuvante Domino, jugiter ſatagentes, ad ea, per quæ felici, proſperoque Chriſtifidelium, Altiſſimi obſequio ſub ſuavi Religionis jugo mancipatorum, regimini conſulitur, libenter intendimus, munerisque noſtri Paſtoralis partes propenſa deſuper charitate interponimus, ſicuti pia Orthodoxorum Principum vota flagitant, & Nos locorum, perſonarum, rerum & temporum qualitatibus maturè penſatis, ad Omnipotentis Dei gloriam, & Religionis incrementum expedire, in Domino arbitramur.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius, Nobilis Vir, Ferdinandus Carolus, Mantuæ, & Montisferrati Dux, quod in ſtatu Mantuæ, & Montisferrati exiſtant nonnulli Conventus FF. Min. Ord. S. Franciſci Capucinorum nuncupat., qui de præſenti partim Venetæ, & partim Januenſium Provinciis dicti Ordinis uniti, ſeu illarum eſſe reſpectivè reperiantur. Ipſe Ferdinandus Carolus Dux pro ſingulari ſuo, quem etiam à Majoribus ſuis quaſi hæreditarium accepit, erga Ordinem prædictum devotionis affectu, majorique ſua ſpirituali conſolatione, ac etiam aliis bonis conſiderationibus adductus, eoſdem Conventus à præfatis Provinciis ſegregari, ac in unum corpus reduci, indeque novam Provinciam, quæ Mantuæ vocetur, erigi plurimùm deſiderat. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ipſius Ferdinandi Caroli votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtat, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac de eximia dilectorum Filiorum noſtrorum Nicolai, S.R.E. Diaconi Cardinalis Acciajoli nuncupati, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protectoris, ac Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis fide, prudentia, ſapientia, integritate, & religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, eidem Nicolao, Cardinali, ac Miniſtro Generali omnes & ſingulos Ordinis præfati Conventus in ſtatu, & Dominio temporali dicti Ferdinandi Caroli Ducis conſiſtentes, à ſupradictis Veneta, & Januenſi, aliiſque ejuſdem Ordinis reſpectivè Provinciis quibuſvis, auctoritate noſtra Apoſtolica perpetuò ſegregandi, ſeparandi, & diſmembrandi, ac ex illis ſic ſegregatis, ſeparatis, & diſmembratis, unam novam ejuſdem Ordinis Provinciam, Mantuanam nuncupandam, dicta auctoritate itidem perpetuo erigendi, & inſtituendi, ipſique novæ Provinciæ, ut competentiùs formata reddatur, alios Conventûs Ordinis præfati in aliorum Potentatum, & Principum ſtatibus exiſtentes, quos ipſi Cardinalis Protector, Nicolaus, & Miniſter Generalis, pro majori ejuſdem Ordinis bono congruentiores eſſe exiſtimaverint, de ſpontaneo tamen Superiorum, ſeu aliorum, ad quos ea res ſpectat, conſenſu, auctoritate præfata etiam perpetuò aggregandi, & uniendi, necnon ad concurſum paſſivum, ad Definitoratum in Capitulo dicti Ordinis proximè celebrando, omnes illos Fratres, quos habilitandos eſſe expedire eis videbitur, etiamſi Capitulares non ſint, dicta auctoritate pro hac vice tantùm habilitandi, omnemque aliam diſpoſitionem, & proviſionem, quam pro ſpectata eorum prudentia, rectæ gubernationi, & majori bono novæ Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi congruentiorem fore judicaverint, liberè, licitè, & validè faciendi, quamcunque neceſſariam, & opportunam facultatem, & licentiam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus & impertimur. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari: Sic in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quocunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus præmiſſis, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, vel quavis firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus: Privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum, quomodolibet conceſſis, firmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſo-

miſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVII. Novembris MDCLXXVII. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

I. G. Sluſius.

Ex Arch. Secret. Brev. Apoſt. Reg. menſis, & anni præd. fol. 11.

NOTA

ET ob varias cauſas & motiva, Apoſtolicum hoc Breve executioni non datum eſſe reminiſcere.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Conventus à Provincia Januenſi ſcinduntur & in Cuſtodiam eriguntur.

EX audientia Sanctiſſimi die 11. Novembris MDCCXXX. Sanctiſſimus annuit pro ſeparatione, & reſpectivè pro erectione enunciatorum ſex Conventuum in Cuſtodiam, duraturam ad beneplacitum Sanctitatis ſuæ; Ita ut in poſterùm iidem Conventus remaneant ſeparati à Provincia Januenſi, nec ſubditi ſint gubernio, & viſitationi Provincialis, ſed ſubſint immediatè Generali Ordinis, pro tempore exiſtenti, qui ipſos gubernet per Commiſſarium ab eodem deputandum.

Romæ 22. Novembris 1730.

Card. Franciſcus Barberinus.

A. Archiepiſcopus Petren. Secret.

Ex Regeſto S. Congreg. Epiſc. & Reg. menſe & anno prædictis.

CUSTODIA TRIDENTINA.

IAM *in primo ſui floris tempore Provincia Veneta felici germine dilatavit ſuos fœcunditatis ramos ad Tridentinum Sacri Romani Imperii Principatum , & in hujus Metropoli anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo nono , primam erexit plantam ſeu Domum ; quod Ughelli Italiæ Sacræ Hiſtoria tom.* v. *edit. novæ fol. mihi* 586. *hiſce confirmat verbis* : alius ibi eſt Capucinorum Conventus , quibus anno 1598. Ludovicus, Cardinalis Madruſius, Epiſcopus Tridentinus, Templum S. Crucis , quod à Salomone Epiſcopo Tridentino extructum , & ab eodem Ordini Cruciferorum fuerat aſſignatum , donavit . *Unita Provinciæ prædictæ educavit ſemper Viros virtute & nobilitate præſtantes , inter quos peculiari memoriâ recenſet Fr. Joannem Franciſcum , ex nobiliſſima Comitum de Lodrono Stirpe , qui , cum ante Religionis ingreſſum ſub Catholico Rege Philippo II. in expeditione Luſitana , ceu Equitum Tribunus præclara militaris animi ſpecimina edidiſſet , ab eo Ordini Equitum S. Jacobi fuit adſcriptus ; Romæ verò cum poſtmodum Oratorem Cæſareum apud Summum Pontificem egiſſet , & ex morte Conjugis rerum humanarum caducitatem altiore mente cognoviſſet , ſe Pauperi Franciſco inter nos addixit , & mundani faſtûs contemptum , relictâ Viri Sancti famâ anno milleſimo ſexcenteſimo duodecimo Tridenti complevit .*

Dedit & eidem Provinciæ ſemper Viros tum regimini Conventuum , tum gubernio Provinciæ idoneos , uſque ad annum milleſimum ſeptingenteſimum trigeſimum tertium , quo ratio Politica velum templi ſcidit , ſeu hanc Coloniam à Provincia ſegregavit . Ex quo conſtituta fuit Cuſtodia à dicta Principatûs Metropli , orbi Chriſtiano ob Oecumenicum Concilium ibi celebratum notiſſimâ , nomen nacta , & impræſentiarum ad ſenos Conventus aucta . Quo cultu Populus erga noſtros feratur Fratres , argumento eſt tenacior , quem ſubnexum Apoſtolicum exprimit Breve , duarum Communitatum Fratres privativè ſecum habendi zelus . Nec mirum , ſicut enim Tridentum ſuo gyro Italiam , & Germaniam interſecat , ita & Fratres jam ob peritiam Linguæ utriuſque Nationis , quàm ob commune ſacræ Confeſſionis obſequium , animarum ſaluti uberiore labore & fructu invigilant , diſperſi , ut dictum eſt , ad

Conventus VI.

EPISTOLA.

S. Congreg. Epiſc. & Regul.

Pro Conventu Roboreti à RR. PP. Obſervantibus Reformatis conſtruendo, conſenſum à Fratribus noſtris datum eſſe, Epiſcopo Principi Tridentino nunciatur.

Illuſt. & Ampliſſime Domine, uti Frater.

QUantumvis Provincialis & Definitores FF. Capucinorum Provinciæ S. Antonii, ſive Venetæ, tempore elapſo ægrè capere potuerint, quod in loco Roboreti, iſtius Diœceſis, ipſi, & FF. Obſervantes Reformati, ad conſtruendum ibi Ordinis ſui Conventum vocati, ex eleemoſynis opportunè ſuſtentari poſſint, nihilominus dicti Provincialis & Definitores, tum memores obligationis & charitatis, quam eorum Fratres à memorati loci Civibus recipiunt, & quam uberius quoque recipiendam eſſe confidunt, tum ſtimulati ex affectu, quem erga ipſos PP. Reformatos gerunt, ſub eodem Sancto Fundatore militantes, mediante ipſorum P. Procuratore Generali, pro novo Conventu, à dictis PP. Obſervantibus Reformatis Roboreti conſtruendo, ſuum hîc præbuerunt conſenſum. Quod ex Emin. DD. meorum mandato Amplit. Tuæ ſignifico, quatenus & idemipſum iis liberè permittat, non obſtante ordine, aliàs in contrarium dato, dummodo de cætero quoad fabricam dicti Conventûs forma, & conditiones in Decreto Suæ Sanctitatis, & aliis Decretis &c. contentæ ſerventur. Deus Eam conſervet.

Romæ 10. Junii 1633.

Ex Regeſto Secret. dictæ Congreg. de quo Exemp. in Arch. Generali Ord. Armario. Cuſtodia Tridentina.

Cauſam fundationis duarum Domuum in Vallibus Condini & Maleti à Sac. Congregatione Epiſc. & Regul. ad ſe avocat & contra RR. PP. Reformatos, fabricæ & fundationis perfectionem Epiſcopo Principi committit.

A tergo: *Venerabili Fratri, Epiſcopo Tridentino.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

LAudabile Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum inſtitutum eſt, ut, ſi quas ſuper quibuſvis negotiis emergere, & erumpere perſpexiſſent contentiones, lites, & deſceptationes, ſtatim Apoſtolica auctoritate, & providentia dirimerent, componerentque; eo majori ſtudio id tenere, ac ſectari Nos maximè in Sacroſancti Apoſtolatûs ſpecula conſtitutos decet, quo per omnem vitæ noſtræ ætatem nihil curavimus impenſiùs, quàm, ut è medio ſublatis contentionum, litium, deſceptationumque Forenſium diſſidiis, ac tricis per ſolam, liquidamque veritatis inſpectionem jus ſuum unicuique tribueretur, ac juſtitia, & pax ſeſe invicem oſcularentur. Sanè pro parte Dilectorum Filiorum Conſulum, & Magiſtratuum Univerſitatum, & Hominum Vallium Maleti, & Condini, vulgò *di Malè*, *e Condino* in confiniis Sac. Rom. Imperii, & ſignanter illius de Malè, immediatè una cum Rhetis Acatholicis conterminarum, iſtius Tridentinæ Diœceſis, Nobis expoſitum fuit, quod, cum in illis peramplis, & populis frequentibus Vallibus nullus cujuſvis Ordinis, vel Inſtituti Regularis Conventus reperiretur, ideo Dilecti Filii, Fratres Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum, qui in aliis diſſimilibus Vallibus unum per decem, & octo milliariorum à Valle Condini, & reliquum Conventus à Valle Maleti hujuſmodi per decem circiter milliariorum ſpatia diſſitos habent, aliàs à Te non ſolùm licentiam fundandi in Vallibus prædictis eorum reſpectivè Conventus, verùm etiam Epiſtolas commendatitias illarum Vallium Hominibus datas, ut fundationes hujuſmodi permitterent, ſibi concedi obtinuerint, licèt poſtmodum ſuum ab Univerſitatibus, & Hominibus prædictis conſenſum pro dictis fundationibus reportare minimè valuerint, attento, quod Univerſitates, & Homines prædicti in dilectos quoque Filios, Fratres Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci Capucinorum nuncupatorum, incli-

clinatione voluntatis magis præpenderent, qui obtento unanimi totius Cleri illarum partium conſenſu, facultatem fundandi ſuos Conventus in Vallibus prædictis, à Te petere non prætermiſerunt, Tuque ſpirituali præfatorum Hominum belligerorum, & immanium bono, ac capacitate, utilitate, & egeſtate prius oculariter, occaſione Sacræ Viſitationis per Te perſonaliter per Tuam Diœceſim peractæ conſideratis, facultatem hujuſmodi libenti animo conceſſiſti. Vigore autem ſecundodictæ licentiæ Fratribus ſecundodicti Ordinis à Te, ut refertur, conceſſæ, Fabrica duorum Conventuum, unius nempe in Condini, alterius verò in Maleti Vallibus incredibili, ardentique ſtudio ab ipſis Univerſitatibus, & Hominibus incepta, ac proſecuta remanſit, ita, ut unus ex dictis Conventibus ferè habitabilis, & alter prope diem abſolvendus reperiantur. Adverſus præmiſſa percitis irritatiſque Fratribus Reformatis, quippe qui rejecti, & in eorum loco vocati, & admiſſi fuerunt Fratres Capucini prædicti, ac reclamantibus ad Congregationem Venerabilium Fratrum Noſtrorum, S.R.E. Cardinalium Negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, quatenus ſeſe interponeret, quo minus fundationes hujuſmodi fierent, & eadem Congregatio Cardinalium die XVI. Novembris MDCCXLII. edidit Decretum, ne Fabrica ejuſmodi Conventuum, uſque tunc ferè abſolutorum, proſequeretur, & die IX. Maii anni proximè præteriti per aliud Decretum reſcripſit -- Dilata -- firma remanente inhibitione ſuper proſecutione Fabricæ Conventuum, & interim PP. Capucini redeant ad propriam Provinciam, nec revertantur, niſi petito, & obtento beneplacito Apoſtolico. Cujus vigore dilectus itidem Filius, Sigiſmundus à Ferraria, ejuſdem Ord. Capucinorum, Procurator Generalis ſtrictè præcepit paucis Fratribus dicti ſui Ordinis, qui in dictis Vallibus Maleti, & Condini tanquam in hoſpitiis degebant, ut ad eorum Conventum in Civitate Tridentina redirent.

Porro cum Univerſitates & Homines prædicti de juſſu hujuſmodi notitiam habuiſſent, actu, quo Fratres prædicti vigore ſupradictæ reſolutionis diſceſſuri erant, tumultum facere cœperunt, ſtrictiſq; armis illos per vim detinuerunt, ac diu noctuq;, ne diſcederent, in ſtatione fuerunt, nec inde ſeſe amoverunt, donec habito ſtatim ad Fraternitatem tuam recurſu, Tu ad ſedandos tumultus reprimendoſque, & majora diſſidia, quæ aliàs à populari ſeditione in illis regionibus experientiâ probatâ fuerunt periculoſa, dirimenda, expediens neceſſariumque mandare exiſtimaſti, ut Fratres Capucini prædicti inibi remanere poſſent, donec Tu litteris ſupradictæ Congregationi Cardinalium tranſmiſſis, ab illa reſponſum accepiſſes, prout ſtatim peregiſti, litteris dilecto Filio Noſtro, Joſepho, S. Rom. Eccleſiæ Presbytero Cardinali, Firrao nuncupato, ejuſdem Congregationis Præfecto datis, quibus excitatos tumultus retuliſti, ac ſenſum conſiliumq; ipſius Congregationis perquirere non deſiiſti, quò tam Tu, quàm Fratres hujuſmodi, actiones veſtras dirigere poſſes, & poſſent, ſed deperditâ ab eodem Joſepho Cardinali, & Præfecto, ut aſſeritur, litterâ præfatâ, abſque eo, quod illa in ipſa Congregatione eo tẽpore, quo Tu, & Fratres prędicti memoratę Congregationis ſententiam, decretumque exſpectabatis, relata fuiſſet.

Interea temporis, & ob ſupradictam cauſam Fratres Reformati ſupradicti, innocentem dictorum Fratrum Capucinorum in illis partibus juſſu tuo moram facientium, pro patefacto illorum contumaciam, nec non expedientem à Te captam proviſionem pro fidei ſuſceptæ obligatione, & vulgò *per un pontiglioſo impegno*, ut dicitur, ac excitatos populi tumultus, licet ab ipſiſmet Fratribus Reformatis conceſſos, admiſſoſque, tanquam data opera, ac colluſoriè à Fratribus Capucinis, ad effectum inibi permanendi, factos eſſe, in animis Cardinalium dictæ Congregationis inducere non prætermiſerunt, &, ut eorum dictis crederetur, in ſummario aliqua documenta, & atteſtationes authenticas, quæ poſtmodum ſub oculis eorum, qui documenta, & atteſtationes hujuſmodi ſubſcripſerunt, poſita, quamplurima ab illis prorſus in extenſione partis ſubſtantialis immutata, ac alia prorſus mendacia reperta fuerunt, exhibuerunt. Et quamvis præmiſſa omnia, nec non proceſſus, in iſta Tua Curia Epiſcopali ſuper præfatis tumultibus peracti, ex quibus evidenter apparebat, Fratres Capucinos à culpa abeſſe, & quamvis eorum impotentia ad diſcedendum, & Tua impoſſibilitas ad obligandos homines, populoſque prædictos vi, & armis, prout contendebatur, ad dimittendos Fratres Capucinos hujuſmodi, Venerabili Fratri Noſtro, Joſepho, Epiſcopo Tuſculan., S.R.E. prædictæ Cardinali Accoramboni nuncupato, Cauſæ hujuſmodi Ponenti, exhibita fuerint, nihilominus ab eadem Congregatione Cardinalium reſcriptum fuit - In deciſis & amplius - Proinde eadem Congregatio dilecto quoque Filio, Joſepho Mariæ Manaſei, Miniſtro Generali ejuſdem Ordinis Sancti Franciſci Capucinorum juſſit, ut ſuis Fratribus indiceret omnino illuc diſcedere, & proprium repetere Conventum, ac Fraternitati Tuæ mandavit, ut Magiſtratibus dictarum Vallium imperares, quatenus ſinerent, ut Fratres ipſi abire poſſent, nihilominus totum id nihil profuit ad coercendam feritatem populorum prædictorum, qui habitâ de Juſſu hujuſmodi notitiâ tumu-

tumultum renovârunt, dictoſque Fratres, ne diſcederent, attentè cuſtodierunt, donec nuper attentis illorum lachrymis, precibuſque, & tuis ſollicitudinibus, Univerſitas, & Homines Maleti prædicti ægrè ſeſe ſubmiſerunt, quibus neceſſe fuit concedere, prout Tu arbitratus fuiſti pro avertendis ulterioribus perturbationibus, ac bono pacis, ut interea ipſi Fratres Reformati ab accedendo ad dictam Vallem ſe abſtinerent. At præmiſſa minimè ſatisfuerunt, ut Univerſitas, & Homines Vallis Condini ab eorum ſententia dimoverent, imo proteſtati fuerunt uſque ad effuſionem ſanguinis ſe minimè velle, quod Fratres Capucini prædicti diſceſſuri ſint. In hoc autem rerum ſtatu Exponentes prædicti ad ſedanda, componendaque diſſidia, contentiones, partiumque ſtudia, ac dirimenda ſcandala, quæ ex præmiſſis orta reperiuntur, &, ut omnia inter Viros, præſertim Religioſos, in pace fiant, & omnia ad Divinum cultum augendum, & animarum ſalutem procurandam componantur, conſtabilianturque, Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut litem hujuſmodi extinguere, extinctæque perpetuum ſilentium imponere, atque in præmiſſis ſibi providere, &, ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur ſpecialem ipſis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, & lites publicæ tranquillitati, ac Chriſtifidelium pietati, & Religioni plurimum detrimentoſas, atque adeo dirimendas eſſe conſiderantes, ac omnium, & ſingularum ſcripturarum hinc inde, ut præmittitur, editarum, exhibitarumque, ac quorumcunque Decretorum tenores, & litis, ac cauſæ hujuſmodi ſtatum, & merita, & alia quæcunque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirentia, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, litem, & Cauſam hujuſmodi inter Fratres Reformatos, & Fratres Capucinos prædictos ſuper fundatione Conventuum in Vallibus ſupradictis motam, & in Congregatione præfata pendentem in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur, ad Nos harum ſerie cum ſuis emergentibus, annexis, & connexis à quocumque Judice, Tribunali, & Congregatione avocamus, illamque ſic avocatam, motu, ſcientia, & deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus perpetuò ſupprimimus, & extinguimus, perpetuumque ſilentium utrique parti imponimus. Nec non Fraternitati Tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ac omnes, & ſingulas facultates neceſſarias, & opportunas concedimus, & impertimur, ut pro tuis arbitrio, & conſcientia procedas, & quatenus major Dei cultus, & Religionis Catholicæ ratio ita Tibi exigere videatur, ad fundationem duorum Conventuum in Vallibus Condini, & Maleti ſupradictis, ad favorem dictorum Fratrum Capucinorum, conſtito tamen prius Tibi de diſtantia ab aliis Conventibus præcedenter fundatis, & præſertim ab aliis Fratrum Reformatorum per quatuor ſaltem millia paſſuum juxta Conſtitutiones Apoſtolicas fel. rec. Gregorii PP. XV., aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, & dummodo etiam cœtera concurrant tam de jure, quàm juxta eaſdem Apoſtolicas Conſtitutiones in ejuſmodi fundationibus neceſſaria, procedas, & devenias. Decernentes eaſdem præſentes litteras & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod Fratres Reformati prædicti, & alii quicumque cujuſvis ſtatûs, gradûs, Ordinis, Conditionis, præeminentiæ vel dignitatis, ſeu aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, iiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, intimati, & auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeu vocari, citari, intimari, & audiri ſemel, vel pluries quoquomodo debuiſſent, aut ex alia quacumque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, cauſa, occaſione, colore, prætextu, titulo, etiam oneroſo, & capite etiam in corpore Juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, vel intereſſe habentium, conſenſu, aliove quolibet maximo, ſubſtantiali, eſſentiali, formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, reſcindi, in controverſiam revocari, ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis Oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ, remedium intentari vel impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſeſe juvare nullatenus poſſe; ſed eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ſemper

& per-

& perpetuò firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & hujus Sanctæ Sedis Nuntios, nec non quaſcumque eorundem Cardinalium Congregationes, & quoſvis alios, qualibet auctoritate, præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, prædictorum Ordinum, & illorum Provinciarum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Januarii MDCCXLIV. Pontificatus noſtri Anno quarto.

Breve formatum in Archivo Cuſtodiæ.

RESCRIPTO.

Signaturæ Gratiæ.

Aperitio oris contra præpoſitas Litteras Pontificias à RR. PP. Reformatis petita &c. rejicitur.

TRIDENTINA.

Beatiſſime Pater.

PRætendentibus duobus ab hinc circiter annis PP. Capucinis, Cuſtodiæ Tridentinæ, ſub ſpecie futuri boni, ac Divini Cultus incrementi, aliquali raptim & oſtiatim reportato conſenſu, nullo verò interveniente Beneplacito Apoſtolico, duos novos Conventus contra Jus, & Juſtitiam ædificare in alpeſtribus Locis *Condini Vallis Boni, & Maleti Vallis Solis* ejuſdem Tridentinæ Diœceſis, fuit illico à PP. Reformatis S. Vigilii dictæ Provinciæ, S.V. Oratoribus coram Ordinario Tridentino repetitis vicibus reclamatum, ſed, cum nulla per dictam Curiam Epiſcopalem legalis, & congrua caperetur proviſio, & interim dd. duorum novorum Conventuum erectio promoveretur, non omiſerunt PP. Reformati, Oratores prædicti, inſtantiùs recurrere ad Sanctam Sedem, ſeu ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, quæ benignè commiſit Suffraganeo Tridentino, ut circa expoſita à dd. Oratoribus inſtructam redderet dictam Sacram Congregationem. Perventâ tandem ſecundum jus, & expoſitorum juſtitiam relatione mox dicti Suffraganei, non dubitavit dicta Sacra Congregatio ſuper quibuſdam incidentibus, quæſtuationis nempe, ac lite pendente proſequutæ ædificationis, ſex Decreta edere in favorem dd. Reformatorum, S.V. Oratorum. In hoc ſtatu rerum ſupervenit Breve S.V. ſignatum die 23. Januarii proximè effluxi, favore dd. PP. Capucinorum, directum dicto Epiſcopo Tridentino, in quo attentis nonnullis erroneis, & inſubſiſtentibus expoſitionibus S.V. factis, eidem benignè commiſit, prævià avocatione Cauſæ à dicta Sac. Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ut adimpletis tam de jure, quàm de facto conditionibus, ac ſervatis ſervandis pro ſuis conſcientia, & arbitrio ad fundationem novorum Conventuum devenire poſſet. Obtemperaturi dd. PP. Reformati ſupremis mandatis S. V., humilioribus, quibus potuerunt, ſupplicationibus quinquies proni inſtanter inſtantius audiri petierunt in dicta Curia Ordinaria Tridenti, ſed jus, & juſtitiam invenire datum non fuit, non obſtantibus ſalutaribus clauſulis mixto Exequutori præſcribi ſolitis, & de facto præſcriptis in dicto Brevi S. V., in modum, ut dd. Oratores ad nouum appellationis remedium coram honeſtis Viris neceſſe habuerint convolare, & dein prævia narratorum enumeratione ſupplicem Libellum S.V. porrexerint, cui clementer placuit inſtantiam remittere ad Signaturam Gratiæ; Interea tamen numquam citatis, minus auditis dd. Oratoribus, præfata Curia Epiſcopalis, conſcia de dicta Appellatione ſententiam ſuam definitivam, ut aſſeritur, protulit, in qua ſupponitur declaraſſe, locum eſſe prætenſæ Fundationi dd. Conventuum, à qua tamen, utut ad eorum aures pervenerit, coram honeſtis iterum Viris dicto de nullitate, & injuſtitia in forma legali ad Sanctam Sedem Apoſtolicam appellàrunt;

Quapropter humiliter ſupplicant dd. S.V.Oratores, ut dignetur prævia Oris aperitione, quatenus opus ſit, & circumſcriptâ dictâ aſſertâ ſententiâ, ſeu Decreto, omnibuſque actis in Curia Tridentina, ſin minus Cauſam, & Cauſas, appellationis, appellationum, vel ad eamdem Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, vel ad Sacram Rotam, vel ad Congregationem Particularem, aliudve quodcumque Tribunal Sanctitati Veſtræ beneviſum cognoſcendas, fineque debito terminandas, cum clauſula quam, & quas committere, & mandare, cum facultate citandi, & inhibendi quos, quibus, quoties, & quando opus fuerit, præmiſſis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii, & Curiæ, cæteriſque in contrarium non obſtantibus quibuſcunque. Statum &c. pro plenè &c.

Ad quæ, duodecimo Januarii anni milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi quinti in pleno prædictæ Signaturæ conſeſſu, præſente Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PP. XIV., per R. D. D. Mareſuſchum relata, audito diviſim Votantium ſenſu prodiit Reſcriptum expreſſum Verbo

NIHIL

Quod, unitum Verbis DE PETITIONE, juxta uſum & ſtylum in Reſcripto ſuppreſſis, totam RR. PP. Reformatorum inſtantiam in nihilo fuiſſe fundatam, & nihil attentionis mereri ſignificat.

Regiſt. in Regeſto Reſcript. Signaturæ Gratiæ die, menſe & anno prædictis.

Prædictorum duorum Conventuum cauſam in Signatura gratiæ ad Fratrum noſtrorum favorem deciſam, deciſionem à ſe confirmatam, & exin juſtitiam & merito cauſæ, & zelo Epiſcopi, S. R. I. Principis factam eſſe, eidem ſignificat.

A tergo: *Venerabili Fratri Epiſcopo Tridentino.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Receptam eſſe à Nobis unam ſuarum Literarum, ſub 22. Decembris datam, qua Nobis notam Capucinorum Cauſam contra PP. Reformatos commendat, hiſce ſignificamus. Fuit hæc in Signatura Gratiæ manè diei Martis proximè præteriti coram Nobis propoſita, & pleno, communique voto ad PP. Capucinorum favorem deciſa, Noſque communem ſenſum approbando juſtitiam merito, & zelo Fraternitatis Tuæ fecimus, & liti, non ex rationum merito, ſed violentis deſuper impenſis officiis, & ſuccumbentium contumacia celebri finem impoſuimus imponimus hunc & præſentibus Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem impartientes.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVI. Januarii MDCCXLV. Pontificatûs noſtri Anno quinto.

Exempl. Authent. in Archivo Generali Ord. Armario Cuſtodia Tridentina.

CU-

CUSTODIA MELITENSIS.

N*ON ita Inſula Melitenſis à terræ plaga per maris aquas diſſecta deliteſcit, remotaſque Affricæ oras reſpicit, quin eam Orbi pateat eſſe glorioſum Domicilium & Speculam, in qua inclytus Equitum, ſeu Hoſpitalariorum Sancti Joannis Ordo, in Eccleſiæ tutelam, contra machinantis Scythiæ inſidias excubat, armaturâ ſuorum Fortium audaces Pyratarum excurſus coërcet, & bellicæ ſuæ virtutis famam convertit in crebriora fidelium tripudia.*

Gaudet quoque ex trimeſtri Divi Pauli Apoſtoli poſt naufragium incolatu, gratiâ peculiari, dum in memoriam casûs, quo Vipera Apoſtoli, ſarmenta colligentis, manum ſine noxa invaſit, ex fide Baronii ad annum 58. *n.* 172. *Ei* divinitus fuit impertitum, ut Serpentes omnes veneno carerent, & quantumlibet aliquem momorderint, nihil prorſus inferant detrimenti .... ſed & terra ibi contra venena parat antidotum, *gratia S. Pauli nuncupatum, quod ex candida veteris, mœniiſque Civitatis adhærentis cryptæ argilla, in maſſulas variè ſignatas coactâ confectum, devoto per orbem populo diſpenſatur.*

A tempore, quo enuntiato S. Ordini, ex Rhodio infeliciter pulſo, à Carolo V. Imperatore Inſula hæc in Reſidentiam data eſt, eam afforis tum propugnaculis munire, aggeribus vallare, ac turribus cingere, tum intus inductâ Religioſorum Ordinum varietate, in ſimilitudinem Templi ornare, Ordinis Magni Magiſtri variè contenderunt, debetque Religio noſtra Magno Magiſtro, & S. R. E. Cardinali Hugoni de Verdale ſuæ fundationis ſortem, cujus à poſteritatis oblivione ſervandæ, poſitus eſt ſupra portas Eccleſiæ perpetuus index, diſtichon albo marmori ita inciſum:

Area, quæ quondam fuerat, jam crevit in Aram
Verdalæ auſpiciis in pietatis opus.

Die III. Maii MDLXXXIX. ſui Magiſterii anno IX.

Sparta dirigendi operis feliciter obtigit Fr. Raphaëli, ex hac eadem Inſula oriundo, & in Provincia Neapolitana Profeſſo, qui & illud ſudore laboris auſpicatò abſolvit, & ſemine ſuæ virtutis mirè fœcundavit. Ita hæc in Raphaele claruit, ut non ſolùm Miniſtri Provincialis, & Viſitatoris Generalis officia ei fuerint collata, ſed & una ex præcipuis Provinciæ Syracuſanæ columnis *juxta noſtros annales* tom.3. fol. 717. *fuerit habitus, viſuſque coruſco Angelorum choro ſtipatus ingredi portas Cœli, radiantes aureis verbis*: quoniam dilexit juſtitiam, invenit miſericordiam.

Manſit primus hic Conventus Provinciæ Syracuſanæ membrum, uſque dum vigore Decreti, à Reverendiſſimo Definitorio Generali ſub 25. Junii 1740. relaxati ab eo ſectus, & in formalem cum aliis Conventibus erectus eſt Cuſtodiam,

Conſiſtentem Conventibus III.
Hoſpitio I.

RESCRIPTO PONTIFICIO

Erectio novæ Domûs in Loco *Victorioſa* nuncupato, Definitorio Generali committitur.

BEATISSIME PATER.

FR. Joſephus à Melita Concionator, & Guardianus Capucinorum Conventûs dictæ Inſulæ, ad Pedes Sanctitatis Veſtræ proſtratus reverenter exponit, qualiter tum Eminentiſſimus Magnus Magiſter, tum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Epiſcopus, tota Civitas, & Populus Melitenſis ſæpius à Capucinis, ut in dicta Inſula alium Conventum conſtruant, fervidis inſtantiis petierint, ſtimulati ab exemplo boni ſpiritualis, quo ab unico & parvo Conventu, qui impræſentiarùm ibi reperitur, tam DD. Equites, quàm copioſus populus fruuntur; quibus Provincia Syracuſana, ſub cujus juriſdictione Conventus Melitenſis exiſtit, nunquam annuere voluit. Inde Orator genuflexus Sanctitati Veſtræ ſupplicat, quatenus ei licentiam pro prædicta fabrica concedere, aut eam arbitrio Definitorii Generalis Capucinorum remittere dignetur, quatenus Hoc illam Oratori impertiatur, quibuſcunque non obſtantibus.

Quod &c.

Sanctiſſimus, audito Patre Generali, remiſit inſtantiam arbitrio Definitorii Generalis, cum facultatibus neceſſariis & opportunis, & quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

Die 10. *Februarii* 1736.

N. Card. Corſinus.

N O T A.

ATtentâ Pontificiâ facultate Reverendiſſimum Definitorium Generale circa prædictam fabricam ſtatuit, quod ſequitur:

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Cum Excellentiſſimus D. Orator pro Sacra Religione Hieroſolymitana apud Sanctiſſimum in Alma Vrbe, primò per ſuum Secretarium, deinde ſub 15. *Februarii præſentis anni* 1736. *per ejus ſpecialem Schedulam Nobis exponi fecerit peculiarem, urgentemque Eminentiſſimi Magni Magiſtri ipſius S. Ordinis inſtantiam pro fundatione Conventûs noſtri Ordinis in ejus Inſula Melitenſi, & ſignanter in quodam Loco extra mœnia,* Cattonera *dicto, ad effectum ſupradictæ fundationis à Perilluſtri Domino D. Joſepho Habela præſignato, ac reſpectivè donato, ut ex Documentis authenticis Nobis exhibitis clàriùs conſtat; & cum A. V. P. Joſephus à Melita, actualis Guardianus Conventus noſtri S. Crucis, Vrbis Vallettæ in eadem Inſula Melitenſi, Suæ Sanctitati pro tali fundatione Libellum ſupplicem, in quo ejuſdem Eminentiſſimi Magni Magiſtri, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Ordinarii, nec non totius Vrbis populique deſideria præfatæ fundationis exprimuntur, præſentari fecerit, dictuſque Libellus ex clementia Sanctiſſimi ad Nos fuerit remiſſus cum facultate, Nobis, ac Reverendiſſimo Definitorio Generali conceſſa, ſub die* 20. *ejuſdem præſentis menſis & anni, deliberandi ſuper tali fundatione, & quoad opportunam licentiam, à Religione pro eadem requiſitam, vices approbationis Capituli in Provincia noſtra Syracuſana, nonniſi diu poſthac celebrandi, ſupplendi, ideo tali Sanctiſſimi facultate muniti, Nomine noſtro, ac præfati noſtri Definitorii Generalis, de cujus voto ac conſenſu hæc expediri mandamus, licentiam pro ſupradicta fundatione, quantum Nos attinet, concedimus, veris exiſtentibus omnibus, Nobis ac Definitorio noſtro Generali ſuper hoc expoſitis, ac ſervatis de cætero quoad præſentium noſtrarum executionem ſervandis omnibus de jure juxta Summorum Pontificum, ac reſpectivè Ordinis pariter noſtri Conſtitutiones, Statuta ac Decreta. Ita &c. & non aliter &c. Datum in Loco noſtro Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Almæ Vrbis ſeptimo Kalendas Martii* 1736.

Fr. Bonaventura Miniſter Generalis FF. Min. Capucin.

Cumque conſenſus Capituli Provincialis Syracuſani, quod eo tempore celebrari non potuit, haberi nequiret, illum à Reverendiſſimo Definitorio Generali ſuppleri, expreſsè & noviter conceſſum eſt Reſcripto Pontificio, ſequenti Libello ſupplici ſubjuncto:

Bea-

Beatiſſime Pater.

P. Generalis, & Definitores Generales Capucinorum, humillimi Sanctitatis Veſtræ Oratores, reverenter ſupplicant pro facultate ſupplendi actum Capitularem Provinciæ Syracuſanæ, concernentem novæ Domûs in Inſula Melitenſi erectionem, quam Eminentiſſimus Magnus Magiſter cum Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo impensè urgent. Et proſtrati ad SS. Pedes &c.

Die 5. Decemb. 1736.

Sanctiſſimus annuit, ut petitur, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus.

N. Cardinalis Corſinus.

Situm æquè ſelectum, ac ipſam fabricam Eminentiſſimus Magnus Magiſter ratihabuit Inſtrumento ſequente:

Fr. D. Antonius Manuel de Vilhena, Dei gratiâ Sacræ Domûs Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, & Militaris Ordinis Sancti Sepulchri Dominici, Magiſter humilis, pauperumque Jeſu Chriſti Cuſtos.

Univerſis & ſingulis præſentes noſtras Litteras viſuris, lecturis, & audituris ſalutem. Notum facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter infraſcriptæ preces unà cum ſuis Dominicalibus Reſcriptis extractæ fuerunt ex libro Bullarum, in Cancellaria noſtra conſervato, in quo ſimiles notari & regiſtrari ſolent, quas quidem in hanc publicam formam extrahi & redigi juſſimus, ut ubique tam in judicio, quàm extra id plena, & indubitata fides habeatur, quarum tenor eſt ſequens, videlicet:

Sereniſſime Domine.

Capucini Melitenſes, humillimi Servi, & fideliſſimi Vaſſalli, Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ reverenter exponunt, qualiter à pluribus Seraphico Ordini & Habitui addictis ad alium Conventum (præter eum, ex beneficentia S. Religionis Hieroſolymitanæ in Civitate Vallettæ jam conſtructum) ædificandum inſtanter fuerint requiſiti: cumque locus pro fruitione ſpiritualium obſequiorum, quæ Oratores ſpondent, inter Civitatem Victorioſæ & Burmolam opportunior videatur, & à Perſona divite, ſitus pro Conventu cum Eccleſia & horto conſtruendo ampliſſimus per Scripturam jam oblatus ſit, & multi alii Benefactores pariter per Scripturam neceſſarias pecunias pro fabrica in dicto loco, aliiſque expenſis ſubminiſtrare adpromiſerint, Oratores veram alterius Conventûs in Inſula conſtruendi neceſſitatem agnoſcentes, Sereniſſimæ Celſitud. Veſtræ, à qua principaliter rei executio dependet, ſupplicant, quatenus conſenſum optatum in enuntiato ſitu Conventum cum Eccleſia & horto conſtruendi concedere, & iis, ad quos ſpectat, ordinare dignetur, ut memoratum ſitum inſpiciant, & in eo locus, qui propugnaculo contiguæ Cottoneræ *præjudicare nequeat, ſignetur. Quod totum, ultra quod ad majorem Dei gloriam redundet, Oratores pro gratia recipient &c.*

Magiſter Hoſpitalis Hieroſol.

Ven. Congregatio Bell. referat.

Datum in Palatio die 7. Jan. 1736.

Fr. M. A. Mombelli Auditor.

Eminentiſſime Domine.

Ad expoſita in præſenti Libello ſupplici Eminentiæ Veſtræ referre debemus, quod, poſtquam hujus ſui Sacri Ordinis Machinator ad Locum ſe contulit, viſurus, an Conventus in terreno Habela ab Oratoribus ideatus, propugnaculis non præjudicet, aliquæ circumſtantiæ in conſiderationem fuerint ab eo notatæ. Secedens poſtmodum ad eundem locum Commiſſarius Ordinarius ad examinandum ſenſum. à Machinatore Nobis relatum, hunc approbavit. Inde Nos eorum arbitrio inhærentes conſpiramus, quod gratia Orato-

Oratoribus poſſit concedi, ita tamen, ut ab angulo viæ, ad S. Ludovici propugnaculum tendentis, ultra 18. Cannas ſe non extendant, Eccleſia nec vaſta, nec alta fiat, & leviter duntaxat tegatur, & cum conditione, ut emergente caſu neceſſitatis, vel exigente loci tutelâ, Conventus erigendus demolitioni ſubjacere debeat, remittentes Nos quoad reliqua ſapientiori, & maturiori Eminentiæ Veſtræ deliberationi &c.

Balivus D. de Abreu.
Balivus Baro de Schonau.
Balivus de Chabrillan.
Balivus Roverus à Quarena.

Magiſter Hoſpitalis Hieroſol.

Fiat juxta relata.

Datum in Palatio die 28. Januarii 1736.

Fr. M. A. Mombelli Auditor.

Donum ſitûs ad fabricam ſelecti firmavit Documentum ſubjunctum:

In Dei Nomine Amen. Anno à Nativitate ejuſdem milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto, menſe Januarii, die verò decimo tertio ejuſdem Indictione XIV. Pontificatûs Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis, Divina Providentia Papæ XII. Anno IV., Dominante Sereniſſimo Domino Fr. D. Antonio Manuel de Vilbena, Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ Magno Magiſtro, & harum Inſularum Melitæ & Gaules Principe digniſſimo, ac Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Fr. Paulo Alpheran de Buſſan, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Melitenſi, quos Deus diu feliciter conſervet. Amen.

In noſtrorum Notarii, Teſtiumque infraſcriptorum præſentia præſens & perſonaliter conſtitutus Perilluſtris Dominus Clericus Joſeph Habela, quondam Peril. D. J. V. D. Joan. Pauli, Civis Civitatis Victorioſæ, habitationis verò Caſalis Tarſcen, mihi Notario cognitus, conſiderans nihil Animarum ſalubrius eſſe, quàm ſervis Dei in conſtruendo pia loca pro cultu Divino auxiliari, totiſque viribus eos ſublevare, cum id maximè apud Deum Salvatorem noſtrum gratum, acceptumque exiſtat. Cupiens itaque hujuſmodi charitatis opus in theſauro cœleſti per elemoſynam reponere, eapropter in honorem Dei, B.V. Mariæ, ac S. Franciſci, qui (ita rogante expreſsè dicto Domino Donatore) Sereniſ. Dominum, prædictum Fr. Antonium Manuel de Vilbena, S. Relig. Hieroſ. Magnum Magiſtrum, noſtrumque Principem digniſſimum, ſalubriter cuſtodire, veniamque & peccatorum remiſſionem eidem D. Donatori, ac Illuſtriſſimo Domino Herculi Teſtaferrata, ac Dominæ Baroniſſæ Venerandæ, ſuæ Conjugi, & reſpectivè dicti D. Joſephi Filiæ, concedere & impetrare, ipſoſque in extremo vitæ diſcrimine, unde pendet æternitas, ab inſidiis diaboli defendere dignentur, vigore præſentis inſtrumenti perpetuò valituri, præcedentibus conditionibus infraſcriptis, & non aliter &c., ex donatione, quæ dicitur mera, pura, ſimplex, irrevocabilis, & inter vivos, ſtipulata per ſe & ſuos dedit, donavit, & donat, tituloque & cauſa hujuſmodi donationis irrevocabilis, & inter vivos liberè = conceſſit & concedit RR. PP. ſub titulo S. Franciſci Ordinis Capucinorum abſentibus, & Ven. eorum Conventui noviter conſtruendo, Me Notario pro eis ex officio legitimè ſtipulante, tumulos octo terreni ad menſuram lenciæ per ipſum Dominum Donatorem dignoſcendos & deſtinandos de- & ex bonis, quæ ipſe D. Donator retinet & poſſidet in hac Inſula Melitæ extra mœnia Cottoneræ, appellata ta Wic & Chibir, *confinantia ab Ortu & Meridie viis publicis, & ab Occidente & Septentrione cum reliqua parte bonorum prædictorum & aliis &c., & hoc ad opus, & effectum, ut prædicti RR. Patres poſſint, liberèque valeant in hujuſmodi bonis donatis, Fidelium auxilio, Charitate, & elemoſynis novum ædificari facere Conventum cum Eccleſia, ſtantiis, & commoditatibus pro reſidentia dictorum RR. Patrum, ac viridariolo placitis, & beneviſis inſimul conjunctis & non aliter.... Et conſequenter dictus D. Donator per ſe & ſuos...... ad habendum â die prima menſis Julii primò venturi.... cedens propria, &.. his tamen adjectis conditionibus, quibus præcedentibus deventum fuit ad præſens inſtrumentum, & non aliter &c. & primò, quod, ſi forte quavis ex cauſa ſeu occaſione Conventus prædictus non fuerit ædificatus in bonis ſupra donatis, ac nominatis, tunc illico & immediatè præſens donatio intelligatur & ſit caſſa, irrita, & nulla, nulliuſque roboris, efficaciæ, & momenti, tanquam ſi minimè facta fuiſſet, & prout ex nunc pro tunc, & adveniente caſu D. Donator illam revocavit, & revocat, annullavit, & annullat, & non aliter &c. ſecundò & demum, quod prædicta Eccleſia, ut ſupra conjuncta, ædificanda ſit & eſſe debeat ſub invocatione Divæ Barbaræ Vig. & Mart. & non aliter &c. Quam quidem donationem &c.*

Actum Melitæ in Caſali Tarſcen præſentibus &c.

Situs prænarratus cum perfectioni operis non ſufficeret, Dominus Donator alias terræ partes ceſſit ſub conditionibus, ſequenti Monumento inſertis:

IN NOMINE DOMINI, Amen. Anno à Nativitate ejuſdem milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, menſe Januarii, die verò ſecunda ejuſdem, Indictione XV. Pontificatûs Sanctiſſimi D. N. Clementis XII., Divina Providentia Papæ Anno V. Dominante Sereniſſimo Domino, Fr. Raymundo Puis S. Relig. Hieroſ. Magno Magiſtro, & harum Inſularum Melitæ & Gaules Principe noſtro digniſſimo, ac Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Fr. Paulo Alpheran de Buſſan, Dei & Sedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopo Melitenſi, quos Deus diu feliciter conſervet. Amen.

In noſtrorum Notarii, Teſtiumque infraſcriptorum præſentia præſens & perſonaliter conſtitutus Perill.

D. Cle-

D. Clericus Joſeph Habela, quondam Peril. Domini J. V. D. Joan. Pauli, Civis Civitatis Victorioſæ, habitationis verò Caſalis Tarſcen mihi Notario cognitus, aſſerens ipſum per acta mea die 13. Januarii, XIV. Indict. 1736. titulo donationis irrevocabilis ac inter vivos aſſignaſſe, & conceſſiſſe RR. Patribus ſub titulo S. Franciſci Ordinis Capucinorum ac eorum Venerab. Monaſterio noviter conſtructo tumulos octo terreni de-et ex bonis poſitis extra mœnia Cottoneræ, appellatis ta Wic Chibir, *ad effectum in hujuſmodi bonis ædificandi, & conſtruendi novum Conventum cum Eccleſia, ſtantiis, & commoditatibus pro reſidentia dictorum RR. Patrum, prout de facto (Deo auxiliante) ex Fidelium charitate & elemoſynis jam in conſtructione reperitur. Verùm quia ad perfectionem prædicti Conventûs, illiuſque ampliationem, ac piorum populorum commoditatem adhuc requiratur aliud ſolum, eapropter cupiens idem Dominus Habela inceptum charitatis opus plenè perficere, in honorem & gloriam Omnipotentis Dei, Beatæque ſemper Virginis Deiparæ Mariæ, ac Divi Franciſci, qui prædictum Sereniſſimum Fr. Domnum Raymundum Puic Principem noſtrum digniſſimum, & dilectiſſimum ſalubriter cuſtodire, ipſique Domino Habela, ac Illuſtriſſimo D. Herculi Teſtaſerrata, & Dominæ Baroniſſæ Venerandæ, ſuæ Conjugi, & reſpectivè ipſius D. Joſephi Filiæ, veniam & peccatorum remiſſionem concedere, ac impetrare, eoſdemque ad cæleſtia gaudia perducere dignentur, tenore præſentis inſtrumenti perpetuò valituri ad commodum & utilitatem dictorum RR. Patrum, totiuſque populi, eâ donatione, quæ dicitur mera, pura, ſimplex, irrevocabilis, & inter vivos, per ſe & ſuos &c. non vi &c. ſed ſponte ac hilari facie dedit, donavit, & donat, tituloque & cauſa hujuſmodi donationis irrevocabilis liberè . . . . . . conceſſit, & concedit dicto Ven. Conventui, adhuc in conſtructione exiſtenti, ac RR. Patribus abſentibus, me Notario pro eis & ſuis &c. ex officio legitimè ſtipulante, ſpatium quadratum modiorum quatuor terræ de & ex ſupranotatis bonis* ta Wic & Chibir *ſitum & poſitum ante oſtium Eccleſiæ Conventûs prædicti, necnon & parvulum ſpatium poſitum in dorſo, ſeu retro Sacella, & Sacrarium ejuſdem Eccleſiæ linea rectâ uſque ad viam publicam, & tandem aliud ſpatium terræ longitudinis cannarum menſuræ generalis centum ſeptuaginta ſex circiter menſurandarum à veſtibulo dictæ Eccleſiæ lineâ recta uſque ad foſſam munitionum Cottoneræ, ac largitudinis cannarum duarum incluſis parietibus pro conſtruendo publico itinere, & non aliter &c.. Et conſtituit ſe prædictus D. Donator &c. cedens propterea, & transferens &c. his tamen adjectis conditionibus, quibus præcedentibus deventum fuit ad præſens donationis inſtrumentum, & non aliter &c. & primò, ut Conventus prædictus (prout intentio ipſius D. Donatoris ab initio fuit, erat, eſt, & erit in futurum) cunctis futuris temporibus ſub immediatâ poteſtate, & auctoritate Rm̄i P. Generalis Ordinis prædicti maneat & non aliter &c.*

Item, quod prædicti RR. Patres dicti Conventûs teneantur ſpargere intus bona prædicta terram exiſtentem in ſpatio itineris prædicti, ſcilicet medietatem unam ponendo in parte ſuperiore, & aliam in parte inferiore, & non aliter &c.

Item, quod dicti RR. Patres teneantur, ſintque obligati in fine viæ prædictæ versùs partem cum via publica confinantem, conſtrui facere gradus ſcalinorum ſaxeorum, illoſque in poſterum eodem modo conſervare pro impediendo ingreſſu animalium quadrupedum, & non aliter &c. Demum, quod dictus D. Donator poſſit & liberè valeat, quandocunque ipſi libuerit, propiis ſumptibus & expenſis conſtrui facere in prædicto Conventu duas Cellas ad proprium uſum, ſuorumque Deſcendentium in perpetuum, caſu quo ipſe vel ſui voluerint illuc per aliquod temporis ſpatium, ſibi bene viſum, à ſæculo ſe ſeparare, & vitam ſpiritualem exercere, & non aliter &c.

Tandem, quod dictus D. Donator poſſit, liberèque valeat toties quoties ſibi placuerit propriis expenſis conſtrui facere intus Eccleſiam dicti Conventûs ſepulchrum patronatum pro ſe, ſuiſque Deſcendentibus tantùm & duntaxat, & non aliter &c. Quam quidem Donationem &c. Actum Melitæ in Caſali Tarſcen. &c.

Requiſitum aliàs aliorum Regularium conſenſum, qui nutare viſus eſt, ſupplevit ſequens Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi ſententia:

CHRISTI NOMINE invocato. Per hanc noſtram, quam in ſcriptis ferimus, de Juriſperitorum conſilio, ſententiam, in proceſſu coram Nobis vertente ſuper erectione novi Conventûs PP. Capucinorum in Civitate Victorioſa prope Arcem Salvatore *nuncupatam, petitâ à P. Fr. Joſepho à Melita Guardiano, cæteriſque Patribus Capucinis, citatis D. Joanne Paulo Pace, Parocho noſtræ Parrochialis Eccleſiæ ſub titulo S. Laurentii in prædicta Civitate Victorioſa erectæ, nec non Patribus Conventûs Ordinis Prædicatorum ſub titulo Sanctiſſimæ Annunciationis, pariter in dicta Civitate erecti, ac Patribus Conventûs Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum erecti in Civitate* Conſpicua, *citatis quoque per Edictum aliis intereſſe habentibus incertis, dicimus, ac declaramus dictum novum Conventum erigendum nullatenus damnum ac præjudicium fore allaturum Parocho dictæ Parochialis Eccleſiæ, neque Conventibus prædictis intra ambitum à Sacris Conſtitutionibus præfixum erectis, in eoque poſſe commodè ſuſtentari duodecim ad minus Religioſos ex quæſtuatione trium Civitatum, Victorioſæ, Conſpicuæ, & Sengleæ, eidem novo Conventui cedendâ à jam erecto Conventu PP. Capucinorum. Eapropter facultatem quoad hanc partem neceſſariam pro fundando, ac ædificando novo Conventu prædicto, vigore præſentis impertimur, dummodo tamen deſuper accedat conſenſus Apoſtolicus, necnon Patres novi Conventûs per ſe, ſuoſque ſucceſſores ſe obligent, ad accedendum ad ſolemniores dictæ Parochialis Eccleſiæ Proceſſiones, & patientiam præſtent, ut Parochus prædictus occaſione funeris intra eorum Capellam cum Stola, & Cruce elevata ingrediatur ad dandum Cadaveri inibi ſepeliendo ultimum vale. Ita &c. Datum in Palatio noſtro Epiſcopali Civitatis Notabilis in decurſu ſecundæ noſtræ Viſitationis hac die 9. Aprilis 1736.*

Fr. Paulus Epiſcopus Melitenſis.

Complevit tandum Eminentiſſimus Magnus Magiſter fabricam & opus Reſcripto Charitatis, quo Fratribus noſtris, in hoc Conventu ægrotantibus, ex magni Hoſpitalis Infirmaria, & Aromataria, ea ſubſidia exhiberi ordinavit, quæ aliàs Fratribus infirmis Conventûs Valletæ præſtari conſuevêre. Gratia fuit petita libello ſupplici ſequente:

Se-

Sereniſſime Domine,

Fr. Victorius à Melita, Guardianus Fratrum Minorum Capucinorum Civitatis Victorioſæ, & humillimus ſervus & Vaſſallus, Sereniſſimæ Celſitudini veſtræ exponit, quod Religioſi infirmi dicti Conventûs haud parum ex eo patiantur, quod circa medicamenta & ſuſtentationem, quæ ex charitate procurari nequeunt, neceſſaria non habeant. Quapropter Sereniſſimæ Celſit. Veſtræ ſupplicat, quatenus iis, ad quos ex Infirmaria & Aromataria Hoſpitalis, à S. Hieroſolymitana Religione pro infirmis pauperibus erecti, talia diſpenſare ſpectat, benigniſſimè ordinare dignetur, ut illud ipſum ſubſidium, quod Religioſis in Conventu Valettæ dimorantibus ſubminiſtrari ſolet, etiam Religioſis hujus ſui Conventûs ſuppeditetur. Pro qua gratia, ultra meritum actui pietatis annexum, Deum, qui Charitas eſt, pro Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ incolumitate orare non deſiſtent. Quod &c.

Ad quem libellum fuit reſcriptum;

Magiſter Hoſpitalis Hieroſolymitani.

A Miniſtris noſtri S. Hoſpitalis continuetur PP. Capucinis Valettæ conſueta elemoſyna; ſicut & Capucinis Victorioſæ, juxta ſchedam à Guardianis & Medicis reſpectivè ſubſcriptam, in qua nomina Infirmorum, & qualitates infirmitatum exprimantur. Datum in Palatio die 3. Decemb. 1742.

Fr. Mottet Auditor.

RESCRIPTO PONTIFICIO.

Facultates fundandi novam Domum in Inſula Gaudioſa, vulgò *Gozzo* vocitata committitur.

BEATISSIME PATER.

Pater Generalis Capucinorum humillimus Sanctitatis Veſtræ ſervus, & ſubditus reverenter exponit ſollicitas inſtantias, ſibi jam à defuncto Eminentiſſimo Magno Magiſtro Melitæ unitim cum Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo per reſpectivas eorum litteras ſub 23. menſis Iulii anno 1736. elapſi circa novæ Domus ſui Ordinis in Inſula *Gozzo* nuncupata ad ſolamen æquè, ac ſpiritualem totius illius populi fructum fundandæ factas; quem in finem & conſecutivè mediante P. Ioſepho à Melita, noſtri ibi Conventus Guardiano, tranſmiſerunt acta reſpectiva, in forma ſolemni & authentica, occaſione, qua prædictus Reverendiſſimus Ordinarius ibi in Sacra Viſitatione exiſtebat, expedita. Continent hæc expreſſum conſenſum tam à D. Archipresbytero Eccleſiæ Matricis, quàm à Regularibus ibi exiſtentibus præſtitum, & inſuper formalem ceſſionem ſeu donationem, Religioni in perpetuum factam, Eccleſiæ B. V. Mariæ Gratiarum nuncupatæ, & prope Caſtellum dictæ Inſulæ, ubi ſufficiens pariter novæ Domûs ſecundùm noſtras ſanctiones fundandæ ſitus jam eſt aſſignatus, exiſtentis. Cumque noviter D. Orator Melitenſis cum Schedula, ſub 23. currentis Aprilis data, ſimiles moderni ſui Emin. Magni Magiſtri pro negotii ultimatione inſtantias Oratori patefecerit, celeremque facultatis à S. Sede exquirendæ expeditionem recommendaverit, idcircò Orator dato jam quoad ſe ſuo, & Definitorii Generalis pro hujuſmodi fundatione Voto, proſtratus ad pedes ſummæ Sanct. Veſtræ Clementiæ, pro memorata opportuna tantò deſideratæ erectionis facultate cum annexis huic libello ſupplici legitimis documentis in illo relatis ſupplicat. Quam gratiam &c.

Die 29. menſis Aprilis 1737.

Sanctiſſimus ex cauſis in ſupplici libello expoſitis, benignè annuendo petitis, præviis derogationibus neceſſariis & opportunis, & præcipuè, quatenus opus ſit, derogando conſenſui Definitorii vel Capituli Provincialis, fecit Oratori poteſtatem executioni mandandi novam fundationem Conventûs ſui Ordinis in Inſula & Loco, de quibus in precibus, ad quem effectum tradidit eidem Oratori facultates omnes neceſſarias & opportunas.

Pro Emo ac Rmo

D. Cardinali Corſino.

P. A. de Freſcobaldis Auditor.

L. S. ejuſdem Emin. Corſini.

Ex Reg. Secret. Pontificiæ, die, menſe & anno prædict.

NO-

N O T A.

DAtam commiſſionem P. Generalis explevit Reſcripto ſequente.

Die 30. Aprilis 1737. Attentis facultatibus, Nobis à Sanctiſſimo D. N. Clemente PP. XII. Eccleſiam feliciter gubernante, in Reſcripto hujuſce ſupplicis libelli conceſſis, annuimus pro erectione Conventûs noſtri Ordinis FF. Minorum Capucinorum in Inſula dicta del Gozzo *ſub ditione Eminentiſſimi D. Magni Magiſtri Melitæ, non obſtantibus quibuſcunque in contrarium &c. ita & omni meliori modo, & ad tenorem conceſſionis jam emanatæ à noſtro Definitorio Generali, & à Nobis ſubſcriptæ, & datæ in noſtro Conventu Romæ die 30. Decembris anni 1736. per Decretum, ad quod &c.*

L. S.

Fr. Bonaventura Miniſter Generalis.

In libello ſupplici, Sanctiſſimo D. N. Papæ Clementi porrecto, allegantur tum Acta Viſitationis Epiſcopalis, tum conſenſus Archipresbyteri Eccleſiæ Matricis, & Regularium aliorum ibi exiſtentium, tum fides Univerſitatis de opportuna ſuſtentatione, quæ diſtinctè & diviſim hîc apponuntur, & quidem

Acta Viſitationis Epiſcopalis.

Die 19. Septembris 1736. Coram Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Fr. Paulo Alpheran de Buſſan, Epiſcopo Melitenſi, comparuerunt RR. PP. Fr. Joſephus à Melita, Fr. Herculanus à Paluzza, Fr. Pacificus à Melita, & Fr. Victorius à Melita &c. Religioſi Conventûs Capucinorum S. Franciſci Inſulæ Melitæ tam proprio, quàm aliorum Religioſorum dicti Conventûs nomine, enixè precantes & ſuppliciter petentes ſibi concedi Eccleſiam B. V. Mariæ Gratiarum, ac debitam licentiam conſtruendi & fundandi Monaſterium ſeu Conventum Religionis Capucinorum S. Franciſci prope eandem Eccleſiam, cum qua uniatur dictum Monaſterium fundandum.

Prælibatus Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus attentâ eorum humili inſtantiâ, ac ſupplicatione, maturâque factâ conſideratione, quantam ſcilicet forent allaturi dicti Religioſi utilitatem ſpiritualem Gregi hujus Inſulæ ſibi commiſſo, præcipuè in adjuvandis proximè morituris, ſibique ipſi ſublevamen, ac Divini cultûs augmentum, accedente quoque conſenſu admodum Reverendi Domini Archipresbyteri Collegiatæ & Matricis Eccleſiæ, ſub cujus cura prædicta Eccleſia extat, atque non levi Cleri & Populi deſiderio, prompto & hilari animo in Nomine ejus, qui eſt vera Charitas, confortans Humiles, benignè conceſſit & concedit eiſdem Religioſis Fratribus Capucinis Eccleſiam Ruralem, ſub titulo B. Mariæ Virginis Gratiarum, poſitam prope magnum Caſtrum prædictæ Inſulæ Gauli, à parte Orientali in Regione di Tom il gir, *cum omnibus juribus, & pertinentiis, necnon (ſervatis in reliquis Conſtitutionibus Ordinis) ſine aliorum detrimento, ut Monaſterium, ſeu Conventum prope ipſam conſtruere, & fundare poſſint, ſine tamen præjudicio jurium Parochialium D. Archipresbyteri, necnon Reverendi Capituli Collegiatæ Eccleſiæ, accedendi in Proceſſione Generali eandem Eccleſiam Dominica ſecunda Januarii, Voti ſupra expreſſi ſolvendi causâ, aliaſque functiones pro publica cauſa à Superioribus indicendas explendi, ac etiam Cathedræ Dominationis Suæ Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ, licentiam & facultatem, quantùm ad ipſum ſpectat, conceſſit, & conſenſum præſtitit, conditione adjectâ, ut Religioſi in Conventu exſtruendo tunc commorantes. ſua Cruce adinſtar aliorum Religioſorum intervenire debeant Proceſſionibus peragi ſolitis in feſto Titulari Matricis Eccleſiæ Collegiatæ, & in die octava Feſti Corporis Chriſti in eadem Matrici Eccleſia, necnon in omnibus Proceſſionibus Generalibus, quibus intervenire ſolent alii Religioſi Conventuum ejuſdem Inſulæ: item Proceſſioni, quæ peragitur in Dominica infra octavam Corporis Chriſti in Eccleſia Parochiali S. Georgii cum interventu Capituli, Ita &c. Unde &c. Præſentibus &c.*

Fr. Paulus Epiſcopus Melitenſis.

Conſenſus A. R. D. Archipresbyteri Ven. Eccleſiæ Collegiatæ.

In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ Immaculatæ Conceptionis, & ſub titulo Gratiarum. Amen. Per hoc publicum & authenticum inſtrumentum cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno ab Incarnato eodem Domino Jeſu Chriſto milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſexto, die verò XXV. Menſis Novembris, XIV. à currente Indictione, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Dñi Clementis Divina Providentia Papæ XII. anno ejus ſeptimo, coram nobis Notario, ac Teſtibus infraſcriptis ad hæc ſeriò vocatis, habitis ſpecialiter, & rogatis, præſens, & perſonaliter conſtitutus Reverendiſſimus Dominus S. T., ac J. V. D. Don Adeodatus Formoſa, Archipresbyter hujus Sacroſanctæ Matricis Eccleſiæ Inſulæ Gaulos mihi prædicto, & infraſcripto Notario cognitus, inhærens pio Decreto, per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum F. Paulum Alpheran de Buſsan, Epiſcopum Melitenſem, benignè in actu SS. Viſitationis ſpecialiter edito de diebus &c. continente licentiam, & facultatem Admodum RR. Patribus Capucinis ædificandi ſcilicet, & componendi in hac Inſula Gaulos novum Conventum cum Eccleſia Ordinis prædicti, & ſpecialiter in Eccleſia ſub invocatione Divæ Mariæ Gratiarum, poſitâ ſubtus Caſtrum dictæ Inſulæ Gaulos, expoſuit dicens, quod, Doctore Gentium Divo Apoſtolo atteſtante, omnes ſtabimus ante Tribunal Dei, recepturi, prout in corpore geſſimus, ſive bonum, ſive malum, eapropter ipſe Reverendiſſimus Dominus Archipresbyter attendens, quod inter alia pietatis opera,

illud præcipuum exiſtat, Eccleſias erigere, & fundare, & in eis Miſſas celebrare, provida meditatione, ac ſalubri deliberatione pro ſalute Animæ ſuæ, & Animarum Populi Gaulitani (prævia infraſcripta declaratione, conditione, & proteſtatione, quæ cenſeantur poſitæ, & repetitæ in principio, medio, & fine, ac parte qualibet præſentis Inſtrumenti, & non aliàs, aliter, nec alio modo) tanquam Archipresbyter, ut ſupra, Venerabilis Eccleſiæ Matricis ſponte, & ex ejus certa ſcientia, ac mera, & pura liberalitate, & ſpontanea voluntate, omni meliori modo, quo fieri, & eſſe potuit, & poteſt, intervenientibus quibuſcumque ſolemnitatibus tam Juris, quàm facti, in ſimilibus de jure requiſitis, & opportunis, etiam ſubſtantialibus, ad honorem Dei, dictaque ſemper Virginis Mariæ, & Sancti Patris Franciſci, ſuum conſenſum, & aſſenſum præſtitit, & præſtat erectioni, & fundationi Conventûs cum Eccleſia prædicta ſub invocatione Divæ Mariæ Gratiarum, quamprimum ædificandi, & conſtruendi per dictos Patres Capucinos in hac Inſula Gaulos, in loco ſupra memorato, ad opus, & effectum, ut dicti Patres ſuo tempore exiſtentes curam habeant, & diligenter exerceant Sacramentum Pœnitentiæ, aſſiſtentiam Animarum agonizantium, diſſeminent verbum Dei, aliaque pietatis officia per memoratos Patres exerceri ſolita, & non aliter &c.

Hoc tamen acto, expreſſo, & intellecto per hanc conditionem, & proteſtationem, perque pactum expreſſum, ſolemni ſtipulatione vallatum, ante hoc Inſtrumentum, quod aliter prædictus Reverendiſſimus Dominus Archipresbyter non feciſſet, nec ad illud deveniſſet, & non aliàs, aliter, nec alio modo, videlicet, quod Conventus & Eccleſia noviter ædificandus, conſtruendus, & conſtruenda, & ædificanda cum Reverendis Patribus in eo ſuo tempore exiſtentibus perpetuò ſint, & eſſe debeant ſpecialiter, directè, & immediatè ſubjecti, & ſuppoſiti Reverendiſſimo Patri totius Ordinis PP. Capucinorum Generali, ſuorumque in hac dignitate Succeſſorum tantùm, & dumtaxat, & ad hunc ſpectet, & pertineat, ac ſpectare, & pertinere dignoſcatur in illis, & ſuper illis immediatam, & directam poteſtatem, & facultatem in omnibus eorum Religioſis contingentiis, & non aliter &c ſine aliqua exceptione &c. juravit manu tacto pectore more Sacerdotali &c. unde &c.

Actum, perfectum & publicatum fuit, & eſt per me Notarium in hoc ſuburbio Caſtri Inſulæ Gauli præſentibus admodum Rev., & ſpecialiter Domino J. V. D. ac Canonico ſupradictæ Matricis Eccleſiæ Don Joanne Baptiſta Bonaſue, & Rev. Domino Don Franciſco Hellul Presbytero, teſtibus &c.

Conſenſus aliorum Regularium Mendicantium in dicto loco, & ejus vicinia exiſtentium.

Die XIX. Septembris MDCCXXXVI.

Cum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Fr. Paulus Alpheran de Buſſan, Epiſcopus Melitenſis, in decurſu hujus ſecundæ Generalis Viſitationis Inſulæ Gaules, ſuæ Diœceſis, de die 29. ejuſdem menſis Septembris 1736. conceſſerit RR. Patribus Ordinis Capucinorum Sancti Franciſci Eccleſiam, ſub titulo B. Mariæ Virginis Gratiarum, poſitam prope Caſtrum prædictæ Inſulæ ex parte Orientali, ut ibi exſtruere, & fundare poſſit Monaſterium ſeu Conventum ejuſdem Ordinis Capucinorum, hodiedum prædicto die coram prælibato Illmo, & Revmo Domino, ac penes acta ejuſdem Sanctæ Viſitationis comparuerunt RR. PP. Fr. Joſeph Felici, Baccalaureus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Fr. Joſeph Zarb, Ordinis Conventualium, Prior, & reſpectivè Guardianus Conventuum dictorum Ordinum erectorum in ſuburbio dicti Caſtri, & præſentes proprio & nomine aliorum Fratrum dictorum Conventuum, eorum conſenſum pariter, & aſſenſum præſtiterunt, & præſtant erectioni prædictæ in loco prænominato, cum ex tali erectione nullum detrimentum, ſive præjudicium eis evenire poſſit. Et ita &c. Unde &c.

Aſſenſus & Votum Univerſitatis ac Populi.

Nos infraſcripti pro veritate atteſtamur, qualiter ſpectatis, tum hujus Inſulæ Gozzo *ad 30. milliaria circumfuſæ fertilitate, tum populi ad octo mille, & trecentas Perſonas aſcendentis charitate, tum eleemoſynis largâ manu diſpenſari ſolitis, & communi erga Eccleſias devotione, opportunè duodecim Fratres Capucini in ea vivere & ſuſtentari poſſunt, quin populo, vel ulli, quicunque ille ſit, faſtidium aut præjudicium exinde proveniat: ad majorem enim Dei gloriam jam à longo tempore ibi exſpectantur, & in ſingulari æſtimatione, devotione, & veneratione habentur.*

In quorum fidem ſubſcribimur 15. Junii 1737.

Eques Dupeyrour Gubernator Inſulæ.
Eques de Marbeuf Locum-tenens Inſulæ &c. &c.

Ut Fratres Conventuum Meliten. & Gauli, ſeu Gaudioſæ Siggevi vel tranſeuntes vel quæſtuantes majore ſuo commodo, & minore Incolarum onere conſiſterent, fuit ipſis abs A. R. D Fr. Antonino Cutajar, Capellano &c. de congrua eleemoſyna proviſum per ſubjunctum Teſtamenti articulum:

Inter alia Capitula contenta in nuncupatorio teſtamento, quod R. D. Fr. Antoninus Cutajar, Magiſtralis Obedientiæ, S. R. Hieroſolym. Capellanus, Filius quondam Paſchalis de Coſ. Siggevi per acta Notarii infraſcripti ſub die 11. menſis Septembris II. Indiction. 1738. condidit, legitur Capitulum ſequens, videlicet:

Item D. Teſtator voluit, & mandavit, ac expreſsè ordinavit, & ordinat, quod toties, quoties in perpetuum, & cunctis futuris temporibus RR. PP. Ordinis Capucinorum ſub titulo S. Franciſci Venerabilium Conventuum hujus Inſulæ Melitæ, & Gaules (exceptis RR. PP. Ordinis Capucinorum prædicti Siculis) finitis illis ædificiis cum ſupradicta Ven. Eccleſia S. Joannis Decollati contiguè intervenerint in prædi-

prædicto Caſali Siggevi pro quæſtuatione dictorum Ven. Conventuum, ſeu pro quacunque alia causâ, ipſi RR. Patres tempore manſionis eorundem in dicto Caſali habitarc, & reſidere debeant in Loco Domorum ſuperiori contiguo cum ſupradicta Eccleſia S. Joannis Decollati, noviter ædificata per dictum D. Teſtatorem, conſiſtente in aditu coperto, coquina, parvo Aſtrogo, Scala lapidea, duabus cameris &c. cubili, & uſu ciſternæ exiſtentis in dicto Loco Domorum, quem dictus D. Teſtator ſub titulo Hoſpitii dictis Patribus Capucinis Venerabilium Conventuum prædictorum legavit, & reliquit, ac fundavit, & fundat, & ad prædictum effectum mandavit, & ordinavit ſtatim obitu ſuo ſubſecuto, Locum Domorum prædictum ornari debere cum aliquibus mobilibus, & ſuppellectile coquinæ ejuſdem D. Teſtatoris pro ſervitio Reverendorum Patrum prædictorum neceſſariis, quæ idem D. Teſtator pro hoc legavit, & reliquit: nec non voluit intra annum à dicti ſui obitûs die inantea computandum erigi debere, per dictos DD. Executores & Adminiſtratores ſuper Januam Introitûs dicti Loci Domorum, viam publicam reſpiciente, lapidem cum inſcriptione ſequenti, videlicet: Hoſpitium RR. PP. Capucinorum, & inſignia dicti Ordinis Capucinorum. Mandavitque pariter, & ordinavit, quod elapſis annis quindecim, à die obitûs ejuſdem inantea computandis, dicti DD. Executores, & Adminiſtratores, & ſui &c. teneantur, ſintque obligati, prout eos D. Teſtator ipſe oneravit & onerat, dare RR. PP. Capucinis pro ſubſtentatione, ſeu quotidiano eorum victu tempore dictæ eorumdem reſidentiæ in dicto Hoſpitio ſcuta decem &c. quolibet anno in perpetuum, & cunctis futuris temporibus de- & ex illis ſcutis quinquaginta & uno & taris ſex, ut ſupra, per ipſum D. Teſtatorem aſſignatis pro eleemoſyna ſupra ordinatæ, & fundatæ Miſſæ quotidianæ, quæ ſcuta decem annualia idem D. Teſtator ipſis RR. Patribus pro effectu præmiſſo in perpetuum legavit, & reliquit, ſolvenda modo infraſcripto, videlicet: Prædictis RR. PP. Capucinis Sacerdotibus, Ven. Conventuum prædictorum, ad rationem tarorum duorum, & gran. decem pond. gen. cuilibet eorum ſingulis diebus; Fratribus verò Converſis, ſive Laicis eorumdem Conventuum, ad rationem tari unius, & gran. decem cuilibet eorum quolibet die: onerans tamen & obligans ipſe D. Teſtator eoſdem RR. PP. Sacerdotes, prædicti Ordinis Capucinorum, & quemlibet eorum tempore dictæ eorum reſidentiæ in dicto Hoſpitio celebrare debere in dicta Eccleſia S. Joannis Decollati Miſſam lectam ſingulis diebus ad intentionem D. Teſtatoris: & ad hunc effectum D. Teſtator liberavit & liberat, exemitque & eximit DD. Rectorem ſeu Beneficiatum prædictæ Eccleſiæ S. Joannis Decollati, & Sacriſtam ejuſdem Eccleſiæ pro tempore & ſuos &c. à celebratione Miſſarum ſexaginta lectarum deducendarum qnolibet anno in perpetuum, & cunctis futuris temporibus de- & ex ſupra ordinata & fundata Miſſa quotidiana perpetua. Mandavit præterea, & mandat, ordinavit & ordinat dictus D. Teſtator, qaod caſu dato tempore reſidentiæ dictorum PP. Capucinorum in prædicto Hoſpitio, ipſi RR. PP. Sacerdotes Capucini, ſeu aliquis eorum ratione ægritudinis, ſeu alicujus legitimi impedimenti non potuerint, ſeu non potuerit celebrare in dicta Eccleſia S. Joannis Decollati Miſſam lectam, ut ſuprà ordinatam, eo eveniente caſu illi P. Sacerdoti infirmo, ſeu impedito ad celebrandam Miſſam prædictam, ſolvatur, & ſolvi debeat titulo eleemoſynæ pro ſuo victu & ſuſtentatione quotidiana tarus unus, & gran. decem pond. gen. ſingulis diebus, & hoc toties, quoties in perpetuum & cunctis futuris temporibus caſus prædictus evenerit. Voluitque etiam & mandavit dictus D. Teſtator, quod, ſi ſuprà relicta ſcuta decem annualia in aliquo anno non fuerint perſoluta ex integro, dictis Reverendis Patribus Capucinis pro eorum victu & ſuſtentatione quotidiana, eo caſu eveniente totám illam ſummam, quæ ſupererit ex dictis ſcutis decem annualibus ſuprà relictis, quolibet anno applicari debere in perpetuum in celebratione ſupra ordinatæ & fundatæ Miſſæ quotidianæ perpetuæ, quoniam ſic ipſe D. Teſtator voluit, & ita fieri ipſi placuit, & placet, & non aliter &c. & prout melius.

Ita eſt Not. Thomas Magri &c.

Exempl. autographo de hoc & ſuprà poſitis Documentis in Archivo Cuſtodiæ *&c.*

TABULÆ TOPOGRAPHICÆ

In quibus Domus, ſeu Conventus Provinciarum, quarum hic Tomus meminit, Latino, & vernaculo nomine indicantur, pariterque Diœceſis Conventuum, & qualitas locorum, in quibus exiſtunt, cum anno fundationis &c. annotantur.

PROVINCIA NEAPOLITANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Abellinum.	*Avellino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1580
Alvetum.	*Alvito.*	Pagus.	Sorana.	1597
Amalphis.	*Amalfi.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1583
Apicium.	*Apice.*	Pagus.	Beneventana.	1535
Argentium.	*Arienzo.*	Pagus.	S. Agath. Gothor	1561
Arianum.	*Ariano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1583
Arpinum.	*Arpino.*	Pagus.	Sorana.	1578
Averſa.	*Averſa.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1545
Beneventum.	*Benevento.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1555 & 1595
Cajeta.	*Gaeta.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1540 & 1713
Caivanum.	*Caivano.*	Oppidum.	Averſana.	1586
Calatia.	*Cajazzo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1592
Capua.	*Capoa.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1540
Caſerta.	*Caſerta.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
Caſtrummaris.	*Caſtellammare.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1583
Cava.	*Cava.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566
Cerretum.	*Cerreto.*	Civitas Ducalis.	Teleſina.	1583
S. Germanus.	*San Germano.*	Civitas Montis Caſſini.	Sedes Abbatialis.	1579
Jeſualtum.	*Geſualdo.*	Pagus.	Abellinenſis.	1592
Itrum.	*Itri.*	Pagus.	Fundana.	1574
Magdalonium.	*Mataluna.*	Civitas Ducalis.	Caſertana.	1577
Mons Fuſci.	*Monte Fuſcoli.*	Oppidum.	Beneventana.	1625
Mons Herculeus.	*Monteſarchio.*	Oppidum.	Eadem.	1577
Neapolis *S. Euphebii.*	*Napoli S. Euſebio.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1530
.... *SSmæ Concept.*	..... *Concezzione.*	....	.....	1572
Nola.	*Nola.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566
Nuceria *Paganorum.*	*Nocera de' Pagani.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1563
Pedemontium.	*Piedemonte.*	Civitas Ducalis.	Aliphana.	1577
Pons curvus.	*Ponte corvo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1589
Puteoli. *orum.*	*Pozzuoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1582
S. Severinus.	*Sanſeverino.*	Pagus.	Salernitana.	1568

No-

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Solophra.	*Solofra.*	Pagus.	Salernitana.	1580
Sora.	*Sora.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1600
Sueſſa nova.	*Seſſa nuova.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1593
Sueſſa vetus.	*Seſſa vecchia.*	. . . . .	. . . . .	1537
Surrentum.	*Sorrento.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1586
Theanum.	*Teano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1559
Tora.	*Tora.*	Pagus.	Theanenſis.	1713
Turris octava.	*Torre del Greco.*	Pagus.	Neapolitana.	1568

Hoſpitia pro Itinerantibus & Quæſtuantibus.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Ariola.	*Ariola.*	Pagus.
Bellona.	*Bellona.*	Pagus.
Calvitianum.	*Calvizzano.*	Oppidum.
Capua.	*Capoa.*	Civitas Metrop.
Fractæ. *arum.*	*Le Fratte.*	Pagus.
Fundis.	*Fondi.*	Civitas.
S. Germanus.	*S. Germano.*	Mons Caſſinus.
S. Maria.	*Santa Maria.*	Pagus.
Marth.	*Mart.*	Pagus.
Mater Domini.	*Mater Domini.*	Pagus.
Puteoli.	*Pozzuoli.*	Plaga Maritima.

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſię.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Regulæ.*
Arpinum.	*Arpino.*	S. Crux.	XXXIII.	Stricta.
Capua.	*Capoa.*	S. Gabriel. Arch.	XXVI.	Privilegiata.
Neapolis. *Primum.*	*Napoli.*	S. Maria in Jeruſalem.	XXXIII.	Stricta.
Secundum.		S. P. Franciſcus.	LX.	Privilegiata.

Sigillum  Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA LUCANIÆ
VULGO' BASILICATA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Abriola.	*Abriola.*	Oppidum.	Potentina.	1610*incirca*
Cammerota.	*Cammerota.*	Oppidum.	Policaſtrenſis.	1602
Campania.	*Campagna.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575
Caſtellucia.	*Caſtellucia.*	Oppidum.	Caputaquen.	1614
Caſtilio.	*Caſtiglione.*	Oppidum.	Salernitana.	1617
Caſtrum Saracenum.	*Caſtel Saraceno.*	Oppidum.	Anglon. unita Turſenſi.	1601
Centula.	*Centola.*	Oppidum.	Nullius.	1614
Cryptulæ. *arum.*	*Grottola.*	Oppidum.	Materanen.	1601
S. Cyprianus.	*S. Cipriano.*	Oppidum.	Salernitana.	1581
Ebulum.	*Evoli.*	Oppidum.	Salernitana.	1558
Ferrandina.	*Ferrandina.*	Oppidum.	Materanen.	1566&1615
Giffonum.	*Giffoni.*	Oppidum.	Salernitana.	1584
Lacus Niger *S. Mariæ*	*Lago negro di Santa Maria.*	Civit. Regia.	Policaſtrenſis.	1560
... *S. Franciſci.*	*... di S. Franceſco.*	Civit. Regia.	....	1610
Laurea.	*Lauria.*	Oppidum.	Policaſtrenſis.	1617
Marathea.	*Maratea.*	Civit. Regia.	Caſſanenſis.	1634
Marſicum.	*Marſico.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1602
Melphia.	*Melfi.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1582
S. Mennas.	*S. Menna.*	Oppidum.	Compſana.	1582
Mons Albanus.	*Mont'Albano.*	Oppidum.	Tricaricen.	1593
Mons Corvinus.	*Monte Corvino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi Acernenſis.	1584
Mons Sanus.	*Monte Sano.*	Oppidum.	Caputaquenſis.	1590
Montichium *ſeu S. Angeli.*	*Monticchio.*	Abbatia, ſeu Sylva.	Melphienſis.	1608
Murus.	*Muro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi	1587&1600
Optatum.	*Ottato.*	Oppidum.	Caputaquen.	1604
Perdifumum.	*Perdiſumo.*	Oppidum.	Nullius.	1617
Plaginæ. *arum.*	*Piaggine.*	Oppidum.	Caputaquenſ.	1615
Picernum.	*Picerno.*	Oppidum.	Potentina.	1618
Polla.	*Polla.*	Oppidum.	Caputaquen.	1577
Potentia *S. Antonii.*	*Potenza S. Antonio.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
.... *S. Caroli.*	.... *S. Carlo.*	....	....	1612
Sala.	*Sala.*	Civitas.	Caputaquenſis.	1573
Salernum.	*Salerno.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1554
Saponaria, *ſeu Grumentum.*	*Saponara.*	Oppidum.	Marſicana.	1553
Senyſium.	*Seniſi.*	Oppidum.	Turſen. unita Anglon.	1548
Sicinianum.	*Sicignano.*	Oppidum.	Caputaquen.	1572
Tulbium.	*Tolve.*	Oppidum.	Materanen.	1585

Nomen

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Tricaricum.	*Tricarico.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1572
Turſium.	*Turſi.*	Çivitas.	Sedes Epiſ. unit. Anglon.	1568
Vallis nova, *ſeu Novi.*	*Valle di Novi.*	Oppidum.	Caputaquen.	1624
Vetrum.	*Vietro di Potenza.*	Oppidum.	Compſana.	1572 & 1652
Vineola.	*Vignola.*	Oppidum.	Potentina.	1549 & 1591

Hoſpitia pro Fratribus Itinerantibus, & Quæſtuantibus. Extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*
Albanella.	*Albanella.*	Pagus.
Aquarus.	*Aquaro.*	Oppidum.
Aſcea.	*Aſcea.*	Pagus.
Atella.	*Atella.*	Pagus.
Barelium.	*Barrille.*	Pagus.
Bonatum.	*Delli Bonati.*	Oppidum.
S. Felix.	*S. Felice.*	Oppidum.
Piſticium.	*Poſticcio.*	Oppidum.
Quaglietta.	*Quaglietta.*	Pagus.
Rius niger.	*Rio negro.*	Oppidum.
Ruvum.	*Ruvo.*	Oppidum.

Sigillum 

Provinciæ.


PROVINCIA RHEGIENSIS
IN CALABRIA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Balnearia.	*Bagnara.*	Civitas.	Nullius.	1592
Caſtrum vetus.	*Caſtelvetere.*	Oppidum.	Hieracenſis.	1552
Catanzarium *ſeu Cathacium.*	*Catanzaro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1534&1598
S. Catharina.	*S. Catharina.*	Pagus.	Squillacen.	1580
Claravallis.	*Chiaravalle.*	Oppidum.	Eadem.	1594
Criptaurea.	*Grotteria.*	Pagus.	Hieracenſis.	1594
Cropanum.	*Cropani.*	Oppidum.	Cathacenſis.	1619
Crotonium.	*Cotrone.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1617
Cuſolitum.	*Coſoletto.*	Oppidum.	Oppidana.	1532
Cutrum.	*Cutro.*	Pagus.	Sanſeveriniana.	1600
S. Elias.	*S. Elia.*	Oppidum.	Miletenſis.	1534
Flumaria.	*Fiumara.*	Oppidum.	Rhegienſis.	1532
Galatrum.	*Galatro.*	Oppidum.	Miletenſis.	1583
Hieracium.	*Gerace.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1533
Mayda.	*Maida.*	Oppidum.	Neocaſtren.	1582
Melicumna.	*Melicocca.*	Oppidum.	Nullius.	1585
Meſuraca.	*Miſuraca.*	Oppidum.	Sanſeveriniana.	1574
Miletum.	*Mileto.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1533
Monsleo.	*Monteleone.*	Civitas.	Miletenſis.	1533
Neocaſtrum.	*Nicaſtro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1545&1639
Oppidum.	*Oppido.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1590
Panaya.	*Panaja.*	Oppidum.	Miletenſis.	1532&1585
Philocaſtrum.	*Motta-Filocaſtro.*	Oppidum.	Nicoterenſis.	1533
Poliſtena.	*Poliſtina.*	Oppidum.	Miletenſis.	1540
Quarterorum.	*Li Quartieri.*	Pagus.	Miletenſis.	1588
Rhegium. *Primus.*	*Reggio.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1532
..... *Secundus.*	.....	.....	.....	1634
Scylla.	*Scilla.*	Oppidum.	Rhegienſis.	1641
Seminaria.	*Seminara.*	Civitas.	Miletenſis.	1560
Squillacium.	*Squillace.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1545&1600
Stylum.	*Stilo.*	Civitas.	Squillacenſis.	1550
Sybaris.	*Simeri.*	Oppidum.	Cathacenſ.	1590
Trium Tabernarum.	*Taverna.*	Civitas.	Eadem.	1587
Terra nova.	*Terra nuova.*	Oppidum.	Oppidana.	1533
Tropea.	*Tropea.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1590

Ho-

Hoſpitia pro Itinerantibus & Quæſtuantibus extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Pitium.	*Pizzo.*	Pagus.
Roſarnum.	*Roſarno.*	Pagus.

Sigillum  **Provinciæ.**

PROVINCIA COSENTINA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Acrium.	*Acri.*	Oppidum.	Biſinianen.	1590
Altuſmons.	*Altomonte.*	Oppidum.	Caſſanen.	1597
Amanthea.	*Amantea.*	Civit. Regia.	Sedes Epiſc. &c.	1607
Belimons.	*Belmonte.*	Oppidum.	Tropejen.	1606
Belvederium.	*Belvedere.*	Civitas.	S. Marci.	1695
Biſinianum.	*Biſignano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
Campoteneſum.	*Campoteneſe.*	Solitudo.	Caſſanen.	1698
Caroleum.	*Carolei.*	Oppidum.	Coſentina.	1581
Caſale novum.	*Caſal novo.*	Oppidum.	Caſſanen.	1609
Caſſanum.	*Caſſano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1581
Caſtilio.	*Caſtiglione.*	Pagus.	Coſentina.	1610
Caſtrovillarium.	*Caſtrovillari.*	Civitas.	Caſſanen.	1538 & 1630
Cetrarium.	*Cetrano.*	Oppidum.	Nullius.	1618
Ciro.	*Ciro.*	Oppidum.	Umbriaticen.	1614
Cœlicum.	*Celico.*	Pagus.	Coſentina.	1593
Coriolanum.	*Corigliano.*	Civitas.	Roſſanen.	1582
Coſentia.	*Coſenza.*	Civit. Regia.	Sedes Archiepiſ.	1534 & 1682
Dipinianum.	*Dipignano.*	Pagus.	Coſentina.	1528
S. Joannes *in floribus.*	*S. Giovanni in fiore.*	Oppidum.	Coſentina.	1636
Lutium.	*Luzzi.*	Oppidum.	Biſinianen.	1605
Mons altus.	*Montalto.*	Civitas.	Coſentina.	1568
Muranum.	*Morano.*	Oppidum.	Caſſanen.	1606
Murimannum.	*Mormanno.*	Oppidum.	Caſſanen.	1579
Nuceria.	*Nocera.*	Oppidum.	Marteranen.	1581
Oriolum.	*Oriolo.*	Oppidum.	Anglonen.	1589
Paula.	*Paola.*	Civitas.	Coſentina.	1580
Pedacium.	*Pedace.*	Pagus.	Coſentina.	1589
Plana.	*Piana.*	Pagus.	Coſentina.	1609
Roſſanum.	*Roſſano.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1546 & 1632
Rublanum.	*Rogliano.*	Pagus.	Coſentina.	1642
Ruggianum.	*Roggiano.*	Oppidum.	S. Marci.	1584
Saracena.	*Saracena.*	Oppidum.	Caſſanen.	1588
Scilianum.	*Scigliano.*	Oppidum.	Marteranen.	1587
Strongoli.	*Strongoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1617
Turium novum.	*Terra nova.*	Civitas.	Roſſanen.	1608
Turanum.	*Torano.*	Oppidum.	Biſinianen.	1578
Urſomartium.	*Orſomarſo.*	Oppidum.	Caſſanen.	1610

Hoſpitium pro Itinerantibus & Quæſtuantibus.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Cariatum.	*Cariati.*	Civitas.

Mo-

Monaſteria Monialium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Acrium.	*Acri.*	S. Petrus de Alcantara.	XIII.	Stricta.
Coſentia.	*Coſenza.*	S. Crux.	XXI.	Stricta.
Mons altus.	*Montalto.*	Imaculata Conceptio.	XXII.	Privilegiata.
Teſſanum.	*Teſſano.*	S. Michael Archang-	XIII.	Stricta.

Sigillum *Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie cum 7. palmis, ſeu plumis ſubtus.* **Provinciæ.**

PROVINCIA S. ANGELI IN APULIA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Anglonum.	*Agnone.*	Civitas.	Triventina.	1603
Apricena.	*Apricena.*	Pagus.	Lucerienſis.	1583
Aricia.	*Riccia.*	Pagus.	Beneventana.	1679
Bovinum.	*Bovino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1623
Campus baſſus.	*Campo baſſo.*	Oppidum.	Bovinenſis.	1589
Ciriniola.	*Cirignola.*	Oppidum.	Nullius.	1613
S. Elias.	*S. Elia.*	Oppidum.	Beneventana.	1604
Æſernia.	*Iſernia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1577
Fogia.	*Foggia.*	CivitasRegia.	Trojana.	1579 & 1618
Friſononum.	*Fruſolone.*	Oppidum.	Triventina.	1580
Guglimajus.	*Guglioneſi.*	Oppidum.	Termulana.	1628
S. Joannes Rotundus.	*S.Giovanni rotondo*	Oppidum.	Sipontina.	1538
Larinum.	*Larino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1535
Luceria.	*Lucera. (la.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1569
S. Marcus Catulæ.	*S.Marco dellaCato-*	Pagus.	Vulturanen.	1585
Monsfalconis.	*Monteſalcone.*	Pagus.	Triventina.	1622
Mons Garganus.	*Monte S. Angelo.*	Civitas.	Sipontina.	1595
Murgantia.	*Morcone.*	Civitas.	Beneventana.	1602
Rhodium.	*Rodi.*	Oppidum.	Sipontina.	1540 & 1600
Serra capriola.	*Serra capriola.*	Oppidum.	Larinenſis.	1536
S. Severus.	*S. Severo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1606
Sipontum.	*Manfredonia.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1571 & 1622
Triventum.	*Trivento.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1550
Troja.	*Troja.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1616
Turris major.	*Torre maggiore.*	Oppidum.	SanSeveriniana.	1550 & 1627
Vaſtum.	*Vaſto.*	Civitas.	Theatina.	1582
Venafrum.	*Venafro.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1573
Veſtæ. *arum.*	*Vieſti.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1634
Vicus de Pantano.	*Vico.*	Oppidum.	Sipontina.	1566 & 1646

Sigillum *S. Michael Archangelus, calcans pedibus Luciferum.* Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA BARENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Aquaviva.	*Acquaviva.*	CivitasRegia.	Barenſis.	1589
Altilia.	*Altamura.*	CivitasRegia.	Gravinen.	1563
Andria.	*Andria.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1572
Barium.	*Bari.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1556
Barula.	*Barletta.*	Civitas.	olim Tranenſis.	1554
Bituntum.	*Bitonto.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1548
Ciſterninum.	*Ciſternino.*	Oppidum.	Monopolit.	1596
Coratum.	*Corato.*	Oppidum.	Tranenſis.	1594
Cuperſanum.	*Converſano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1573
Gravina.	*Gravina.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1535
Juvenacium.	*Giovenazzo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1612
Lavellum.	*Lavello.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1591
Meduneum.	*Modogno.*	Civitas privilegiata.	Barenſis.	1584
Melfictum.	*Molfetta.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1540
Minervinum.	*Minervino.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1593
Monopolis.	*Monopoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1566
Mons peluſius.	*Monte peloſo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
Noja.	*Noja.*	Oppidum.	Barenſis.	1589
Nuces *cum.*	*Noci.*	Oppidum.	Cuperſanenſis.	1588
Palum.	*Palo.*	Oppidum.	Barenſis.	1594
Putinianum.	*Putignano.*	Oppidum.	Nullius.	1585
Rubeus.	*Ruvo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1607
Rutilianum.	*Rutigliano.*	Oppidum.	Cuperſanenſis.	1612
Spina aurea.	*Spinazzola.*	Oppidum.	Venuſina.	1587
Terlitium.	*Terlizzi.*	Civitas.	Juvenacen.	1582
Tranum.	*Trani.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1591
Trivianum.	*Triggiano.*	Oppidum.	Barenſis.	1614
Venuſium.	*Venoſa.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1591
Vigiliæ *arum.*	*Biſceglia.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1606

Hoſpitia.


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Arborebellum.	*Arborebello.*	Terra.
Caſtellana.	*Caſtellana.*	Oppidum.

Mona-

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſię.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Regulæ.*
Aquaviva.	*Acquaviva.*	S. Maria à Conſtantinopoli.	XLVI.	Stricta.
Meduneum.	*Modugno.*	S.Maria Puritatis.	XXIV.	Privilegiata.

Sigillum



Provinciæ.

PROVINCIA HYDRUNTINA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Alexanum.	*Aleſſano.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1628
Brunduſium.	*Brindiſi.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1588
Campiæ *arum.*	*Campi.*	Oppidum.	Lycienſis.	1705
Caſaranum.	*Caſarano.*	Oppidum.	Nerithonen.	1582
Caſtronitum.	*Caſtellaneta.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi	1572
Cilium.	*Ceglie.*	Oppidum.	Oritana.	1570
Corilianum.	*Corigliano.*	Oppidum.	Hydruntina.	1587
Criptaliæ *arum.*	*Grottaglie.*	Oppidum.	Tarentina.	1541
Cupertinum.	*Cupertino.*	Oppidum.	Nerithonenſis.	1590
Diſum.	*Diſo.*	Oppidum.	Caſtrenſis.	1619
S. Elias.	*S. Elia.*	Oppidum.	Lycien.	1584
Francavilla.	*Francavilla.*	Oppidum.	Oritana.	1560
Galatula.	*Galatone.*	Oppidum.	Nerithonen.	1599
Gallipolis.	*Gallipoli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1583
Ginuſium.	*Genoſa.*	Oppidum.	Materanenſis.	1610
Hydruntum.	*Otranto.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1594
Latertium.	*Laterza.*	Oppidum.	Materanenſis.	1548
Licium *S. Mariæ de alto*	*Lecce.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
. . . Rudiæ *arum.*	. . . .	. . . . .	. . . . .	1533
Mandurium.	*Caſal nuovo.*	Oppidum.	Oritana.	1578
Martina.	*Martina.*	Oppidum.	Tarentina.	1546
Maſſafra.	*Maſſafra.*	Oppidum.	Motulana.	1584
Matera.	*Matera.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1563
Meſſapia.	*Meſagna.*	Oppidum.	Brunduſina.	. . .
Mons Caveoſus.	*Monte ſcaglioſo.*	Oppidum.	Materanen.	1593
Nerithon *onis.*	*Nardò.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1569
Oſtunium.	*Oſtuni.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1586
S. Petrus *in Galatina.*	*S. Pietro in Galatina*	Oppidum.	Hydruntina.	1570
Ruffanum.	*Ruffano.*	Oppidum.	Ugentina.	1621
Salve.	*Salve.*	Oppidum.	Ugentina.	1580
Scorranum.	*Scorrano.*	Oppidum.	Hydruntina.	1600
Tarentum.	*Taranto.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1539
Tricaſium.	*Tricaſe.*	Oppidum.	Alexanenſis.	1588

Hoſpitia extra Loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
Batendierum.	*Battendiero.*	Pagus.
Oria.	*Oria.*	Civitas.
S. Petrus Vernoticus.	*S. Pietro Vernotico.*	Oppidum.

Mona-

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Brunduſium.	*Brindiſi.*	S. Maria Angelorũ.	XXXIII.	Stricta.
Caſtronitum.	*Caſtellaneta,*	S. Maria de Refugio	XXXIII.	Privilegiata.
Lequile.	*Lequile.*	S. Clara.	XXX.	Privilegiata.
Licium.	*Lecce.*	B.V. Maria Lauret.	XXXIII.	Privilegiata.
Matera.	*Matera. (na.*	S. Clara.	XXXV.	. . . . .
S. Petrus *in Galatina.*	*S. Pietro in Galati-*	S. Maria Annuntiat.	XXX. *incirca*	Privilegiata.
Soletum.	*Soleto.*	S. Nicolaus Epiſc.	XXX.	Privilegiata.
Tarentum.	*Taranto.*	S. Michael Archang.	XXXIII.	Stricta.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA PANORMITANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Agrigentum.	*Girgenti.*	Civit. Regia.	Sedes Epiſcopi.	1552
Alcamus.	*Alcamo.*	Civit. Ducalis	Mazarienſis.	1566
Aragonia.	*Aragona.*	Oppidum.	Agrigentina.	1689
Bivona.	*Bivona.*	Civit. Ducalis	Eadem.	1572
Burgium.	*Burgio.*	Oppidum.	Eadem.	1580
Buſacchinum.	*Buſacchino.*	Oppidum.	Montis Regalis.	1633
Caccabus.	*Caccamo.*	Civit. Ducalis	Panormitana.	1589
Caltabellotta.	*Caltabellotta.*	Oppidum.	Agrigentina.	1614
Caltaſimum.	*Caltaſimi.*	Civit. Ducalis	Mazarienſis.	1581
Caltaniſſetta.	*Caltaniſſetta.*	Civit. Ducalis	Agrigentina.	1545
Camerata.	*Camerata.*	Oppidum.	Eadem.	1572
Carenum.	*Carini.*	Oppidum.	Mazarienſis.	1603
Caſtrum novum.	*Caſtro nuovo.*	Civit. Regia.	Agrigentina.	1533
Caſtrum Thermarum.	*Caſtel termini.*	Oppidum.	Eadem.	1722
Caſtrum Veteranum.	*Caſtel vetrano.*	Civit. Ducalis	Mazarienſis.	1546
S. Cataldus,	*S. Cataldo.*	Oppidum.	Agrigentina.	1724
Ciminna.	*Ciminna.*	Oppidum.	Panormitana.	1588
Cluſa.	*Chiuſa.*	Oppidum.	Agrigentina.	1569
Corleo.	*Corleone.*	Civit. Regia.	Montis Regalis.	1570
Drepanum. *Primum.*	*Trapani.*	Civit. Regia.	Mazarienſis.	1555
. . . *Secundum.*	. . . . .	. . . .	. . . . . .	1619
Leocata.	*Lìcata.*	Civit Regia.	Agrigentina.	1572
Marſala.	*Marſala.*	Civit. Regia.	Mazarienſis.	1571
Mazara.	*Mazara.* (no.	Civit. Regia.	Sedes Epiſc.	1584
Mons S. Juliani.	*Monte di S. Giulia-*	Civit. Regia.	Mazarienſis.	1571
Mons Regalis.	*Monreale.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1581
Narus.	*Naro.*	Civit. Regia.	Agrigentina.	1550
Panormum.	*Palermo.*	Civit. Regia.	Sedes Archiepiſ.	1533
. . . *Infirmaria.*	. . . .	. . . . . .	. . . .	1546
Partanna.	*Partanna.*	Oppidum.	Mazarien.	1598
Parthenicum.	*Partinico.*	Oppidum.	Eadem.	1617
Plana Græcorum.	*Piana de' Greci.*	Oppidum.	Montis Regalis.	1673
Podium Regale.	*Poggio reale.*	Oppidum.	Mazarienſis.	1723
Politium.	*Polizzi.*	Civit. Regia.	Cephaludenſis.	1538
Sacca.	*Sciacca.*	Civit. Regia.	Agrigentina.	1556
Sala Parutarum.	*Sala di Paruta.*	Oppidum.	Mazarienſis.	1727
Salemium.	*Salemi.*	Civit. Regia.	Mazarien.	1589
Sambuca.	*Sambuca.*	Oppidum.	Agrigentina.	1609
Sutera.	*Sotera.*	Civitas.	Eadem.	1621
Thermæ Himerantes.	*Termini.*	Civit. Regia.	Panormitana.	1547

Miſſio Stabilis
in Inſula Pantellariæ, ſeu Coſyræ

Monaſteria Monialium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monial.*	*Qualitas Inſtituti.*
Panormum.	*Palermo.*	S. Clara.	XXXIII.	Strict. Capuc.
. . . .	. . . .	S. Eliſabeth Regina.	XXXIII.	Tertii Ordinis.

Sigillum 

Provinciæ.

PROVINCIA MESSANENSIS.


Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Adernio.	*Adernò.*	Oppidum.	Catanenſis.	1608
Alcara.	*Alcarà.*	Oppid. Regium.	Meſſanenſis.	1574
Aliſium.	*Ali.*	Oppidum.	Archimandritæ Meſsanenſ.	1574
Amaſtra.	*Miſtretta.*	Civitas.	Cephaludanēſis.	1569
Brontis.	*Bronte.*	Oppid. Regium.	Montis Regalis.	1627
Caſtellum bonum.	*Caſtel-buono.*	Oppidum.	Meſſanenſis.	1572
Caſtrum Regale.	*Caſtro Reale.*	Civitas Regia.	Eadem.	1566
Catana *Conv. ant.*	*Catania.*	Civitas Regia.	Sedes Epiſcopi.	1533
. . . . *Conv. novus.*	. . . . .	. . . . . .	. . . . .	1620
Colleſanum.	*Colleſano.*	Oppidum.	Cephaludanen.	1568
Engium.	*Gange.*	Oppidum.	Meſſanen.	1572
Francavilla.	*Francavilla.*	Oppidum.	Eadem.	1570
Gipſum.	*Geſſo.*	Pagus.	Eadem.	1584
Gibilmanna.	*Gibilmanna.*	Sylva.	Cephaludanen.	1535
Herbita.	*Nicoſia.*	Civitas Regia.	Meſſanen.	1546
Hicarium, *vel Hiro.*	*Gerace.*	Oppidum.	Eadem.	1689
Jacium, *vel Acis.*	*Jaci.*	Civitas Regia.	Catanenſis.	1574
Lingua groſſa.	*Lingua groſſa.*	Civitas Regia.	Meſſanen.	1647
Liparum.	*Lipari.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1584
S. Lucia.	*S. Lucia.*	Civitas Regia.	Nullius.	1610
S. Marcus.	*S. Marco.*	Oppidum.	Meſſanen.	1582
Melatium.	*Melazzo.*	Civitas Regia.	Eadem.	1580
Meſſana.	*Meſſina.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1533
Naxos.	*Naſo.*	Oppidum.	Meſſanenſis.	1566
Pactæ *arum.*	*Patti.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1550
Paternio.	*Paternò.*	Oppidum.	Catanenſis.	1556
Pedemons.	*Piedemonte.*	Oppidum.	Meſſanenſis.	1731
Petralia.	*Petralia.*	Oppidum.	Eadem.	1587
Puteus goti.	*Pozzo di gotto.*	Civitas.	Eadem.	1623
Pychis.	*Pettineo.*	Oppidum.	Cephaludanen.	1582
Randatium.	*Randazzo.*	Civitas Regia.	Meſſanenſis.	1610
Rametta.	*Rometta.*	Civitas Regia.	Eadem.	1585
Rocca.	*Rocca.*	Oppidum.	Meſsanenſis.	1627
Sabuca.	*Savoca.*	Oppid. Regium.	Archimandritæ Meſsanenſ.	1574
Taurominium.	*Tavormina.*	Civitas Regia.	Meſsanenſis.	1551
Tiſſa.	*Tuſa.*	Oppidum.	Cephaludanen.	1582
Tortoretum.	*Tortorice.*	Civitas Regia.	Meſsanenſis.	1559
Troyna.	*Troina.*	Civitas.	Eadem.	1540

Hoſpitia extra loca Conventuum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*
S. Agatha.	*S. Agatha.*	— —
Capitium.	*Capizzi.*	— —
Trium Caſtanearum.	*Tre Caſtagni.*	— —
Cephaludium.	*Ceſalù.*	Civitas.
Codronium.	*Condro.*	— —
Galteri.	*Gratteri.*	— —
Iſnellum.	*Iſnello.*	Pagus.
Maſcalæ.	*Maſcali.*	— —
Mons fortis.	*Monſcrte.*	— —
Novara.	*Novara.*	— —
Pedara.	*Pedara.*	— —
Piſtis.	*Piſtunina.*	Rus.
Saponaria.	*Saponara.*	— —
S. Stephanus.	*San Stefano.*	— —
Via grandis.	*Via grandis.*	— —

Monaſterium, ſeu Conſervatorium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſię.*	*Num. Monial.*	*Qualitas Regulæ.*
Meſſana.	*Meſſina.*	Jeſus, & Maria.	. . .	Stricta.

Sigillum 


Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA SYRACUSANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ita.*	*Qualit. Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Auguſta.	*Agoſta.*	Oppidum.	Syracuſana.	1606
Argirio.	*San Filippo.*	Oppidum.	Catanenſis.	1608
Aydon.	*Aydone.*	Oppidum.	Catanenſis.	1611
Bidenum.	*Vizzini.*	Oppidum.	Syracuſana.	1533 -- 1603
Biſcaris.	*Biſcari.*	Pagus.	Eadem.	1735
Buccherium.	*Boccheri.*	Oppidum.	Eadem.	1627
Caimenæ *arum.*	*Comiſo.*	Pagus.	Eadem.	1616
Caliobeta.	*Calaſcibetta.*	Oppidum.	Catanenſis.	1589
Calatagiro *nis.*	*Calatagirone.*	Oppidum.	Syracuſana.	1540 -- 1607
Clarus Mons.	*Chiaramonte.*	Pagus.	Eadem.	1558 -- 1593
Enna.	*CaſtroGiovanni.*	Oppidum.	Catanenſis.	1534 -- 1598
Ferula.	*Ferla.*	Pagus.	Syracuſana.	1579
Heraclea.	*Terra nuova.*	Oppidum.	Eadem.	1573
Hybla major, *aut Abula*	*Avola.*	Oppidum.	Eadem.	1579 -- 1693
Hybla minor.	*Melilli.*	Oppidum.	Eadem.	1616
Hyſpice fundus.	*Spaccaforno.*	Oppidum.	Eadem.	1627
Leonfortis.	*Leonforte.*	Pagus.	Catanenſis.	1627
Leontini *orum.*	*Lentini.*	Oppidum.	Syracuſana.	. . . .
Licodia.	*Licodia.*	Pagus.	Eadem.	. . . .
Mazzarinum.	*Mazzarino.*	Pagus.	Eadem.	1574
Menæ *arum.*	*Mineo.*	Oppidum.	Eadem.	1550 -- 1590
Militellum.	*Militello.*	Pagus.	Eadem.	1574
Motuca.	*Modica.*	Oppidum.	Eadem.	. . . . .
Netum.	*Noto.*	Oppidum.	Eadem.	1553 -- 1584 1693
Palatiolus.	*Palazzuolo.*	Pagus.	Eadem.	1674
Platea.	*Piazza.*	Oppidum.	Catanenſis.	1538 -- 1606
Raguſa *ſeu Hirminia.*	*Raguſa.*	Oppidum.	Syracuſana.	1537 -- 1606
Regalbutum.	*Regalbuto.*	Oppidum.	Catanenſis.	1585 -- 1616
Siclis.	*Sicli.*	Oppidum.	Syracuſana.	1572 -- 1623
Sortinus.	*Sortino.*	Pagus.	Eadem.	1556
Syracuſæ *arum.*	*Siracuſa.*	Civitas.	SedesEpiſcopalis	1549 -- 158
Victoria.	*Vittoria.*	Oppidum.	Syracuſana.	1697

Sigillum



Provinciæ.

PRO-

PROVINCIA APRUTINA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Aquila *S. Joſephi.*	*Aquila S.Giuſeppe.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1540
Aquila *S. Michaelis.*	. . . *S. Michele.*	. . . .	. . . . .	1609
Aveanum.	*Avezzano.*	Oppidum.	Marſorum.	1570
Campli *orum.*	*Campli.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1579
Caramanicum.	*Caramanico.*	Oppidum.	Theatina.	1590
Catinianum.	*Catignano.*	Pagus.	Nullius.	1580
Celanum.	*Celano.*	Oppidum.	Marſorum.	1570
Cermignanum.	*Cermignano.*	Oppidum.	Pinnenſis.	1672
Civitella.	*Civitella.*	CivitasRegia.	Teramenſis.	1611
Equicoli,*ſeu Equicolani*	*Cicoli.*	Oppidum.	Reatina.	1568
Fonticuli.	*Fontecchio.*	Oppidum.	Nullius.	1593
Guardiagrelis.	*Guardiagrele.*	Oppidum.	Theatina.	1599
Gypſum.	*Geſſo.*	Pagus.	Theatina.	1591
Hadria.	*Atri.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1570
Julia nova.	*Giulia nova.*	Oppidum.	Teramenſis.	1599
Lancianum.	*Lanciano.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1575
Lauretum.	*Loreto.*	Oppidum.	Pinnenſis.	1583
Lucus.	*Luco.*	Pagus.	Marſorum.	1592
Manupellum.	*Monopello.*	Oppidum.	Theatina.	1620
Montorium.	*Montorio.*	Oppidum.	Pinnenſis.	1580
Ophænum.	*Offeno.*	Oppidum.	Valvenſis.	1600
Ortona.	*Ortona a mare.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1586 & 1626
Pinnæ *arum.*	*Penne.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1575
Piſcaria.	*Peſcara.*	CivitasRegia.	Pinnenſis.	1631
Radianum.	*Rajano.*	Oppidum.	Sulmonenſis.	1642
Scurcula.	*Scorcola.*	Oppidum.	Marſorum.	1590
Sulmona.	*Sulmona.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1580
Talleacotium.	*Tagliacozzo.*	Pagus.	Marſorum.	1626
Teramum.	*Teramo.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1543
Theate.	*Chieti.*	Civitas.	Sedes Archiepiſ.	1580
Toccum.	*Tocco.*	Pagus.	Theatina.	1585

Sigillum

S. Bernardinus Senenſis adorans Nomen Jeſu.

Provinciæ.

PROVINCIA CALARITANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus ſund. Loci.*
Barumini.	*Barumini.*	Oppidum.	Alborenſis.	1610
Calaris *S. Antonius.*	*Caller.*	Civitas.	Sedes Archiep.	1592
. . . *S. Benedictus.*	. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . .
Eccleſia.	*Igleſias.*	Civitas.	Eccleſien. unita Calaritanæ.	1596
Maſulla.	*Maſullas.*	Oppidum.	Uſelenſis.	1648
Nurri.	*Nurri.*	Oppidum.	Calaritana.	. . .
Oriſtanum.	*Oriſtan.*	Civitas.	Alborenſis.	1609
Quartum.	*Quartu.*	Oppidum.	Calaritana.	1631
Selurum.	*Santluri.*	Oppidum.	Calaritana.	1609
Tortolium.	*Tortoly.*	Oppidum.	Calaritana.	1733
Villa ſorres.	*Villaſſor.*	Oppidum.	Calaritana.	1630

Monaſteria Monialium Capucinarum.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Mon.*	*Qualitas Regulæ.*
Calaris.	*Caller.*	S. Antonius.	. . .	Stricta.
Oriſtanum.	*Oritana.*	. . . . . .		. . . .


Sigillum Provinciæ.

PROVINCIA TURRITANA.

Nomen Loci Latinum.	*Nom. Loci Vernac.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus ſund. Loci.*
Alguerium.	*Alguer.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1595
Bitti.	*Bitti.*	Oppidum.	Calaritana.	. . .
Bolotana.	*Bolotana.*	Oppidum.	Algueren.	1608
Boſa.	*Boſa.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1608
Calangianos.	*Calangianos.*	Oppidum.	Ampurien. unita Civitatenſi.	. . .
Cularis.	*Culler.*	Oppidum.	Boſanen.	1610
Mores.	*Mores.*	Oppidum.	Turritana.	1715
Nulvi.	*Nulvi.*	Oppidum.	Ampurien.	1607
Occierium.	*Ocier.*	Oppidum.	Algueren.	1593
Plovaca.	*Ploaque.*	Oppidum.	Turritana.	. . .
Sacer *eris.*	*Saſſer.*	Civit. Metrop.	Sedes Archiepiſ.	1588
Sorſo.	*Sorſo.*	Oppidum.	Turritana.	1690
Tieſi.	*Tieſi.*	Oppidum.	Eadem.	1708

Monaſteria Monialium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Titulus Eccleſiæ.*	*Num. Monial.*	*Qualit. Regulæ.*
Sacer.	*Saſſer.*	Jeſus Maria Joſeph.	LX *incirca.*	Stricta.
Tempium.	*Tempi.*	. . . . .	. . . .	Stricta.


Sigillum  Provinciæ.

CUSTODIA
MONFERRATENSIS.

Nomen Loci Lat.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fundat. Loci.*
Aquæ.	*Acqui.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1585
Caſalis.	*Caſale.*	Civitas.	Sedes Epiſcopi.	1541 -- 1572 1633
Fubinæ.	*Fubine.*	Pagus.	Aquenſ.	1611
Monscalvus.	*Moncalvo.*	Civitas Ducalis.	Eadem.	1624
Nicia Palearum.	*Nizza della paglia.*	Civitas Ducalis.	Aquenſis.	1592 -- 1622
S. Salvator.	*S. Salvatore.*	Oppidum Regal.	Papienſis.	1620

Monaſterium Monialium,

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Ital.*	*Tit. Eccleſiæ.*	*Numerus Monial.*	*Annus fund. Loci.*
Caſalis.	*Caſale.*	S. Clara.	24. Chor. & 4. Converſæ.	Stricta.

Sigillum 

Cuſtodiæ.

CUSTODIA TRIDENTINA.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Italic.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Ala.	*Ala.*	Oppidum.	Tridentina.	1606
Arcus.	*Arco.*	Caſtrum.	Tridentina.	1585
Condinum.	*Condino.*	Pagus.	Tridentina.	1742
Maletum.	*Malè.*	Pagus.	Tridentina.	1742
Roboretum.	*Roveredo.*	Oppidum, Civit. nuncupata.	Tridentina.	1575
Tridentum.	*Trento.*	Civitas.	Sed. Ep. Prin.	1584

Sigillum *Crux inter duo brachia plantata cum nominibus Jesûs, & Marię à latere.* Cuſtodiæ.

CUSTODIA MELITENSIS.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vernaculum.*	*Qualitas Loci.*	*Diœceſis Loci.*	*Annus fund. Loci.*
Gotium, *ſeu Gaudiſium vel Gaudioſa.*	*Gozzo.*	Inſula.	Melitenſis.	1737
Valetta.	*Valetta.*	Civitas.	Sedes Epiſc.	1589
Victorioſa.	*Vittorioſa.*	Civitas.	Eadem.	1736

Hoſpitium.

Nomen Loci Latinum.	*Nomen Loci Vern.*	*Qualitas Loci.*
Sigevum.	*Sigevi.*	Pagus.

Sigillum *S. Bonaventura Cardinalis & Doctor Eccleſiæ.* Cuſtodiæ.

INDEX RERUM PRINCIPALIORUM,

Quæ in hoc Tomo tertio continentur.

A

Adeodatus Formoſa Archipr.

CEſſioni Eccleſiæ B. Mariæ Gratiarum in loco *Gozzo* aſſentitur *fol.* 305. quæ Conventui Fratrum unitur *ibi*, cum conditione, ut hic unicè à Reverendiſſimo P. Miniſtro Generali pro tempore dependeat *fol.* 306.

Æſerniæ

Legatum pium in reparationem Domûs, & Eccleſiæ convertitur, *fol.* 100. *col.* 1.

Agrigenti

Conventus Fratrum transfertur, *fol.* 160. *col.* 2. Situs ad Capitulum inibi ſpectans iis conceditur *ibi*. Prior quoad aquam conventio firmatur *ibi*. Sacra ſupellex ex Eccleſia auffertur, *fol.* 163. *col.* 2. & in reos &c. excommunicatio fertur *ibi*.

Albertus Princeps de Walſtain.

Vide Walſtain.

Alcami

Veteris Conventûs ſitus venditur, *fol.* 149. *col.* 1. nec non & alia petia terræ, aliàs pro fabrica empta, *fol.* 155. *col.* 1.

Alexani

Pro Fratrum horto terrenum ad menſam Epiſcopalem ſpectans alienatur, *fol.* 126. *col.* 1. & 2. ac in Eccleſia expenſis D. Lauræ ab Ajello Capella perficitur, *fol.* 127. *in nota*.

Fr. Alexander de Ales

In Angliam mittitur, *fol.* 248. redeuntis peracta negotia Romam perſcribuntur, *fol.* 249. quò perſonaliter vocatur *ibi*.

Alienatio

Bonorum, ſeu rerum Eccleſiæ ad favorem Conventuum vel fabricarum conceditur Averſæ *fol.* 18. *col.* 1. loci Montis fuſci *fol.* 32. *col.* 1. Surrenti *fol.* 34. *col.* 2. Foggiæ *fol.* 102. *in not.* Meſſapiæ, *fol* 124. *col.* 1. Alexani *fol.* 126. *col* 1. & 2. Agrigenti *fol.* 160. *col.* 2. Meſſinæ *fol.* 177. *col.* 2. Catiniani *fol.* 205. *col.* 1. Camplorum *fol.* 206. *col.* 2. Sulmonæ *fol.* 211. *in not.* &c.

Alphonſus Cardinalis de la Cueva

Vide Cueva.

Fr. Alphonſus à Sueſſa

Definitor Generalis, in Sæculo Canonicus Cathedralis, *fol.* 3.

Altare privilegiatum

Transfertur *fol.* 44. *col.* 1., *fol.* 101. *col.* 2., & *fol.* 188.

Amalphis

Eccleſiam Fratrum viſitare Epiſcopo prohibetur, *fol.* 25. *in nota*, ex qua Reliquias extrahi pariter vetitur, *fol.* 24. *col.* 1. quæ recenſentur, *ibi in nota*.

Amantheæ

Concordia circa fundationem Conventûs inita approbatur, *fol.* 79. *col.* 1. immutatur *fol.* 80. & firmatur *fol.* 81. *col.* 1.

Anathemata

Eccleſiæ vendi conceditur, *fol.* 22. *in nota*.

Andriæ

Pro acceleranda Conventûs fabrica materialia diebus feſtis apportari conceditur, *fol.* 107. *col.* 1.

Fr. Angelicus à Neapoli

Epiſcopus Tropeenſis *fol.* 4.

Fr. Angelicus Meſchiavina

Fundationem Monaſterii Monialium Capucinarum Caſalenſ. juvat, *fol.* 229.

Fr. Angelicus ab Uryco

Monaſterium Capucinarum Panormit. inſtituit, *fol.* 164. *in not.*

Fr. Angelus ab Enna

Profeſſionis nullitatem allegans ex ordine placidè dimittitur, *fol.* 203. *in not.*

Servi Dei Fr. Angeli ab Acrio

Vita compendiatur, *fol.* 95. *in nota*.

Fr. Angelus à Corleone

Algerium ad redimendos captivos ablegatur *fol.* 147. *col.* 2.

Anna Imperatrix

Sacras Reliquias Fr. Hyacintho à Caſali donat, *fol.* 242. eundemque litteris convenit *fol.* 243.

Annibali Bottaro

Suſcepto Presbyteratu artem Medicinæ in Conventu Fratrum exercere permittitur *fol.* 63. *col.* 2.

Fr. Anſelmus à Monopoli

S. R. E. Cardinalis, Provinciæ Barenſis decor *fol* 106. & Hydruntinæ *fol.* 115.

Fr. Anſelmus à Petra molaria

Definitor Generalis, *fol.* 3. Præfectus Fratrum in Claſſe Pontificia conſtituitur, *fol.* 15. *col.* 1. Cadaver Fr. Hieronymi à Piſtorio Caſertam transfert *ibi in nota*.

Antonia Oliva.

Vide Oliva Antonia.

S. Antonii Patavini

Proceſſio controverſa regulatur in loco Montis fuſci, *fol.* 32. *in nota*, in Civitate Theanenſi, *fol.* 37. *col.* 1. Roſſani *f.* 88. *in not.* Biſſiniani *fol.* 89. *col.* 1. Caſtroniti *fol.* 135. *col.* 2. Expoſitio ſtatuæ ejuſdem Sancti in Habitu Capucino approbatur, *fol.* 68. *col.* 2. in Civitate Thean. *fol.* 37. *col.* 1. Biſſiniani *fol.* 89. *col.* 1. Caſtroniti *fol.* 135. *col.* 2. quod quoad Metropolin Neapolitanam limitatur *fol.* 35. *col.* 1. Feſtum ejus die currente à Fratribus Terlitii celebratur, *fol.* 111. *c.* 2. Id ſolemniter celebrari PP. Reformatis prohibetur, *fol.* 71. *in not.* Sub titulo Sancti hujus (priore relicto) ædificatur Conventus *fol.* 38. *col.* 2. Capella *f.* 103. *col.* 2. ac mercatus inſtituitur *fol.* 69. *in nota*.

Antonius Manuel Magnus Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſter

Situm pro conſtructione novæ Domûs in loco Victorioſæ aſſignatum ratihabet *f.* 301.

Servus Dei Fr. Antonius ab Olivado

Miſſionarius Apoſtolicus, nundinas ſeu mercatum in honorem S. Antonii Patavini inſtituit *fol.* 69. virtus ejus commendatur *fol.* 61. & poſt mortem proceſſu Epiſcopali diſcutitur, *ibi*.

Fr. Antonius à Palatiolo

Definitor Generalis, dono prædicationis celebris, *fol.* 4.

Fr. Antonius Caraffa

Ex Ducibus Nojæ &c. virtute coruſcat *f.* 106.

R. P. Antonius Sottomajor Ord. Præd.

Vide Sottomajor.

Antoninus Cutajar

Fratribus hoſpitium cum eleemoſyna perpetua fundat *fol.* 306. conditiones præſcribit *fol.* 307.

Apoſtolicæ Litteræ.

Vide Litteræ Apoſtolicæ.

Aprutina Provincia

A Romana ſegregatur, *fol.* 204. contagium Fratres & Scripturas conſumit *ibi*, numerat Fratres ſanguinis nobilitate claros *ibi*.

Aquævivæ

Capucinellarum Conſervatorium ad Clauſuram reducitur, *fol.* 109. *col.* 2.

Aquilæ Conventui S. Michaelis

Pium Legatum relictum in fabricam convertitur, *fol.* 208. *col.* 2. ſicut & pretium petii terræ, *fol.* 210. *col.* 1.

Conventus S. Joſephi (*ibi*)

Suppreſſus reaſſumitur, *fol.* 213. in eo tres tantùm Sacerdotes cum duobus Clericis morari conceditur, *ibi in not.* & theſaurum quærere prohibetur *fol.* 215. *in not.*

Aragoniæ

Conventus Fratrum conſtruitur *fol.* 160. *c.* 1.

Fr. Archangelus Hiſpanus

Ex nobili Alarconiorum genere, Provinciam Cataloniæ fundat, *fol.* 4.

Fr. Archangelus à Meſſana

Ad Ducem Pernonæ à Summo Pontifice ablegatur, *fol.* 176. *col.* 2.

Aveani

Manſio Eccleſiæ pro hoſpitio Sæcularium accommodatur, *fol.* 216. *col.* 1. RR. Patribus Tertii Ordinis &c. hoſpitium ibi erigere inhibetur, *fol.* 217. *in nota*, concordia circa pium Legatum facta approbatur *ibi*.

Averſæ

Pro ampliatione Conventûs modium terræ ad Capellam S. Julianæ ſpectans donatur, *fol.* 18. *col.* 1. & 2.

Auguſtinus Mexia ſeu Meſcia

Vide Mexia Auguſtinus.

Fr. Auguſtinus à Mazarra Laicus

Fulget virtute *fol.* 143. & tribus defunctis vitam reſtituit *ibi*.

Aytonæ Marchioni Franciſco

Confuſam Religionis & Imperii cauſam Papa explicat, &, ut Fr. Hyacintho à Caſali à ſe ad Catholicum Regem deſuper miſſo ope ſua ſuffragetur, admonet, *fol.* 267. *col.* 2.

B

Balthaſar Peverellus

Inſignis Calviniſta, convertitur, *fol.* 248.

Balthaſari â Zuniga.

Vide Zuniga Balthaſar.

Bannitis

Aſylum præbentes Superiores locales taxatis ſubduntur pœnis, *fol.* 74. *c.* 2.

Barbara Mazzetti.

Vide Mazzetti Barbara.

Barenſis Provincia

Etiam S. Nicolai ob Sacra ejus Lipſana vocatur, *fol.* 106. In illius loco natus Fr. Anſelmus â Monopoli Cardinalis. *ibi*.

Barenſis Civitas

Conſervat cineres de igne, cui S. P. Franciſcus ſe injecit *fol.* 106. oſtendit locum, in quo

quo ex crumena exiit Serpens *ibi*, & in quo fluit aqua, à S. Patre excita *ibi*.

Barenſis Conventûs

Valetudinarium annnâ ſubminiſtratione conſervari ſancitur. *fol.* 113. *col.* 1.

P. Becani Martini Soc. Jeſu Cæſaris Confeſſarii.

Compertam jam aliàs virtutem Papa laudibus effert, ac, ut Fr. Hyacinthi à Caſali à ſe ablegati negotia conſociato conſilio adjuvet, hortatur, *fol.* 260. *col.* 2. *fol.* 261. *col.* 1. *fol.* 277. *c.* 1. & *fol.* 280. *c.* 1.

Fr. Benedictus â Maſſafra

Definitor Generalis, prudentiâ & zelo varia officia explet, & Ordinis commodis invigilat, *fol.* 116. *in not.*

Beneventano Conventui

Legatum pium relinquitur, *fol.* 39. c. 2. de quo facta tranſactio rejicitur. *ibi* & rejecta confirmatur, *fol.* 46.

Ven. Dei Servus Fr. Bernardus â Corleone Laicus.

Sydus Beatorum ab Eccleſia exſpectat *fol.* 143.

Fr. Bernardus â Neapoli

Ex genere Philamarinorum, ab officiis Ordinis eximitur *fol.* 61. *col.* 1. ex virtute laudatur *ibi in nota*.

Fr. Bernardini Aſtenſis

Memoria benedictionis renovatur, fol. 236.

Fr. Bernardinus â Balbano

Meſſanam ad prædicandam â Summo Pontifice mittitur, *fol.* 48. virtus ejus commendatur *ibi in nota*.

Bibliotheca

Ducis Palatini Romam transfertur, *fol.* 247. illi Fratrum S. Petri in Galatina 1600. libri legantur, *fol.* 133. *c.* 1.

Biſcaris

Conventus Fratrum conſtruitur *fol.* 200. c. 2.

Biſſiniani

A Fratribus Proceſſionem cum Statua S. Antonii in Habitu Capucino fieri variè deciditur, *fol.* 89. *c.* 2. Monaſterium Monialium â Principe fundatur, *fol.* 94. *c.* 2. qui puellas 13. â ſe nominati debere reſervat *ibi*. & in cujus Domo Serv. Dei Fr. Angelum ab Acrio morari conceditur, *fol.* 95. *c.* 1.

Bonati (*Terra*)

Circa Hoſpitium Fratres moleſtari inhibetur, *fol.* 54. *c.* 1.

Fr. Bonaventura ab Alexano

Miſſionarius Apoſtolicus, Regi Congi commendatur, *fol.* 131. *c.* 1. qui in Vinea Domini laborat cum fructu, *ibi in not.*

Fr. Bonaventura â Rhegio

Procurator Generalis, virtute & ſignis claret, *fol.* 61.

Fr. Bonaventura â Catanzario

Ex Marchionibus Cryptæ aureæ &c. Commiſſarii Generalis munus obit, *fol.* 61.

Bovini

Celebratio feſti S. Antonii &c. regulatur, *fol.* 105. *c.* 1.

Brontis

Conventus novus ex ære antiqui conſtruitur, *fol* 185. *c.* 1.

Brunduſii Conventus Fratrum.

Concordia ratione horti facta ratihabetur, *fol.* 128. *c.* 1.

Monaſterium Monialium (*ibi*)

Noviter conſtruitur â Maximiliano Bavariæ Duce, *fol.* 115. qui & varias in ejus Eccleſia Reliquias collocat, quas extrahi prohibetur, *fol.* 122. *c.* 1. & quæ ſpecificantur, *ibi in nota*. Ad Monaſterii favorem bonis Communitatis Debitricis cenſus imponitur, *fol.* 130. *in not.* Doteſ-

teſque Novitiarum realiter deponi jubetur. *ibi* Antiquum Monaſterium Seminario linqui ordinatur *fol.* 124. *in not.*

Bruno Marcus Antonius

Elemoſynam perpetuam Fratribus legat, *fol.* 101. quæ commutatur. *ibi*.

Bruxellis

Congregatio 40. Equitum Dominicæ Paſſionis inſtituitur, *fol.* 249. quæ approbatur *ibi*. fundatur & ibi Oratorium S. Philippi Nerii, *ibi*:

Burgii

Nova Fratrum Domus erigitur, *fol.* 153. *c.* 1.

C

Cadavera

IN Eccleſiis noſtris ſepeliri poſſe declaratur *fol.* 44. c. 2. functiones circa ea à Fratribus in Eccleſia peragi debere ſancitur, *fol.* 112. *c.* 2. & 113. *in nota*. Intorticia in via accenſa, Quartâ demptâ, ad Fratres pertinent, *fol.* 141. *col.* 1.

Cajetæ

Fabrica Conventûs ex lucro piſcationis diebus feſtis conceſſæ acceleratur, *fol.* 22. *c.* 1. & novus ſub titulo S. Antonii conſtruitur, *fol.* 38. c. 2.

Calaritanæ Provinciæ

Origo *fol.* 218. in ea Decreta Apoſtolica â Superioribus Ordinis executioni dari ſtatuitur *fol.* 219. *c.* 1. Diſcreti locales abrogantur fol. 220. *c.* 1. reſtituuntur *fol.* 224. *c.* 1. & denuo ſublati manent, *fol.* 226. *in not.* Provincia dividitur, *fol.* 221. *c.* 2. Confinia regulantur *fol.* 222. *in not.* Fratres in ea Sæculares ad Tertium Ordinem recipiunt. *fol.* 223. *col.* 1.

Calatagironis

Ex Eccleſia SS. Reliquias extrahi vetitur, *fol.* 197. *c.* 1. quæ recenſentur. *ibi in nota.*

Camplorum

Conventus conſtruitur, *fol.* 206. *c.* 2. & alienatio petii terræ approbatur. *ibi*.

Capitulum Provinciale

Ob illegitimum concurſum annullatur, *fol.* 66. *c.* 1. & aliud convocari jubetur. *ibi*.

Capuæ

Altare privilegiatum transfertur, *fol.* 44. *c.* 1.

Capucini

An â PP. Conventualibus, vel PP. Obſervantibus deſcendant, problematicè quæritur *fol.* 230. *in not.* In Rhætia in odium fidei vexantur. *fol.* 250.

Capurſi

Monaſterium ædificare, PP. S. Petri de Alcantara denegatur, *fol.* 114. *c.* 1.

Carolei

Fundatio Miſſionariorum Sacerdotum reprobatur, *fol.* 93. *c.* 2.

S. Carolus Borromæus

A Fr. Hyacintho â Caſali ſpeciatim colitur, *fol.* 254. Linteum, ſuper quo S. Archiepiſcopus mortuus eſt, huic donatur, *fol.* 242. *in not.*

Carolus VI. Imperator &c.

Mercatum in honorem S. Antonij Patavini inſtitutum ratihabet, *fol.* 69. Capellam ejuſdem Sancti in ſuam protectionem recipit, *fol.* 70. eamque privilegiis ornat. *ibi*.

Carolus, Infans Hiſpan. & utriuſque Siciliæ Rex

Mercatum dictum confirmat, *fol.* 70. & Capellam pariter dictam declarat Regiam *ibi*.

Carolus, Epiſcopus Wratislavienſis

Fr. Hyacinthum à Caſali ad ſe vocat *f.* 248. qui & eidem â Summo Pontifice commendatur, *fol.* 256. *col.* 2.

Carolus, Comes de Harrach.

Vide Harrach Carolus.

In Caſalenſi Civitate.

Conſervatorium S. Ioſephi fundatur, *f.* 254.

Caſalenſis Fratrum Conventus

Transfertur *fol.* 237. noviter dirutus venditur *fol.* 290. & in novæ fabricæ beneficium legatum commutatur *ibi in not.* ex hujus Eccleſia SS. Reliquias extrahi inhibetur, *fol.* 289. *col.* 1.

Caſalenſe Monialium Capucinarum Monaſterium

Fundatur *fol.* 238. *in nota*, ad idem informandum duæ Moniales Mediolanô mittuntur *ibi*.

Caſpar, Comes de Olivares.

Vide Olivares.

Caſtellanæ

RR. PP. Diſcalceatis ultra 4. milliaria quæſtuare prohibetut, *fol.* 112. *col.* 1.

Caſtellanetæ *ſeu Caſtroniti*

Ordo Proceſſionis S. Antonii regulatur *f.* 135. Impetentes Habitum Capucinum in Statua Sancti coercentur, *ibi in nota*.

Monialium Capucinarum Monaſterium (*ibi*)

Ex ære venditi veteris conſtruitur, *fol.* 134. *col.* 1. & Moniales 35. annorum ad officium Abbatiſſæ ad tempus concurrunt, *ibi col.* 2.

Caſtrovillarii

Conventus conſtruitur, *fol.* 85. *col.* 1. Fratres ibi circa feſtum S. Paſchalis turbari, inhibetur, *fol.* 86.

Caſtri Regalis

Conventus antiquus venditur, *fol.* 184. *c.* 2.

Caſtri Thermarum

Domus Fratrum conſtruitur, *fol.* 162. *col.* 1.

Caſtri veteris

Eccleſia Altari privilegiato perpetuo decoratur, *fol.* 62. *col.* 2. ex Ea vaſa, paramenta &c. extrahi prohibetur, *fol.* 66. *col.* 2.

Caſtri veterani

Ex Eccleſia extractio SS. Reliquiarum pariter vetitur, *fol.* 158. *col.* 1. quæ memorantur *ibi in not.*

S. Cataldi

Conventus conſtruitur, *fol.* 162. *col.* 2. & durante fabrica SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Hoſpitio aſſervatur, *fol.* 165. *col.* 1.

Cataloniæ

Provincia fundatur, *fol.* 4.

Catanæ

Altare privilegiatum transfertur *fol.* 188. *c.* 1. & antiquus Conventus cum jure adaquandi venditur, *fol.* 189. *in not.* petium terræ alienatur, *fol.* 191. & pretium Fratribus donatur, *ibi*.

Cathacii

Fratres à ſolvenda Quarta immunes declarantur, *fol.* 64. *col.* 1.

Catharina Cornoldi

Legatum pium Fratribus relinquit *fol.* 34. *col.* 2. ad quod ſolvendum hæredes obligantur *ibi*.

Cotiniani

Eccleſia S. Mariæ Fratribus pro nova Domo relinquitur, *fol.* 205.

Centurio (Joannes Baptiſta)

Libros ſuos legat Bibliothecæ Neapolitanæ, *fol.* 28. *col.* 1.

Cermigliani

Conventus Fratrum fundatur, *fol.* 215. *col.* 1.

Cetrarii

Hoſpitii erectio RR. PP. Minimis conceditur *fol.* 94. *col.* 1.

Claravallenſi

Conventui legatum prrpetuum ſolvi debere, non verò peti poſſe declaratur, *fol.* 67. *col.* 2.

Fr. Clemens à Neto

Miniſter Generalis, Summo Pontifici & Principibus charus, *fol.* 193. ſanat ægros *ibi.*

Concionatores Ordinis

Ab Epiſcopis non examinantur, *fol.* 186. *c.* 2.

Condini.

Conventus Fratrum conſtruitur, *fol.* 294. *c.* 2. oppoſitio & recurſus contra eum inutiles *ibi*.

Confeſſiones Monialium

Vide Monialium Confeſſiones.

Congregatio Equitum

Dominicæ Paſſionis inſtituitur, *fol.* 249. & approbatur *ibi*.

SS. Congregationum

Decreta aliquoties conſultiva, & non deciſiva ſunt, *Iſag. fol. xxiii.* vis legis iis attribuitur, *fol. xxviii. Vide Decreta.*

RR. PP. Conventualium.

Monaſteria Squinzani, & Roccæ Fratribus conſignantur, *fol.* 124. *& fol.* 183. *col.* 1.

Corati

Decreta circa funera aliàs edita ſervari, & functiones à Fratribus peragi mandatur *fol.* 112. *col.* 2.

Coriliani

Conventus Fratrum conſtruitur *fol.* 116. *c.* 1. & Eremitæ carceri ibi mancipantur, *f.* 118. *in not.*

Coriolani

E' Sacriſtia ſacram ſupellectilem diſtrahi prohibetur *fol.* 83. *col.* 1.

Corleonis.

NovaDomus erigitur *fol.* 156. *c.* 1. petium terræ Fratribus donatur *ibi*, & diſtantiam in ejus mutatione locum non habere declaratur *ibi*.

Corſo (Felicitas)

Cœnobium Tertiariarum Capucinarum fundat & inſtruit, *fol.* 145. *col.* 2.

Coſentinæ Provinciæ.

Elogium *fol.* 77. Laici Clericos in ea præcedere prohibentur, *fol.* 92. Bannitis aſylum dantes Superiores Locales taxatis pœnis ſubduntur, *fol.* 97. *col.* 2.

Coſentinus Fratrum Conventus.

In ejus Fccleſia Officia Defunctorum occaſione funeris à Clero Sæculari recitari non debuiſſe declaratur, *fol.* 91. *col.* 1. Situs antiqui Conventûs venditur, *fol.* 92. *in not.*

Coſentinum Monialium Monaſterium

Fundatur *fol.* 83. *in nota*, & Valetudinarium in eo conſtruitur, *fol.* 82. *col.* 2.

Cotronii

Fratribus Oleum Sacrum ab Epiſcopo dari mandatur, *fol.* 65. *col.* 1.

Cryptaliarum

In terra Conventum conſtruere, PP. Reformatis prohibetur, *fol.* 118. *col.* 1. *& in nota.*

De la Cueva (Alphonſo Cardinali)

Præſtantes Fr. Hyacinthi à Caſali Dotes Papa denuntiat, & illius conſilio hunc juvari poſcit, *fol.* 282. *col.* 1.

Cutajar (Antoninus.)

Vide Antoninus Cutajar.

Cutri

Feſtum S. Crucis à Noſtratibus eodem cum RR. PP. Reformatis die celebrari indulgetur, *fol.* 72. *col.* 1.

D

Decreti

Rigoroſè ſumpti definitio, *Iſag. fol. xxii.* Origo Decretorum, *fol. xxiii.* Diviſio *fol. xxiv.* & effectus, *fol. xxvi.* Decreta SS. Congregationum aliquando conſultiva, & non deciſiva ſunt, *fol. xxiii.* talia tamen ſi ſint, vis legis iis attribuitur, *fol. xxviii.* non tamen fidem merentur, ſi legitimè non ſint ſubſcripta *ibi*, fide autem digniſſima ſunt Decreta, ſeu Reſolutiones Sac. Congregationis Concilii, annuatim in Alma Urbe impreſſæ, *fol. xxix.* præſertim cum ex ipſo typo promulgatæ cenſeantur, *ibi.* Decretorum executio alia eſt ſpontanea, & alia coacta, *fol. xxx.* utramque ſiſtit appellatio *ibi.* Executor eorum eſt ille ipſe, qui ea relaxavit, aut cui ille executionem committit, *fol. xxxi.* In cauſis civilibus datur aliquorum dierum terminus, *ibi*, qui poteſt prorogari aut reſtringi, *ibi*, incepta tamen debet continuari, *ibi.*

De Dietrickſtein (Franciſci Cardinalis)

Zelum conſtantem pro Eccleſia Dei Summus Pontifex laudat, *fol.* 263. *c.* 1. & *fol.* 285. *col.* 1. Ejuſdem Officiis Fr. Hyacinthum à Caſali commendat, *loc. cit.*

Diſcreti Locales

Abrogantur, *fol.* 220. *col.* 1. reſtituuntur, *fol.* 224. denuo ſublati manent, *fol.* 226. *in nota.*

Diſtantia

In mutatione Conventuum jam erectorum non attenditur, *fol.* 156. *in not.*

Dominicus Merlo

Vide Merlo Dominicus.

Dominiĕtis (Marcus Antonius)

Legatum pium Fratribus Aveani relinquit, *fol.* 217. *in not.* quod commutatur, *ibi.*

Sor. Domitilla Galuccia.

Vide Galuccia Domitilla.

Dotes

Aliàs relictæ pro puellis nubendis in depauperati Fratris commodum commutantur, *fol.* 29. *col.* 1. ad eas nominandi jus Fratribus an conveniat, quæritur, *fol.* 42.

Dotes Monialium

Effectivè deponi jubetur, *fol.* 130. *in nota.*

Drepani

Ex Eccleſia Fratrum extractio SS. Reliquiarum inhibetur, *fol.* 157. *col.* 1. quæ recenſentur, *ibi in nota.*

E

De Ecchenberg (Joannem Oldericum Principem)

Ut virtutis ſuæ famam novis meritis cumulet, & Fr. Hyacinthum à Caſali in ſuæ Legationis negotiis adjuvet, hortatur. *fol.* 259. *col.* 1. & *fol.* 281. *col.* 1.

Electoribus tribus Eccleſiaſticis S. R. I. Principibus

Sollicitudinem ſuam pro aſſerenda Germaniæ dignitate Papa exponit, &, ut ablegati à ſe Fr. Hyacinthi à Caſali negotiationi ſua ſtudia uniant, cupit, *fol.* 255. *col.* 1. & *fol.* 285. *col.* 2.

Elemoſynæ

Fratribus dandæ obligatio, à Fundatoribus Conventuum in ſe ſuſcepta reprobatur. *fol.* 166. *col.* 1. & *fol.* 192.

Eleonoram Imperatricem

Ut publicæ Imperii & Religionis cauſæ opituletur, & negotia Fr. Hyacinthi à Caſali

Cæſa-

Cæſarea auctoritate ſecundet, ſummus Pontifex rogat. *fol.* 280. *col.* 1. & *fol.* 286.

Emanuel Pinto Magnus Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſter.

Fratribus Infirmis loci Victorioſæ ex Infirmaria & Aromataria Magni Hoſpitalis haud aliter, ac Fratribus Vallettæ provideri mandat. *fol.* 303. & *ſeq.*

Fr. Emanuel à Neapoli.

Definitor Generalis, populum ad pœnitentiam commovet *fol.* 4.

Engii.

Conventus Fratrum conſtruitur *fol.* 189. *col.* 1.

Epiſcopi.

Eccleſiam Fratrum viſitare non poſſunt *fol* 25. *in not.* Nec SS. Sacramentum in ea reſervatum *fol.* 212. *col.* 1. Nec Conventum *fol.* 127. *col.* 1. Fratribus Oleum Sacrum dare jubentur *fol.* 65. *col.* 1. QuartamCanonicam ex pio legato non debent prætendere *fol.* 37. *col.* 1. & *fol.* 93. *c.* 1. Nullitatem Profeſſionum Regularium recognoſcere non poſſunt *fol.* 166. & recognita reprobatur *fol.* 172. Concionatores Ordinis non examinant *fol.* 186. *col.* 2.

Equitum

Congregatio Dominicæ Paſſionis inſtituitur, *fol.* 249. & approbatur *ibi.*

Eremitæ

Aut Religionem approbatam ingredi, aut Habitum deponere jubentur *fol.* 41. *col.* 2. carceri eorum aliqui mancipantur *fol.* 118. *in not.*

Eſernia.

Vide Æſernia.

Fr. Euſebius ab Ancona.

Vic. Generalis, Con. Tridentini Theologus *fol.* 115.

Euſtachius Sterlick

Vide Sterlick Euſtachius.

Excommunicatus

Reſcripta Pontificia (extra caſus juris) obtinere nequit. *Iſag. fol.* VI.

F

Ad Fabricam

Conventûs accelerandam, etiam diebus feſtis, laborari conceditur *fol.* 107. *c.* 1.

Felicitas Corſo.

Vide Corſo Felicitas.

Fr. Felix Caraffa.

Ex Ducibus Nojæ &c. zelo prædicationis virtutem ſuam adauget *fol.* 106.

Fr. Felix à Caſali.

Ex Familia Falzona, conſilium de conſtruendo Monialium Capucinarum Cœnobio promovet *fol.* 229. *in nota.*

Ferdinandus II. Imperator.

Fr. Urbanum à Politio, ſuum Concionatorem Viennæ firmari petit *fol.* 148. *in not.* Fr. Hyacintho à Caſali Jani feſta felicia reapprecatur *fol.* 251. qui & Eidem Imperatori à ſummo Pontifice impensè commendatur *fol.* 279. *col.* 2. *fol.* 286. *c.* 1.

Ferdinandus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis.

Mortem Fr. Hyacinthi à Caſali luget *fol.* 253. ipſi à ſummo Pontifice prius commendati *fol.* 255. *col.* 1. *fol.* 272. *c.* 2. *fol.* 275. *col.* 1. *fol.* 283. *col.* 1. & *fol.* 285. *c.* 2.

Ferdinandus Carolus, Dux Mantuæ &c.

ProvinciamMantuanam erigi impetrat *fol.* 291. *col.* 1. Litteris Apoſtolicis executioni non datis *fol.* 292. *in nota.*

Ferdinandus Franciſcus Gravina, Princeps Palagoniæ.

Conventum Fratrum in loco Pedemontis fundat *fol.* 191. *c.* 2. ac in loco Francifontis *fol.* 200.

Feriolus [Joannes]

Caſtanetum Fratribus legat *fol.* 63. *col.* 1.

Ferrandinæ

Præcedentia controverſa Fratribus adjudicatur *fol.* 53. *col.* 1. & confirmatur *fol.* 54. *in not.*

Flumariæ

Valetudinario Fratrum partem inſtrumentorum &c. conſignari jubetur, *fol.* 75. *c.* 1.

Foggię

Altare Privilegiatum transfertur *fol.* 101. *col.* 2. Petium terræ ad Capitulum Collegiatum ſpectans pro Valetudinario Fratrum commutatur *fol.* 101. *in not.*

Formoſa (Adeodatus.)

Vide Adeodatus Formoſa.

Formula

Qua Conventus ſuppreſſus reſtituitur *fol.* 214. *in not.*

In Fractarum Terra

Fratres Itinerantes in Oratorio celebrant *fol.* 38. *col.* 2.

Francifontis

Conventus conſtruitur *fol.* 200. *col.* 1.

S. P. Franciſcus

Sanctuarium Montis Gargani inviſit *fol.* 99. Signum Tav lapidi imprimit. *ibi.* cineres de igne, cui ſe injecit, devotè conſervantur *fol.* 106. è crumena pecuniarum, ejus nutu ſerpens exit *ibi*. ex ſicca terra aquam excit *ibi*, peculiariter colitur *fol.* 254.

Franciſcus Cardinalis de Dietrichſtein.

Vide Dietrichſtein.

Franciſcus Morſo, Princeps Podii Realis

Conventum Fratrum ibi conſtruit *fol.* 162.

Franciſcus, Marchio Aytonæ

Vide Aytonæ Marchio.

Fr. Franciſcus Antonius à Monte Leone

Ex Marchionibus Amati, Vicariatum Generalem Eccleſiæ Cathedralis abdicat *f.* 61.

Fr. Franciſci à Benevento

Electionem in Definitorem Generalem, Benedictus PP. XIII. acceptam habet *fol.* 4.

Fr. Franciſcus Maria Caracciolus

Ex Marchionibus Miſuracæ, ſanguinis genus virtute ornat *fol.* 77.

Fr. Maria à Sacca

Ducalem regiumque ortum, Sacco Capucino commutat *fol.* 143.

Franciſcus Milardus

In Subſidium Fratrum Infirmorum teſtatur *fol.* 75. *col.* 1.

Fr. Franciſcus à Neapoli

Primogenitus Severinæ Familiæ, Definitoratûs Generalis officio zelanter fungitur *fol.* 3. & 4.

Fr. Franciſcus à Paula Spinellus

Ex Marchionibus Fuſcaldi &c. virtute coruſcat *fol.* 77.

Fr.

Fr. Franciſcus à Soleto

Theologus Concilii Tridentini *fol.* 115. Definitor Generalis, & Bibliothecæ Pontificiæ Cuſtos *fol.* 116.

Fr. Franciſcus à Vetro

Ornat Eccleſiam Fratrum Vetri pluribus Sanctorum Reliquiis, & Rempublicam litterariam libris *fol.* 48. genere, virtute & officiis clarus *ibi.*

Fridericus V. Elector Palatinus.

In Eccleſiam Catholicam uſurpato Bohemiæ Regno debacchatur, *fol.* 245. exauctoratur *ibi & ſeq.*

Fridericus ab Hochenzolleren.

Vide Hochenzolleren.

Fridericus Metius Epiſcopus.

Vide Metius Fridericus.

G

Galatina S. Petri

Conventûs Bibliothecæ libri donantur, *fol.* 133. *col.* 1.

Galatulæ

Nova Domus conſtruitur *fol.* 119. *col.* 1.

Gallipoli

Domus pro Fratrum Valetudinario conceditur *fol.* 137. *c.* 1.

Sor. Galluccia Domitilla Capucina

Stigmata D. N. J. C. in corpore ſuo portat *fol.* 230. pietas ejus à Principibus æſtimatur, & ſignis coruſcat *ibi.*

Gaudioſa

Vide infra Gotium.

S. Gavini Mart.

Sanguinem ex Eccleſia Fratrum Nulvi extrahi prohibetur *fol.* 229. *col.* 1.

S. Germani

Conventus jus nominandi puellas negligit *fol.* 40. *col.* 1.

Fr. Geſualdus à Panormo

Ex Marchionibus Roccæ blancæ, zelo, virtute & pietate fulget, *fol.* 142. ejuſque lingua poſt plures annos incorrupta. *ibi.*

Fr. Geſualdus à Panormo

Ex Ducibus de Bononiis &c. variis officiis fungitur *fol.* 143. & plures libros Typis vulgat *ibi.*

Fr. Geſualdus à Panormo

Ex Marchionibus Madoniæ; & aſpri Montis &c. Provinciam Panormitanam decorat, *fol.* 144.

Godefrido Epiſcopo Herbipolenſi

Gliſcentia Germaniæ pericula Papa explicat, & ab eo in ſubſidium, conſilia & opem ſuam, Fr. Hyacinthi à Caſali negotiationi Apoſtolicæ conſociari poſcit, *f.* 265. *col.* 1. & *fol.* 274. *col.* 1.

Gotii

Nova Fratrum Domus conſtruitur, *fol.* 304. pro qua Eccleſia S. Mariæ Gratiarum donatur, *fol.* 305. conditione adjectâ, ut dicta Domus unicè à P. Miniſtro Generali pro tempore dependeat *ibi.*

Gregorius PP. XV.

Ducem Palatinum Electorali dignitate privari, *fol.* 245. hanc in Maximilianum Bavariæ Ducem transferri laborat *ibi*, & negotium Viennæ confectum à Fr. Hyacintho à Caſali reſcit, *fol.* 246.

Fr.

Fr. Gregorius ab Alexano *ſeu Caſtriniano*

Miſſionarius Apoſtolicus impigrè laborat, & piè moritur, *fol.* 131. *in nota*.

Guglimaii

Conventus Fratrum conſtruitur, *fol.* 103. *col.* 1.

H

Habela [Joſephus]

Situm pro Conventu Fratrum Civitatis Victorioſæ donat, *fol.* 302. hunc ſub invocatione S.Barbaræ Virg. & M. conſtrui (præter alias conditiones) præſcribit, *ibi*, & in ejus Eccleſia ſepulturam pro ſe & ſua Familia reſervat, *fol.* 303.

Hæreticus

Reſcripta Pontificia impetrare nequit, *Iſag. fol. vi.* cauſa excommunicationis, & appellationis exceptâ *ibi*.

De Harrach [Erneſto Alberto Cardinali]

Eccleſiam in Bohemia officiis Fr. Hyacinthi à Caſali plurimùm juvari poſſe Papæ ſignificat, & ideo hujus labores auctoritate ſua muniri poſcit, *fol.* 285. *c.* 2.

De Harrach [Comiti Carolo]

Cæſareâ Benevolentiâ florenti, & pollenti idem Fr. Hyacinthus ab eodem Pontifice commendatur, *fol.* 259. *col.* 2., & *fol.* 260.

Herbipolenſis Epiſcopus.

Vide Godefridus.

Hicarii *ſeu Hironis*

Conventus Fratrum conſtruitur, *fol.* 190. *col.* 1.

Fr. Hieronymus à Corleone Laicus

Dono prophetiæ & ſignorum clareſcit, *f.* 143.

Brachium ejus furtivâ devotione ablatum reſtituitur, *ibi*.

Fr. Hieronymus à Panormo

Definitor Generalis, doctrinâ, & ſanctæ vitæ opinione excellit, *fol.* 143.

Fr. Hieronymi à Piſtojâ

Cadaver ab Inſula Cretæ Caſertam transfertur *fol. in not.*

Fr. Hieronymus à Politio

Miniſter Generalis, Regulam S. Patris Franciſci commentatur *fol.* 172.

Fr. Hieronymus à Sorbo

Miniſter Generalis, privilegia Ordinum Mendicantium compendiat, *fol.* 3.

Fr. Hilarion à Feroleto

Ex Provincialis, Librum Calabriæ illuſtratæ ad Typum promovet *fol.* 61.

De Hochenzolleren [Friderico Cardinali]

Palatino Duci, Electorali ſuffragio privato, Catholicum Principem ſubſtitui Papa inculcat, &, ut Fr. Hyacinthum à Caſali deſuper benignè audiat, monet *fol.* 263.

De Hochenzolleren [Joan. Georgio Comiti]

Eandem cauſam pro præſidio, & eundem Fr. Hyacinthum pro benigno auditu idem commendat *fol.* 263. *col.* 2.

Fr. Honorius à Panormo

Primogenitus Principis Palagoniæ &c. mundo valedicit *fol.* 144.

Hugo Cardinalis de Verdale, Magnus Magiſter Ordinis Equeſtris S. Joannis

Melitæ Fratrum Conventum fundat *fol.* 299.

Fr.

Fr. Hyacinthus à Caſali

Naſcitur *fol.* 241. Ordinem noſtrum ingreditur *ibi.* tempore Novitiatûs infirmatur *fol.* 242. qui ideo ad alium annum protrahitur *ibi.* Prædicationis officium Diaconus Venetiis incipit *ibi.* ubi cauſam Sanctæ Sedis propugnat *ibi.* & è Statu Veneto exire jubetur. *ibi.* mittitur à Papa in Germaniam *ibi.* Viennæ diſſidia Aulæ Cæſareæ componit *ibi.* Moniali contumaci Januæ infauſtum vitæ finem prædicit *ibi.* A Senatu Mediolanenſi inſignes Reliquias recipit *ibi.* Theologus Cardinalis Madrutii in Germaniam regreditur *ibi.* ubi libertatem Religionis impugnat *ibi.* & fœdus inter Principes Catholicos iniri ſuadet *ibi.* Intuitu meritorum ejus Conventus Ratisbonæ conſtruitur *ibi.* & variæ Reliquiæ ei donantur *ibi.* contra æmulos, & inimicos modeſtè agit *ibi.* Romæ redux benignè recipitur *ibi.* conſignat Papæ Litteras Archiepiſcopi & Electoris Moguntini *fol.* 240. & *fol.* 243. Concionatur cum fructu *ibi.* Dœmoni inviſo *ibi.* Redit & Venetias ad concionandum, & Brixiam *ibi.* ac ad patriam, cui dura prædicit *ibi.* Turrichii agmen ovium eum concionantem audit *ibi.* Vicentiæ diſſidentes unit *ibi.* Placentiæ ad eum audiendum populus turmatim confluit *ibi.* mira ibi operatur *fol.* 244. Mediolani Monaſterium Monialium reformat *ibi.* Lites componit *ibi.* Conſtantinopolim, & in Angliam pro fide mitti inſtat *ibi.* In Tuſcia ſanat, & ſigna renovat *ibi.* De hauſto Bononiæ prædicationis fructu Cardinalis Ludoviſius ei gratulatur *ibi.* Lucæ balneis utens ab exteris inviſitur *ibi.* In patria contra vitia tonat *ibi.* Cremonæ ſanat, obſeſſam loqui jubet, diſſidentes Matronas conciliat, & Populum reformat *ibi.* à Papa ob negotia Friderici Ducis Palatini in Germaniam ablegatur *fol.* 245. variis Principibus ab eo commendatur à *fol.* 255. uſque ad *fol.* 266. De Maximiliano Bavariæ Duce in Electorem ſubſtituendo cum Imperatore Viennæ agit *fol.* 245. & feliciter id concluſum eſſe, Papæ renuntiat *fol.* 246. Heidelbergæ novitatem publicat *fol.* 247. ſecedit Madritum *ibi.* Hiſpaniæ Proceribus commendatus à *fol.* 266. uſque ad *fol.* 270. technas Anglicas Regiæ Aulæ patefacit *ibi.* benignè à Miniſtris & Rege auditur *ibi.* ad cujus inſtantias concionatur *ibi*. Sicut & Barcinonæ *fol.* 248. Viennæ Peverellum ſanat, & à Calviniſmo convertit *ibi.* Vocatur Niſſam ab Epiſcopo & Archiduce Auſtriæ *ibi.* Ratisbonæ in conſpectu Cæſaris &c. Verbum Dei diſſeminat *ibi.* cujus gratiæ Cardinalem Kleſſelium reſtituit *ibi*. Recipit Litteras à Rege Chriſtianiſſimo *ibi.* Socium in Angliam mittit *ibi.* Ab Urbano PP. VIII. in Legatione confirmatur *ibi.* & variis Principibus commendatur à *fol.* 277. uſque ad *fol.* 283. Licentia ante diluculum &c. celebrandi ei conceditur *fol.* 278. Bruxellis Congregationem 40. Equitum inſtituit *fol.* 249. & Oratorium S. Philippi Nerii fundari curat *ibi.* Pariſios pergit *fol.* 250. ubi Regi piè conſulit *ibi.* qui & clavem Sacelli Regii pro extrahendis ex eo SS. Reliquiis ei conſignat *ibi.* De Valle Tellina cum Archiduce Leopoldo per Litteras agit *ibi.* Reducem Roma cum plauſu excipit *ibi.* ubi varias de Principibus recipit Litteras *fol.* 251. à Regio Sveciæ & Poloniæ Principe inviſitur *ibi.* cauſas Sanctorum Ordinis promovet *ibi.* & anno jubilæo concionatur *ibi.* à Rege Sveciæ mediationem pacis ſuſcipi urget *ibi.* circa quam difficultates obiiciuntur *fol.* 252. Neapoli Montem Agonizantium erigit *ibi.* ejus reditum Civitas poſtulat *ibi.* In Germaniam denuo cum privilegiis Miſſionariorum ablegatur *ibi.* commendatus à Papa variis Proceribus *ibi.* De illius regreſſu Archidux Leopoldus gratulatur *ibi.* Romam ſe non rediturum prædicit *fol.* 253. in ſuo Januæ tranſitu Fratrem laicum ſanat, & Italiæ calamitates prædicit *ibi.* Parmæ de pulpito dicens infirmatur *ibi.* ad Patriam tranſportatur *ibi.* & inibi ad Oratorium S. Philippi Nerii *ibi.* Nuntium mortis lætus accipit *ibi.* & hanc piè oppetit *ibi.* Animam ejus in gloria duæ Moniales vident *ibi.* ad illius cadaver confluit Populus *ibi.* pro cujus devotione tres Habitus diſſecantur *ibi.* Jacet in Eccleſia Fratrum noſtrorum ab Oratorio tranſlatum *ibi.* Illius Epitaphium *ibi.* Principes ejus mortem lugent *ibi.* Virtus ejus in humilitate & paupertate fuit fundata *fol.* 254. Oratione & labore conſervata *ibi.* & charitate coronata *ibi.* Peculiari devotione proſecutus eſt B. V. Mariam, alioſque Sanctos *ibi.* in honorem S. Joſephi Conſervatorium fundari curavit *ibi.* SS. Reliquias Eccleſiæ Monialium Capucinarum in Civitate Caſalenſi donavit *fol.* 239. & Eccleſiæ Oratorii ibidem *fol.* 242. Libri ab eo impreſſi, & ſcripta relicta recenſentur *ibi.* Plures Auctores ejus virtutem commendant *fol.* 255. &

Sa-

Sacrum illius cultum Civitas Caſalenſis poſcit *ibi.*

Fr. Hyacinthus à Panormo

Primogenitus Principis Soriæ &c. noſtris adſcribitur *fol.* 144.

Hydruntina Provincia

Claret Alumnis Nobilibus *fol.* 115. gloriatur ex ortu Ven. Dei Servi Laurentii à Brunduſio, & contubernio Fr. Anſelmi à Monopoli, S. R. E. Cardinalis *ibi.*

I

Jacobus Archiepiſcopus Mechlinienſis

Congregationem Equitum Dominicæ Paſſionis approbat *fol.* 249.

Fr. Jacobus â Melficto

Raguſam ad prædicandum â Papa mittitur, *fol.* 107. ubi thiaram Epiſcopalem recuſat. *ibi in nota*. Plures libros typis evulgat *ibi*. Statua in ejus honorem poſt mortem erigitur, *ibi*.

Fr. Jacobus â Suberato

Definitor Generalis, gratiâ extaſum & gloriâ ſignorum conſpicuus, *fol.* 61.

Icones

Ex Conventu Monopolit. extrahi inhibetur, *fol.* 108. *c.* 1.

Ven. Dei Servus Fr. Jeremias â Vallachia Laicus

Altaris honores exſpectat. *fol.* 1.

Fr. Illuminatus â Panormo

Definitor Generalis, Canonicatum cum Laurea Doctoratus abdicat, *fol.* 143. & doctrina fulget, *ibi*.

Indulgentiarum

Viæ Crucis Summarium, *fol.* 233.

Infantado (Ducem)

Ut ſuam, ſuorumque Majorum gloriam prompto juvandæ Germaniæ ſtudio adaugeat, & accedentem ad ſe Fr. Hyacinthum â Caſali benignè audiat, Pontifex hortatur, *fol.* 269. *col.* 2.

Infirmaria

Barenſis annuâ ſubminiſtratione conſervatur, *fol.* 117. Panormitana Clauſura declaratur, *fol. ibi col.* & concordia novæ & antiquæ Meſſanenſis approbatur, *fol.* 180. *col.* 1.

Fr. Innocentius â Calatagirone

Miniſter Generalis, ad Regem Galliæ â Papa ablegatur, *fol.* 195. *col.* 1. *&* 2. qui & commendatur Reginæ Chriſtianiſſimæ, *ibi* Duci Aurelianenſi *ibi*, ac Cardinali Mazzarino *ibi*. SS. Reliquias in Eccleſia Conventûs patrii collocat, *fol.* 197. *in nota*, quæ recenſentur, *ibi*, illius vita compendiatur, *fol.* 196. & cadaver incorruptum reperitur *ibi*.

Intorticia

In via occaſione funeris accenſa, Fratribus (Quartâ demptâ) debentur, *fol.* 141. *col.* 1.

Fr. Joannes Alerconius.

Provinciam Valentiæ fundat, *fol.* 4.

Joan. Baptiſta Centurio.

Vide *Centurio Joan. Baptiſta*.

Fr. Joannes Bonaventura Ciampolillo

Legatum pium pro puellis dotandis ante Religionis ingreſſum relinquit, *fol.* 29. *col.* 1. quod in commodum Fratris commutatur, *ibi*.

Fr. Joannes â Cropano

Calabriæ Illuſtratæ Auctor, *fol.* 61.

Joannes Feriolus.

Vide *Feriolus*.

S. Joan-

S. Joannes de Flore (*Abbatia.*)

Proceſſio in feſto Immaculatæ Conceptionis regulatur, *fol.* 93. *col.* 1.

Fr. Joannes Franciſcus à Tridento.

Ex Comitibus Lodronii, fit ex Tribuno Equitum, Eques S. Jacobi, ex Equite, Orator Cæſareus, ex Oratore Capucinus, *fol.* 293.

Joannes Georgius Comes ab Hochenzolleren.

Vide Hochenzolleren.

Fr. Joannes Maria à Neto

Miniſter Generalis, dono prædicationis & curationum inſignis, *fol.* 193.

Fr. Joannes Maria à Tiſa

Miniſter Generalis, divini Amoris ſcintillas extra ſe vibrat, *fol.* 175. reſpuit Cardinalatum *ibi*, virtutem ejus Deus ſignis colluſtrat *ibi*.

Joannes de Montibus Marchio

Conventum Fratrum Coriliani fundat *f.* 116. *col.* 1.

Joannes Oldericus Princeps de Egghenberg

Vide Eccbenberg.

Joannes Suicardus, Archiepiſcopus &c.

Vide Suicardus.

Joannes de Tilly, Comes.

Vide Tilly.

Fr. Joannes à Ventimilia

Concilii Tridentini Theologus, *fol.* 115.

Fr. Joſephus à Camerata

Signis & donis fulget, *fol.* 142.

Joſephus Capellus

Capellam pro Fratrum hoſpitantium commodo erigit, *fol.* 30. *col.* 1.

Joſephus Coppa

Conſervatorium pro puellis orphanis fundat, *fol.* 254.

Joſephus Habela.

Vide Habela Joſephus.

Fr. Joſephus ab Ica

In Miniſterio Provincialatûs confirmatur, etiamſi inter nominatos non eſſet *f.* 159. *col.* 1.

Fr. Joſephus à Tremblay

Aulæ Regiæ Chriſtianiſſimæ Polus, *fol.* 250.

Joſephus Villafrancæ Princeps

Conventum fundat, *fol.* 165. *col.* 2. in cujus Eccleſia ſepultura pro Familia conceditur *ibi*.

Iſabellæ Archi-Duciſſæ &c. Infanti &c.

Religionis, & Germaniæ tumultuantis tutelam commendat, ac, ut Fr. Hyacinthum à Caſali in ſuæ legationis cauſa amanter adjuvet, poſtulat, *fol.* 270. *col.* 2., & *fol.* 278. *col.* 2.

Itri

Eccleſiæ Fratrum Cadaver reſtitui jubetur, *fol.* 44. *col.* 2.

Julio Cardinali Mazzarino

Fr. Innocentius à Calatagirone à Papa commendatur, *fol.* 196. *col.* 1.

Julia Roera

Monaſterium Monialium Capucinarum fundat *fol.* 235. *in nota*, in quo & Ordinis Habitum ſuſcipit, *fol.* 239.

K

Kleſſelius [Melchior Card.]

E Carcere liberatur, & Cæſaris gratiæ operâ Fr. Hyacinthi à Caſali reſtituitur, *fol.* 248.

L

Laicos

CLerici Ordinis præcedere debent *fol.* 92. *col.* 1.

Latinitatis

Error craſſus vitiat Reſcripta, *Iſag. f. xix.*

Laura ab Ajello

Capellam in Eccleſia Fratrum Alexani conſtruit, *fol.* 127. *in not.*

Ven. Dei Servi, Fr. Laurentii à Brunduſio

Suaſu, Monaſterium Monialium Capucinarum Brunduſii noviter conſtruitur *fol.* 115. ubi crux ejus lignea &c. religiosè aſſervatur, *fol.* 123.

Fr. Laurentii à Matera

Manuſcripta in Bibliotheca Materæ conſervari jubetur *fol.* 132. *col.* 2. ejuſque virtus commendatur *fol.* 133. *in not.*

Legata pia

Commutantur in beneficium fabricæ *fol.* 27. *in not. fol.* 290. *in nota*. ac neceſſitates Provinciæ *fol.* 132. *col.* 1. vel Conven- ventuum *fol.* 217. *in not* & *fol.* 100. *col.* 1. nec non in commodum Fratris, & hæredis in paupertatem redacti *fol.* 29. *col.* 1. à Fratribus noſtris recipi poſſe declaratur *fol.* 43. & *fol.* 67. *col.* 2. Quarta de pio legato ab Epiſcopo non poteſt prætendi *fol.* 37. & *fol.* 93. *col.* 1. Executio, ſeu ſolutio legatorum piorum perpetuorum hæredibus præcipitur *fol.* 52. *col.* 2. & *fol.* 39. *col.* 2. concordia deſuper facta approbatur *fol.* 217. *in nota*. alia reiicitur *fol.* 39. *col.* 2. *& paſſim.*

Fr. Leo à Sotera

Ex-Provincialis fundationem Monaſterii Monialium Capucinarum coadjuvat *fol.* 164. *in not.*

Leonardus Antonius Roſcioli

Vide Roſcioli.

Leopoldus, Archidux Auſtr. &c.

Fr. Hyacinthum à Caſali de miſeriis temporis informat *fol.* 247. & *fol.* 251. hunc peculiari affectu proſequitur *ibi.* Romæ in cella inviſit *fol.* 287. *col.* 1. qui & ei à Papa commendatur *fol.* 256. *col.* 1. & *fol.* 287. *col.* 1. de reditu ejus in Germaniam gratulatur *fol.* 252.

Licienſis Fratrum Conventus

Annuo canone, horto annexo liberatur *fol.* 128. *col.* 2.

Licienſi Monialium Monaſterio.

Domum vendendi, & aliam emendi facultas datur *fol.* 137. *col.* 2.

Lipari

Conventus Fratrum noſtrorum RR. PP. Obſervantibus cum ſuppellectile &c. ceditur *fol.* 176. *col.* 1.

Litteræ Apoſtolicæ

Ex abraſione redduntur falſæ *Iſag. fol.* XXI.

Lothario Archiepiſcopo & Electori Trevirenſi

Gliſcentia Germanæ Religionis pericula Papa proponit *fol.* 255. *col.* 1. Duci Palatino jus Electoratûs adimi conſulit *fol.* 273. *c.* 1. ac Fr. Hyacinthum â Caſali ſuo patrocinio foveri inſtat *fol.* 282. *col.* 2.

Lucaniæ Provincia

Tenet Crucem Virtute celebrem *fol.* 42. & SS. Reliquias inſignes *ibi*. Situm quorumdam locorum alienandi facultatem obtinet *fol.* 51. *col.* 1. nova methodus gubernii ei præſcribitur & approbatur *fol.* 57.

Ludovicus, Rex Chriſtianiſſimus

Fr. Valerianum Magnum peramanter recipit *fol.* 248. à Fr. Hyacintho à Caſali conſilia ſalutis excipit *ibi.* & ei clavem Regii Sanctuarii pro extrahendis Reliquiis tradit *fol.* 250.

Fr. Ludovicus â Juvenacio

Definitor Generalis creditur *fol.* 106. virtute & ſignis potens *ibi.*

Lutii

Controverſia circa Feſtivitatem S. Paſchalis regulatur *fol.* 97. *col.* 1.

Lycium.

Vide Licien.

M

Magdalonii

NOva Fratrum Domus conſtruitur *f.* 38. *col.* 1.

Maleti

Controverſia circa novam Fratrum Domum dirimitur *fol.* 294. *col.* 2. *& ſeq.*

Mancipium.

Vide Servus.

Mantuanam Provinciam

Erigendi facultas datur *fol.* 291. *col.* 1. quæ executionem non habet *ibi. in not.*

Maranta [Sylvius]

Conventum Venuſino libros legat *fol.* 110. *col.* 1.

Marcus Antonius Dominientis.

Vide Dominientis.

Marcus Antonius Bruno

Vide Bruno.

Maria B. V.

Singulari devotione colitur *fol.* 254. Ejus imaginem ex Eccleſia Fratrum extrahi vetitur *fol.* 88. *col.* 1. & miraculoſa illius Statua ex dono & prodigio in Eccleſia Fratrum Panormi collocatur *f.* 152. Sacellum in ejus honorem ædificatur *fol.* 254.

Sor. M. Laurentiæ Longæ Monialium Capucinarum Fundatricis.

Vita epitomatur *fol.* 10. *in nota.*

Sor. Mar. Franciſca Muzza Tertiaria.

Vide Muzza (M. Franciſca.)

Marſici novi

Conventus Dæmonum illuſionibus vexatur *fol.* 52. *col.* 1. media deſuper adhibita *ibi.* Fratribus quæſtuatio in terra Tramutulæ conceditur *fol.* 56. *col.* 1.

R. P. Martinus Becanus, Soc. Ieſu.

Vide Becanus.

Maſſilienſes

A ſummo Pontifice Duci Pernonæ commendantur *fol.* 176. *col.* 2.

Materæ

In Bibliotheca manuſcripta &c. aſſervari jubetur *fol.* 132. *c.* 2. & Conſervatorium Monialium in Monaſterium erigitur. *fol.* 138.

Mathias Imperator

Primum lapidem Conventûs Ratisbonenſis ponit *fol.* 242. Particulam S. Crucis Fr. Hyacintho à Caſali donat *ibi.*

Maximilianus, Bavariæ Dux

Monialium Capucin. Monaſterium novum Brunduſii fundat *fol.* 115. Præter paramen-

menta, ei SS. Reliquias inſignes donat *fol.* 122. Sicut & Eccleſiis Conventuum Caſalen. & S. Salvatoris *fol.* 289. *col.* 1. Fr. Hyacinthum à Caſali ad ſe vocanti Papa reſpondet *f.* 241. *c.* 1. qui & Eidem hunc comendat *fol.* 257. *c.* 1. *fol.* 265. *col.* 2. *fol.* 275. *col.* 2. & *fol.* 280. *col.* 1. De eo in Electorem ſubſtituendo agitur *fol.* 246. & concluditur *ibi.* Summo Pontifici de ſuo affectu grates agit *fol.* 245. Luget mortem Fr. Hyacinthi *fol.* 253. de quo Reliquias petit & accipit *ibi.*

Maximilianus Comes de Trautmanſdorff.

Vide Trautmanſdorff.

Fr. Maximus à Muro

Definitor Generalis, officia Ordinis prudenter explet *fol.* 48.

Mazzarini

Venditi terræ petii pretium ad opus clauſuræ convertitur *fol.* 194. *col.* 2.

Mazzetti (Barbara)

Monaſterium Monialium Capucinarum in Civitate Caſalenſi fundat *fol.* 238. *in not.* & in eo Sacro Habitu induitur *fol.* 239.

Medicinæ

Artem circa Fratres exercere, Sacerdoti Medico indulgetur *fol.* 63. *col.* 2.

Medunei

Fratres ſub propria Cruce incedere poſſe declaratur *fol.* 109. *col.* 1.

Melchior Kleſſelius Cardinalis

E carcere liberatur, & Cæſaris gratiæ reſtituitur *fol.* 248.

Melficti

A Fratribus functiones circa cadavera peragi debere ſtatuitur *fol.* 113. *in nota.*

Melita, Inſula

Ordinis Equeſtris S. Joannis Sedes & Specula *fol.* 299. in ea ſerpentes veneno carent *ibi.* Primus ibi Conventus conſtruitur *ibi.*

Melitenſis Cuſtodia

Erigitur *fol.* 300.

Mercatus

In honorem S. Antonii inſtituitur *fol.* 69. *in nota.*

Merlo (Dominicus)

Legatum pium Fratribus Civitatis Caſalenſis relinquit *fol.* 290. *in not.*

Meſſanenſis Provinciæ

Principium *fol.* 175. Alumnis Nobilibus fulget *ibi.* & ſub auſpiciis B. V. Mariæ floret *ibi.*

Meſſanenſi Fratrum Conventui

Eccleſiam S. Mariæ, *Annuntiatella* nuncupatam pro Valetudinario dari ſignatur *fol.* 177. *col.* 2. quod à Conventu diſmembratur *fol.* 179. *col.* 2. concordia deſuper facta approbatur *fol.* 180. *col.* 2. Coquina transfertur *fol.* 183. *in not.*

Meſſapiæ

Conventui petium terræ ad Eccleſiam Sæcularem ſpectans incorporatur *fol.* 124. *col.* 1.

Metius Fridericus, Epiſcopus Termularum.

Bibliothecæ Fratrum S. Petri in Galatina 1600. Libros donat *fol.* 133. virtute & doctrinâ pollet *ibi in not.*

Mexia vel *Meſcia* [Auguſtino.]

Fr. Hyacinthus à Caſali à Papa commendatur *fol.* 270. *col.* 1.

Fr. Michaël â Panormo

Viſitator Sardiniæ, Provincialis conſtituitur *fol.* 219. *col.* 1.

Miſſarum

Onus perpetuum commutatur *fol.* 63. *col.* 1.

col. 1. & circa tale Fratres moleſtari inhibetur *fol.* 72.

Miſſionarii Capucini

Lingua, capite abſciſſo, diutius Algerii Fidem Catholicam prædicat *fol.* 247.

Miſſionariis Sacerdotibus

Monaſterium Carolei conſtruere inhibetur *fol.* 93. *col.* 2.

Miſuracæ

Fratres à ſolutione quartæ funeralis eximuntur *fol.* 64. *in not.*

Monferratenſis Cuſtodia

A ſolo Rmo P. Generali dependet *fol.* 292. *col.* 2. Viris illuſtribus fœcunda *fol.* 236.

Monialium

Confeſſiones audire, Fratribus in Italia prohibetur *f.* 79. *c.* 2. exceptis excipiendis *ibi.*

Monopoli

Ex Conventu Libros & icones extrahi interdicitur *fol.* 108. *col.* 1.

Montis Alti

Monaſterium Capucinarum fundatur *fol.* 78. *col.* 1. ad illius formationem aliæ Coſentiâ vocantur *ibi.* Dos ad 200. ducatos reſtringitur *ibi.* fruitur officio Medici gratuitò *ibi.* & ſub juriſdictione Epiſcopi privilegiis Ordinis gaudet. *ibi.* ei à Communitate debitum ſolvi committitur *fol.* 79.

Montis Calvi

Conventûs fabricam perfici ordinatur *fol.* 289. *col.* 1.

In Monte, Crea dicto

Sacellum in honorem B. V. Mariæ conſtruitur *fol.* 254.

Montis Fuſci

Conventus Fratrum ampliatur *fol.* 32. *col.* 1. ad ejus favorem alienatio terræ ad Confraternitatem S. Roſarii ſpectantis ratihabetur *ibi.* Proceſſio cum Statua S. Antonii &c. conceditur *fol.* 161. *in not.*

Ad Montem Garganum

S. P. Franciſcus peregrinatur, & illius Sanctuarii lapidi ſignum Tav imprimit *fol.* 99.

Montis Leonis

Duci, Fr. Hyacinthus à Caſali à Papa commendatur *fol.* 270. *col.* 1.

Montis Leonis

Conventus novus conſtruitur *fol.* 65. *col.* 2.

Montorii

S. Sacramentum in Eccleſia Fratrum viſitare Epiſcopo prohibetur *fol.* 212. *& ſeq.*

Murani

A Fratribus Miſſas ante proceſſionem S. Sacramenti celebrari poſſe decernitur *f.* 84. *col.* 1.

Muri

Fratres, hoſpitium RR. PP. Obſervantium in *Caſtel Grande* claudi impetrant *fol.* 53. *col.* 1.

Muzza [Sor. Mar. Franciſca Tertiaria]

Animam Fr. Hyacinthi à Caſali inter Seraphim cantantem videt *fol.* 253.

N

Neapolitanum Regnum

NObile dicitur *f.* 1. voluptate, decore, & fœcunditate præcellit *ibi.*

Neapolitanæ Fratrum Provinciæ

Elogium *fol.* 1. *& ſeq.* Habuit ex Sanguine Principum Fratres 14., ex Ducali 8; Marchiones 8 & Equites Hieroſolym. 5. *ibi.* pro illius pace circa electionem Superiorum nonnulli articuli confirmantur *f.* 45. *col.* 1.

Nea-

Neapolitanus Fratrum Conventus ſub titulo Imaculatæ Conceptionis B.V. Mariæ.

Ex ejus Eccleſia extractio SS. Reliquiarum prohibetur *fol.* 23. *col.* 1. quæ recenſentur *ibi.* Libros Bibliothecæ relictos ſemel commutari conceditur, & deinceps ulterior extractio pariter inhibetur *fol.* 28. *col.* 1.

Neapolitanum Monialium Capucinarum S. Mariæ in Jeruſalem Monaſterium

Erigitur *fol.* 5. Sacellanus pro ſpirituali cura ei conceditur *ibi. col.* 2. Illius Abbatiſſa, M. Laurentia Longa conſtituitur *fol.* 6. *col.* 1. numerus Monialium præſcribitur *ibi.* adaugetur *fol.* 8. *col.* 2. receptio bonorum indulgetur *ibi.* Privilegia S. Claræ, & Tertii Ordinis S. P. Franciſci ei communicantur *ibi. col.* 2. quæ etiam ſub erroneo motivo obtenta, firma declarantur *fol.* 11. *col.* 1. à juriſdictione Ordinarii eximitur *fol.* 6. *col.* 2. Litteras Apoſtolicas deſuper expeditas executioni mandari jubetur *fol.* 7. *col.* 2. In alio loco conſtrui conceditur *fol.* 8. *col.* 1. Illud Fratrum curæ & Viſitationi ſubiicitur *fol.* 9. *col.* 2. Monialibus omnis egreſſus interdicitur *fol.* 12. *col.* 2. ſicut & aliarum quarumcunque Perſonarum ingreſſus, vel admiſſio *ibi.* Portantes elemoſynas cum Abbatiſſa ſine licentia Curiæ Epiſcopalis loqui poſſe declaratur *fol.* 14. Cellæ pro Confeſſario & ejus ſocio conſtruuntur *ibi.*

Neapolitanum Capucinellarum Monaſterium

Fundatur *fol.* 25. *col.* 1. ei privilegia Ordinis communicantur *ibi. col.* 2. Ordinarii juriſdictioni ſubditur *ibi.* Concordia illud inter & RR. PP. Servitas inita confirmatur *fol.* 33. *col.* 1.

Neocaſtri

S. Antonii Statuam in Habitu Capucino exponi &c. conceditur *fol.* 68. *col.* 2. mercatus publicus in Sancti honorem inſtituitur *fol.* 70. Capella, *Regia* declaratur *ibi.* Feſtum S. Antonii ſolemniter celebrare, PP. Reformatis ibi prohibetur *fol.* 71. Circa Miſſam perpetuam Fratres non moleſtari cavetur *fol.* 72.

Vide S. Antonius Patavinus.

Neritonis

Eccleſia B. V. Mariæ incoronatæ, Fratribus pro Conventu conceditur *fol.* 129. *c.* 1.

Nicoſiæ

Fabricam Conventus perfici committitur *fol.* 177. *c.* 1.

Nominandi jus ad Dotes

Vide Dotes.

Novitio

FructusCanonicatûs prœhabiti competunt tempore Novitiatûs currentes *fol.* 172.

Nuceriæ Paganorum

QuartamCanonicam Epiſcopo non deberi declaratur *fol.* 37. *c.* 1. Conventui Hoſpitium adjungitur *ibi. in not.*

Nulvi

Ex Eccleſia Fratrum Sanguinem S. Gavini M. extrahi prohibetur *fol.* 229. *c.* 1. Fratribus noſtris præcedentia denegatur *f.* 229. circa quod S. Congregationis Decretum æquâ veneratione excipitur *ibi.* ratio tamen à RR. PP. Obſervantibus allegata diſcutitur *fol.* 230. & eam in conſequentiam trahi non poſſe infertur *ibi. in not.* Quartam funeralem Parocho non deberi ſancitur *fol.* 231. *in not.* cui tamen jus ſepulturæ adjudicatur *fol.* 231. *in not.*

Nundinæ

Vide Mercatus.

O

Obreptionis

QUidditas *Iſag. f.* xv. Reſcripta gratiæ annullat *fol.* xvi. non verò Juſtitiæ *ibi.* con-

contingens in una parte Reſcripti, non vitiat totum, doloſa ſi non fuit *fol.* XVII. In cauſa motiva facta, vitiat Reſcriptum, non verò in cauſa impulſiva contingens *fol.* XVIII. In dubio an cauſa ſit motiva, vel impulſiva tantùm, decernit ſtylus Curiæ, vel pro valore actûs judicatur *fol.* XIX. *Vide Reſcripta.*

Officium Defunctorum

Occaſione funeris, in Eccleſia Ordinis à Fratribus recitari debet *fol.* 91. *col.* 1.

De Ognat (N. Comiti)

Fr. Hyacinthum à Caſali, & Religionis negotia Papa commendat *fol.* 258. *col.* 1. & 2. & *fol.* 276. *col.* 2. eumque, ne Palatini Ducis partes ſuſcipiat, hortatur *ibi.*

Oleum Sacrum

Fratribus dari, Epiſcopo injungitur *fol.* 65. *col.* 1.

Oliva Antonia

Fratribus Aquilæ pium Legatum relinquit *fol.* 208. *col.* 1. quod commutatur *ibi.*

De Olivares (Caſpari Comiti)

Fr. Hyacinthum à Caſali, ex vitæ Sanctimonia, & eloquentiæ ſpiritu Papa commendat, &, ut illi Romani Imperii cauſam agenti ſuffragetur, inſtat *fol.* 269. *col.* 1.

Ophæni

Conventus conſtruitur *fol.* 207. *col.* 2. prohibitione non obſtante *ibi. in not.*

Oratio 40. Horarum.

Pro ejus ſubſidio Congregatio Equitum Dominicæ Paſſionis inſtituitur *fol.* 249. celebratur ampliſſimo fructu *fol.* 252.

Oratorium

Pro Miſſæ dicendæ commodo, Fratribus conceditur *fol.* 30. *c.* 1. & *fol.* 38. *c.* 2.

Oratorium S. Philippi Nerii

Bruxellis conſtruitur *fol.* 249. ac Caſalenſe *fol.* 253. cui Linteum S. Caroli, & aliæ S. Reliquiæ à P. Hyacintho à Caſali donantur *fol.* 242.

Ordinandi

Fratres noſtri, Regni Neapolitani, in Decreto de nominibus &c. proponendis non comprehenduntur *fol.* 27. *c.* 1. Clericus admiſſus ad duos Ordines Minores duntaxat, & ſe ad alios vocatum allegans, re-ordinatur *fol.* 138. *col.* 2.

Ad Ordinem Tertium S. P. Franciſci

Sæculares, â Fratribus recipi poſſe ſancitur *fol.* 223. *col.* 1. ab his dirigitur cum flore *fol.* 228.

In Oritana Civitate

Conventum erigendi facultas datur *fol.* 121. quæ executioni non mandatur *fol.* 122. *in not.*

Ortonæ

Situs piè legatus venditur *fol.* 208. *col.* 2.

Ovium

Agmen ad audiendam concionem confluit *fol.* 243.

P

Panormitana Provincia

IN ſuo ortu ceu ſol proceſſit *fol.* 142. fulget viris doctrinâ, Sanctimonia & genere claris *fol.* 143. Dividitur in tres Provincias *fol.* 144. In ea vitulos mactari conceditur *fol.* 155. *col.* 2. *Vide & Profeſſionum infra.*

Panormitani Fratrum Conventûs

Cœmeterium, *Sanctuarium* nuncupatur *f.* 143. de Cadaveribus 40. Fratrum in eo exiſtentibus mira narrantur *ibi.* In Eccleſia Conventûs Altare SS. Crucifixi in perpetuum privilegiatur *f.* 145. *c.* 1. ſicut & Altare in Capella B. Mariæ ad 7. annos *f.* 172. in qua ejuſdem Statua ſtellâ Duce eò ducta, ex Procerum dono collocata eſt *fol.* 152.

fol. 152. & ſingulis Sabbathis Miſſa ſolemnis dicitur *ibi*. Ex Eccleſia Reliquias Sacras extrahi prohibetur *fol.* 149. *col.* 2. quæ enumerantur *fol.* 150. & 151. Infirmaria, ſeu Valetudinarium intra clauſuram comprehenditur *fol.* 161. *c.* 2.

Panormitanum Monialium Tertiariarum Cœnobium

Fundatur *fol.* 145. Monialium numerus ad 33. extenditur *ibi*. Converſæ in id non admittuntur *ibi*. ſub juriſdictione Ordinarii exiſtens fruitur privilegiis *ibi*. ad ejus beneficium legatum pium applicatur *ibi*.

Panormitanum Monialium Capucinarum Conſervatorium, ſeu Recluſorium

Inſtituitur à Fr. Angelico ab Uryco *fol.* 264. *col.* 2. Fratrum curæ ſubiicitur *ibi*. in Monaſterium erigi conceditur *fol.* 165. *in not.* In ejus Capella Domeſtica S. Miſſa celebratur *fol.* 164. *col.* 2.

Paridis, Archiepiſcopi, Salisburgenſis

Obſequium & ſtudium pro Eccleſia & Imperio ſollicitum, Papa extollit, &, ut conſilia ſua Fr. Hyacinthi à Caſali operæ conſociet, ab eo flagitat *fol.* 257. *col.* 2. *fol.* 274. *col.* 1. *fol.* 281. *col.* 2. & *fol.* 288. *col.* 2., qui & ipſe Fr. Hyacinthum litteris convenit *fol.* 251.

S. Paſchalis

Feſtivitas in Terra Lutii, & quæſtuatio ſub ejus nomine regulatur *fol.* 97. *col.* 1.

Paſſionis Dominicę

Equitum Congregatio inſtituitur *fol.* 249.

Paulus ab Alpharan de Buſſan, Epiſcopus Melitenſis

Fratribus quoad conſtructionem duorum Conventuum in Inſula Melitæ &c. favet *fol.* 303. & *fol.* 305.

Fr. Paulus à Culari

Laicus, in vita activa & contemplativa celebris *fol.* 228 de ejus cadavere exit ſanguis *ibi.* & Proceſſus de virtutibus conficitur *ibi*.

Pedemontis

Nova Fratrum Domus conſtruitur *fol.* 191. *col.* 2. obligatione ſupplendæ elemoſynæ prius ſublatâ *fol.* 192.

S. Philippus Nerius

A Fr. Hyacintho à Caſali peculiariter colitur, & hujus operâ, varia Oratoria in illius honorem conſtruuntur *fol.* 254.

Philippi Auſtriaci, Regis Tunetani

Cadaver in Cœmeterio Fratrum Panormi quieſcit *fol.* 143.

Philippo Chriſtophoro, Epiſcopo Spirenſi

Præclaram pro Fide & Imperio virtutem Papa laudibus effert, &, ut contra novos Acatholicorum conatus, eam impendat, & Fr. Hyacinthi à Caſali negotiis aſſiſtat, hortatur *fol.* 264. *col.* 2.

Piſcari

In diebus Feſtis ad commodum Fabricæ permittitur *fol.* 22. *col.* 1.

Pitii

Hoſpitium Fratribus conceditur *fol.* 68. *c.* 1.

Placentiæ

Mira populi ad pœnitentiam converſio, & ad conciones Fratris Hyacinthi à Caſali confluxus *fol.* 243.

Planę Græcorum

Hoſpitium Fratrum, in Conventum erigitur *fol.* 161. *c.* 1.

Podii Realis

Conventus exſtruitur *fol.* 162. *c.* 2. in quo Fratres confeſſiones Sæcularium excipiunt *ibi*. & Principiſſæ ſundatrici ingreſſus conceditur *ibi*.

Politii

Ex ære antiquæ Domûs nova conſtruitur *f.*154. *col.* 1. ex ejus Eccleſia SS. Reliquias extrahi prohibetur *ibi. in not.* quæ recenſentur *ibi*.

Præcedentia

Fratribus noſtris adjudicatur Vineolæ *fol.* 49. *col.* 1. Ferrandinæ *fol.* 53. *col.* 1. Roſſani 88. *col.* Putiniani *fol.* 110. *col.* 2. Sulmonæ *fol.* 111. *in nota*. Iis illa denegatur *fol* 229. ſicut & PP. ex-Definitoribus *fol.* 190. *col.* 2.

Prædicatores Ordinis

Vide Concionatores.

In Proceſſionibus

Fratres ſub propria cruce incedere poſſe declaratur *fol.* 109. Proceſſio controverſa in loco S. Joannis de Flore regulatur *fol.* 93. *col.* 1.

Proceſsio S. Antonii Patavini

Vide S. Antonius.

Profeſſionis

Ex prætextu morbi incurabilis annullandæ inſtantia rejicitur *fol.* 73. *col.* 1. Circa nullitatem alterius prætenſam reſcribitur *ad mentem ibi.* 201. & Frater dimittitur *fol.* 203. *in not.* Profeſſionum nullitas ab Epiſcopis Siciliæ recognita reprobatur à *fol.* 166. uſque *ad fol.* 172.

Privilegia Apoſtolica

Fr. Hyacintho à Caſali conceſſa *fol.* 284 *in nota*.

Puteolanum

Hoſpitium erigitur *fol.* 35. *col.* 2. Clauſuræ formali ſubiicitur *ibi. in nota.* quæ manet, etiamſi Fratres ibi non degant *ibi*. Sanctiſſimum Sacramentum in eo aſſervari conceditur *fol.* 36.

Putinani

Præcedentia Fratribus adjudicatur *fol.* 110. *col.* 2.

Q

Quartam

Canonicam à pio Legato Fratribus relicto Epiſcopus prętendere nequit *fol.* 37. *c.* 1. à funerali Fratres immunes declarantur *fol.* 64. *c.* 1. *fol.* 91. *c.* 1. & *fol.* 231. *in nota*.

R

Radiani

Conventus conſtruitur *f.* 209. *c.* 2. contradictione non obſtante *ibi*.

Fr. Raphaël à Malta

Virtute claret, & anima ejus Cęli portas ingredi videtur *fol.* 299.

Raſura

In Reſcriptis parit præſumptionem doli *Iſag. fol.* xx.

Ratisbonæ

Conventus erigitur *fol.* 242. *in nota.* poſitò ab Imperatore Mathia primo lapide *ibi*.

Reſcriptorum

Notio generica & ſpecifica *Iſag. fol.* I. eorum diſtinctio ac diviſio. *Iſag. fol.* II. Partes, quæ ea componunt *fol.* IV. ac clauſulæ iis apponi ſolitæ *ibi*. Perſonæ, quæ reſcribunt, & reſcripta impetrant *fol.* V. & VI. De horum effectu *fol.* VIII. & tempore, quo operari incipiunt *fol.* IX.

Reſcripta juſtitiæ

Intra annum præſentari debent *ibi*. Eorum interpretatio debet fieri juxta verborum ſignificationem *fol.* XI. in dubio debent intelligi ſecundùm jus commune *ibi*. nec debent ad caſus, vel ad Perſonas in iis non expreſſas extendi *ibi*. Morte concedentis, re adhuc integrâ, exſpirant *fol.* XII. vel

vel etiam Delegante ab officio ceſſante *ibi.* Durant in ſuo exemplo,& trahuntur ad conſequentiam *fol.* XIII.

Reſcripta gratiæ

Terminum, quo præſentari debent, fixum non habent *fol.* x. debet tamen abeſſe dolus, vel negligentia *ibi.* Amplam admittunt interpretationem *fol.* XI. Morte concedentis non exſpirant, ſi gratia jam ſit facta *fol.* XIV. exſpirant autem in caſu gratiæ faciendæ *ibi.* vel ob clauſulas appoſitas *ibi.* vel per renuntiationem *ibi.* nec trahuntur in exemplum *fol.* XV.

Latinitatis error vitiat Reſcriptum *fol.* XIX. & raſura in loco ſuſpecto parit doli præſumptionem *fol.* XX. *vide Obreptio*, *& Latinitas*.

Rhegienſis Provincia in Calabria

Cum ipſo noſtræ Reformationis principio ſuum ortum habet *fol.* 60. & ideo ſe in Tabula Provinciarum junioribus Provinciis poſtponi queritur *ibi.* Viros doctrina, pietate, & ſanguine numerat conſpicuos *ibi.*

Rhegii

Libri Conventûs veteris utrique novæ Domui debent eſſe communes *fol.* 65. *col.* 1.

Rhetia

Vide Vallis Tellina.

Ricciæ

Fratrum Conventus conſtruitur *fol.* 104.

Roboreti

A RR. PP. Reformatis Conventum erigi, Fratres noſtri conſentiunt *fol.* 294.

Roccæ

Monaſterium RR. PP. Conventualium noſtratibus datur *fol.* 183. *col.* 1.

Roera Julia.

Vide Julia Roera.

Roſcioli (Leonardus Antonius)

Fratribus pium legatum relinquit *fol.* 217. *in nota.*

Roſſani

B. V. Mariæ Imaginem ex Eccleſia Fratrum extrahi prohibetur *fol.* 88. *col.* 1. Proceſſio S. Antonii à Fratribus legitimè inſtituitur *ibi. in not.* quibus & præcedentia contra RR. PP. Minimos adjudicatur *ibi.* Cellas ſupra Capellas Eccleſiæ ibi conſtrui indulgetur *fol.* 89. *in not.* Fratres Confeſſiones Monialium ibi excipere prohibentur *fol.* 97. *col.* 2.

Rublani

Antiquæ Domûs pretium, in fabricam novi Conventûs convertitur *fol.* 87. *col.* 1. & ſucceſſiva venditio legitimatur *ibi.*

Rudiarum

In Conventu theſaurum inquirere prohibetur *fol.* 129. *col.* 2.

Ruſſani

Conventum viſitare Epiſcopo inhibetur *f.* 127. *col.* 1.

Rutilius Caballus

Amantheæ Conventum fundat *fol.* 79. *col.* 1. *Vide Amanthea.*

S

Saceris

A Fratribus erecta Via Crucis confirmatur *fol.* 231. & 232. cui Indulgentiæ communicantur *ibi.* quæ recenſentur *fol.* 233.

Salæ Parutarum

Conventus Fratrum fundatur *fol.* 165. *col.* 2. Obligatio Principis circa Fratres alendos reprobatur 166. cui dominium Conventûs pariter denegatur *ibi.* Sepultura tamen pro Familia in Eccleſia conceditur *ibi.*

Salerni

Fratribus noſtris pium legatum perpetuum, RR. PP. Diſcalceati S. Thereſiæ ſolvere jubentur *fol.* 54. *c.* 2.

Ex S. Salvatoris [Oppidi]

Eccleſia, Reliquiaria aut SS. Reliquias extrahi prohibetur *fol.* 289. *col.* 1.

Fr. Salvator à Pantelaria

Miſſionarius, prodigiis & donis cęleſtibus claret *fol.* 142.

Sciliani

Conventui, commutatio terræ petii conceditur *fol.* 97. *c.* 1.

Scorani

Erectio novæ Domûs ſignatur *fol.* 120.

Scurculæ

Conventui pium legatum relinquitur *f.* 217. *in nota.* quod commutatur *ibi.*

Secundigliani

Vide Capellus Antonius.

Senyſii

Fratres Conventum derelictum reaſſumunt *fol.* 55. *col.* 1.

Sepultura

Cadaverum Sæcularium in Eccleſia Fratrum conceditur *fol.* 165. *c.* 2. reſervatur *f.* 216. & *fol.* 303. *in nota.* Jus ſepulturæ controverſæ Parocho adjudicatur *fol.* 231. *in nota. Vide Cadavera.*

Servus

Seu Mancipium, Reſcripta gratiæ impetrare nequit *Iſag. fol.* VI.

Fr. Silveſter Hipponias, *ſeu à Monte Leonis.*

Miniſter Generalis, Decreta Ordinis minus congrua abrogat *fol.* 60.

Fr. Silveſter à Roſſano

Procurator Generalis, virtute clareſcit, & Infulam recuſat *fol.* 77.

Solophræ

Conventus conſtruitur *fol.* 17. *col.* 1. conditiones ab Epiſcopo præſcribuntur *ibi. in nota.*

Sottomajor (R. P. Antonio, Ordinis Prædicatorum, & Regis Catholici Confeſſario)

Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimina Papa dolenter exponit, huic Religioſorum virtutem ſalutarem memorat, &, ut Regis Catholici auctoritatem Fr. Hyacinthi negotiis conciliet, quærit. *fol.* 268. *col.* 2.

Spinula (N. Marchionis)

Bellicam virtutem, cauſæ Dei patrocinantem, ſummus Pontifex prædicat, &, ut oratione Fr. Hyacinthi à Caſali munita, victorias replicet, exoptat *fol.* 271. *col.* 1. & *fol.* 279. *col.* 1.

Squillacii

Conventus relinquitur *fol.* 62. *col.* 1.

Squinzani

Monaſterium RR. PP. Conventualium Fratribus conſignatur *fol.* 124. *col.* 1. Conventum conſtruere RR. PP. Obſervantibus inhibetur *fol.* 125. *in not.*

Sterlick (Euſtachius)

Conventum Cermigliani fundat *fol.* 215. *col.* 1. ob ejus meritum Familiaribus ſepultura in Eccleſia Fratrum conceditur *fol.* 216. *in nota.*

Subreptio

Vide Obreptio.

Sueſſæ

Ex Sacriſtia Fratrum utriuſque Conventûs calices, & ex Bibliotheca libros extrahi prohibetur. *fol.* 26. *col.* 1. in beneficium Con-

Conventus S. Mariæ, Reginæ Cœli, pium legatum commutatur *fol.* 27. *in not.*

Svicardi (Joannis, Electoris & Archiepiſcopi Moguntini)

Annorum æquè, ac prudentiæ ſenio Venerabilis, pro Eccleſia meritum Papa celebrat, &, ut ſibi ſemper ſimilis maneat, & tutelam Germaniæ contra Proditorem, præſtitâ Fr. Hyacintho â Caſali ope & conſiliis, impensè commendat *fol.* 255. *c.* 1. *fol.* 266. *c.* 1. *fol.* 272. *col.* 1. *fol.* 285. *c.* 2. & litteras ſibi redditas eſſe nuntiat *fol.* 243.

Sulmonæ

Nova Domus conſtruitur *fol.* 210. *col.* 2. durante fabricâ Capella domeſtica permitmittitur *fol.* 111. *in nota.* alienatio ſitûs terræ indulgetur *ibi.* Fratribus præcedentia contra RR. PP. Minimos adjudicatur *ibi.*

Suppellectilem

Eccleſiæ aufferentes & eorum complices excommunicantur *fol.* 163. *col.* 2.

Superiores Locales

Bannitis aſylum præbentes in pœnas taxatas incurrunt *fol.* 74. *c.* 2.

Surrenti

Domum & hortum Conventui Fratrum officientem emi, & canonem transferri conceditur *fol.* 34. *col.* 2.

Sylvius Maranta

Vide Maranta.

Syracuſana Provincia

Erigitur *fol.* 194. Terræmotus ejus Documenta abſorbet, aut diſtrahit *ibi.*

Syracuſani Conventûs

In Hoſpitio, Sæculares hoſpitari &c. prohibentur *fol.* 199. *c.* 1.

T

Taranti

Legatum pium in Provinciæ neceſſitates convertitur *fol.* 132. *c.* 1.

Terlitii

Feſtum S. Antonii, ipſo ejus die feſto à Fratribus celebratur *fol.* 111. *c.* 2. *&c.*

Theani

Proceſſio S. Antonii in Habitu Capucino infra octavam à Noſtratibus peragitur *f.* 37. *col.* 1.

Thermarum Himerantium, vulgò *Termini.*

Æs veteris Conventûs in novi fabricam convertitur *fol.* 152. *col.* Eccleſiæ veteris demolitio conceditur, & cæmenta novæ fabricæ applicantur *fol.* 153. *c.* 2.

Theſaurum

Quærere inhibetur in Conventu Rudiarum *fol.* 129. *c.* 2. & Aquilæ *f.* 215. *in not.*

De Tilly [Comes Joannes]

De victoriis, & Sacerdotum patrocinio, à Papa laudatur, eique Fr. Hyacinthus à Caſali commendatur *f.* 288. *c.* 1.

Tortolii

Conventus Fratrum conſtruitur *f.* 227. *c.* 1.

Tortorices

Pretium Conventûs antiqui in novam fabricam erogatur *f.* 191. *c.* 1.

Tramutulæ

Quæſtuatio Fratribus noſtris conceditur *f.* 65. *col.* 1.

Tricarici

Menſa Epiſcopalis Infirmariæ Fratrum 15. ducatos annuatim ſolvit *f.* 55. *c.* 2.

Tridenti

Ecclefia S. Crucis Fratribus donatur *f.* 293. qui ob ſpiritualia obſequia populi affe-ctum ſibi conciliant *ibi*. Conventus Principatûs in Cuſtodiam eriguntur *ibi*.

Troynæ

Oſſa Fratrum ad novi Conventûs Eccleſiam transferuntur *fol.* 186. *col.* 1.

De Trautmanſdorff (Comitis Maximiliani)

Virtutem, tum in Romani Imperii præſidium, tum ad Catholicæ Religionis incrementum hucuſque impenſam, Papa laudibus effert, &, ut officiis ſuis Fr. Hyacintho à Caſali ſuffragetur, cupit *fol.* 264. *c.* 1.

Tullius à Caretto, Epiſcopus Caſalenſis

Fundationem Monialium Caſalenſium promovet *f.* 229. Cauſam Canonizationis S. Caroli Borromæi Romæ coadjuvat *ibi*.

Turris Octavę

Conventus improvidè ædificatur *fol.* 19. terra ad menſam Archiepiſcopalem ſpectans cum fructibus tandem condonatur *fol.* 21. *col.* 1. ita tamen, ut annuatim in recognitionem claves Monaſterii Archiepiſcopo præſententur &c. *ibi*. Rei alienationis illegitimæ abſolvuntur *ibi*. *col.* 2. appenſa ad imaginem B. V. Mariæ anathemata vendi, & eorum pretium in fabricam converti conceditur *f.* 22. *in not.*

Turritana Provincia

Erigitur *fol.* 231. floret in ea Tertius Ordo *ibi*. & Viris Illuſtribus claret *ibi*.

V

Valentię

PRovincia fundatur *fol.* 4.

Fr. Valerianus, Magnus

Dictus ob ortum ex Comitibus de Magnis, cum Rege Chriſtianiſſimo agit *fol.* 248.

Vallis Tellinę, ſeu Valtellinę

Negotia implicantur *fol.* 250. Fratres in odium Fidei in ea vexantur *ibi*.

Venafri

Sors cenſûs Confraternitatis SS. Corporis Chriſti in reſtaurationem Conventûs erogatur *fol.* 101. *col.* 1.

Venuſii

Librorum emptorum pars Barenſi, & alia Nojæ Bibliothecis aggregantur *f.* 110. *col.* 1.

De Verdale (Hugo Cardinalis & Magnus Magiſter Ordin. Equeſtr. Hieroſolymit.)

Vide Hugo.

Veſtarum

Fabricam perfici committitur *fol.* 103. *c.* 2. & rudera Capellæ S. Antonii applicantur.

Vetri

In Ecclefia Fratrum inſignes Sanctorum Reliquiæ &c. coluntur *fol.* 47.

Via Crucis

Erecta confirmatur *f.* 231. Indulgentiæ communicantur *ibi*. quarum ſummarium recenſetur *fol.* 232. *in not.*

Victoriæ

Fratrum Conventus conſtruitur *f.* 199. *col.* 2.

Victorioſę Civitatis

Nova Domus erigitur *fol.* 300. *col.* 1. pro qua ſitus donatur *fol.* 302. & Fratribus infirmis ex Magni Hoſpitalis Melitenſis Aromataria &c. providetur *fol.* 303.

In Vigiliarum

Eccleſia, Functiones funebres â Fratribus peragi debere declaratur *fol.* 113. *in not.*

Vil-

Villafrancę Princeps

Vide Joſeph, Villafrancæ Princeps.

Vincentius III. Mantuę &c. Dux

Situm pro Monaſterio Monialium Caſalen. donat *fol.* 239. *in nota*. *Vide Mantua*

Vineolę

Per laudum præcedentia controverſa Fratribus noſtris addicitur *fol.* 49. *col.* 1.

Viſitare

Vide Epiſcopus.

Vitulos

In Provinciæ Panormitanæ Conventibus mactari conceditur *fol.* 155. *col.* 2.

Uladislaus Sigiſmundus, Regius Princeps &c.

Romæ Fr. Hyacinthum à Caſali accedit *f.* 251. & per litteras cum eo negotia tractat *ibi. & ſeq.*

Fr. Urbanus â Siponto

Definitor Generalis, virtute & ſignis clarus *fol.* 99.

Fr. Urbanus à Politio

Ad Cardinalem de Auria à Papa ablegatur *fol.* 148. Eum Viennæ Concionatorem linqui, Imperator poſcit *ibi*.

W

Wallſtain (Alberto Principi)

Papa de triumphis applaudit, & pro Religione ejus opem ſollicitat *fol.* 288.

Wolffgango Gullielmo, Duci Neoburgi

Fr. Hyacinthum â Caſali ad curanda in Germania Religionis negotia à ſe ablegari nuntiat, & , ut hæc ſtudiis activæ pietatis ſuffulciat, hortatur *fol.* 262. *col.* 2. & *fol.* 276. *col.* 1.

Z

Zuniga (Balthaſaris)

Auctoritatem apud Regem Catholicum, in Chriſtianæ Reipublicæ ſubſidium ſummus Pontifex vocat, & eidem eundem Fr. Hyacinthum à Caſali commendat *fol.* 268. *col.* 1.

FINIS.

Errata Corrigenda.

Fol. xlv. *linea* 17. Spirenſi, *lege* Herbipolenſi
fol. 2. *lin.* 14. S. Mariæ *lege* S. Marci
fol. 5. *lin.* 4. illud in Abbatiſſam, *lege* in illud Abbatiſſam
fol. 31. *col.* 1. Nucerinæ *leg.* Nuceriæ
fol. 175. *lin.* 18. Hoſpitia xi. *leg.* Hoſpitia xv.
Eodem fol. lin. 19. Monaſteria, *leg.* Monaſterium
fol. 217. *in capite* Apruntina, *leg.* Aprutina
fol. 240. *col.* 1. *lin.* 25. recipiſſe, *leg.* recepiſſe
fol. 252. *lin.* 40. Evangelum, *leg.* Evangelium

Alia, & minora menda, quæ irrepsêre, benevolus Lector ut de ſe corrigat, rogatur.

BX Catholic church
3104 Bullarium
A2
1740
t.3

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY